Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionescat0011vari

POUGET.

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ.

XI.

FATHER'S LIBRARY

TOMUS XI. CONTINET

III. Part. Sect. II.

Cap. 7. *De sacrosancto Missæ sacrificio.*

INSTITUTIONES

CATHOLICÆ

IN MODUM CATECHESEOS,

IN QUIBUS QUIDQUID AD RELIGIONIS HISTORIAM ET ECCLESIÆ DOGMATA, MORES, SACRAMENTA, PRECES, USUS ET CÆREMONIAS PERTINET, TOTUM ID BREVI COMPENDIO EX SACRIS FONTIBUS SCRIPTURÆ ET TRADITIONIS EXPLANATUR;

FATHER'S LIBRARY

EX GALLICO IDIOMATE IN LATINUM SERMONEM TRANSLATÆ:

ADJECTIS SINGULIS È SCRIPTURA ET TRADITIONE PETITIS PROBATIONIBUS ET TESTIMONIIS.

AUCTORE EODEM ET INTERPRETE FRANCISCO-AMATO POUGET, MONTISPESSULANÆO, PRESBYT. CONGREGATIONIS ORATORII GALLICANI, SACRÆ FACULTATIS PARISIENSIS DOCTORE THEOLOGO.

EDITIO NOVA, CUM EMENDATIONIBUS ET APPENDICE.

ALMA COLLEGE 254 LIBRARY P862 Alma, California

TOMUS UNDECIMUS.

APUD PERISSE FRATRES, BIBLIOPOLAS,

LUGDUNI
in priori domo
VIA MERCATORIA, 49,
ET VIA CENTRALI, 60.

PARISIIS
in recentiori domo
VIA SANCTI-SULPITII, 38.

1857

1073
Rev. James Vila P.P.

Avenione, Typis Fr. Seguin, via dictâ Bouquerie, 13.

INSTITUTIONES CATHOLICÆ

AD FORMAM CATECHISMI.

TERTIÆ PARTIS SECTIO II.

CAPUT SEPTIMUM.

De sacrosancto Missæ Sacrificio.

§. 1. De Sacrificio tam interiori quàm exteriori in genere.

I. Ex publicis Ecclesiæ Officiis quodnam cæteris antecellit?
R. Sacrosanctum Missæ Sacrificium.
I. Quid significat vox illa, *Sacrificium?*
R. Sacrificii nomen vel latè sumitur vel strictè.

Secundùm significationem latiorem, Sacrificii nomine intelliguntur omnes et singuli religionis actus, quibus creatura ratione prædita offert se Deo, et supremo Numini conjungitur. (A)

(A) S. August. *De Civitate Dei, lib.* 10. *cap.* 3. *aliàs* 4. *n.* 2. Huic (*Deo nempè*) nos servitutem, quæ *latreia* Græcè dicitur, sive in quibusque sacramentis, sive in nobis ipsis debemus. Hujus enim templum simul omnes et singuli templa sumus; quia et omnium concordiam, et singulos inhabitare dignatur: non in omnibus quàm in singulis major; quoniam nec mole distenditur, nec partitione minuitur. Cùm ad illum sursùm est, ejus est altare cor nostrum: ejus unigenito eum Sacerdote placamus: ei cruentas victimas cædimus, quando usque ad sanguinem pro ejus veritate certamus: ei suavissimum adolemus incensum, cùm in ejus conspectu pio sanctoque amore flagramus: ei dona ejus in nobis, nosque ipsos vovemus et reddimus: ei beneficiorum ejus solemnitatibus festis et diebus statutis dicamus sacramusque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio: ei sacrificamus hostiam humilitatis et laudis in ara cordis igne fervidæ charitatis. Ad hunc videndum, sicut videri potest, eique cohærendum, ab omni peccatorum et cupiditatum malarum labe mundamur, et ejus nomine consecramur. Ipse enim fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis. Hunc eligentes, vel potiùs religentes, amiseramus enim negligentes: hunc ergo religentes, undè et religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo quiescamus: ideò beati, quia illo fine perfecti. Bonum enim nostrum, de cujus fine inter philosophos magna contentio est, nullum est aliud, quàm illi cohærere: cujus unius anima intellectualis incorporeo, si dici potest, amplexu, veris impletur fecundaturque virtutibus. Hoc bonum diligere in todo corde, in tota anima, et in tota virtute præcipimur.

Quo sensu oratio, laus Dei, contritio, misericordia, cætera bona opera, legis observatio, sacrificium dicuntur in Scripturis. (B)

(*Deut.* VI. 5.) Ad hoc bonum debemus, et à quibus diligimur duci, et quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, *in quibus tota lex pendet et Prophetæ.* (*Matth.* XXII. 40.)

Cap. 6. Proindè verum Sacrificium est omne opus, quod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Undè et ipsa misericordia quâ homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium. Etsi enim ab homine fit, vel offertur, tamen sacrificium res divina est: ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellaverint. Undè ipse homo Dei nomine consecratus, et Deo votus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, sacrificium est. Nam et hoc ad misericordiam pertinet, quam quisque in se ipsum facit. Propterèa scriptum est: (*Eccli.* XXX. 24.) *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Corpus etiam nostrum cùm per temperantiam castigamus, si hoc quemadmodum debemus propter Deum facimus, ut *non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo* (*Rom.* VI. 13.), sacrificium est. Ad quod exhortans Apostolus ait (*Rom.* XII. 1.): *Obsecro itaque vos, fratres, per miserationem Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Si ergo corpus quo inferiore tanquam famulo, vel tanquam instrumento utitur anima, cùm ejus bonus et rectus usus ad Deum refertur, sacrificium est; quantò magis anima ipsa cùm se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tanquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit sacrificium? Quod idem Apostolus consequenter adjungens (*Rom.* XII. 2.), *Et nolite*, inquit, *conformari huic seculo: sed reformamini in novitate mentis vestræ, ad probandum vos quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum, et perfectum.* Cùm igitur vera sacrificia opera sint misericordiæ, sive in nos ipsos, sive in proximos, quæ referuntur ad Deum; opera verò misericordiæ non ob aliud fiant, nisi ut à miseria liberemur, ac per hoc ut beati simus; quod non fit, nisi bono illo de quo dictum est, *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Ps.* LXXII. 28.): profectò efficitur, ut tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio, societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem magnum, qui etiam seipsum obtulit in passione pro nobis, ut tanti capitis corpus essemus, secundùm formam servi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus est; quia secundùm hanc mediator est, in hac sacerdos, in hac sacrificium est. Cùm itaque nos hortatus esset Apostolus (*Rom.* XXII. 1. *et* 2.), ut exhibeamus *corpora nostra hostiam vivam, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum, et non conformemur huic seculo, sed reformemur in novitate mentis nostræ, ad probandum quæ sit voluntas Dei, quod bonum et beneplacitum et perfectum*, quod totum sacrificium ipsi nos sumus: (*Rom.* 3. *et seq.*) *Dico enim*, (inquit,) *per gratiam Dei, quæ data est mihi; omnibus, qui sunt in vobis, non plus sapere quàm oportet sapere, sed sapere ad temperantiam: sicut unicuique Deus partitus est fidei mensuram. Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eosdem actus habent: ita multi unum corpus sumus in Christo; singuli autem, alter alterius membra, habentes dona diversa secundùm gratiam, quæ data est nobis.* Hoc est sacrificium Christianorum: *multi unum corpus in Christo.* Quod etiam sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, ubi ei demonstratur, quòd in ea re quam offert, ipsa offeratur.

(B) PSAL. IV. 6. Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino.

XLIX. 14. Immola Deo sacrificium laudis: et redde Altissimo vota tua.

L. 19. Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicies.

ECCLI. XXXV. 2. Sacrificium salutare est attendere mandatis, et discedere ab omni iniquitate. 3. Et propitiationem litare sacrificii super injustitias, et deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitia.

HEBR. XIII. 15. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo,

Secundùm strictam significationem, sacrificium est actus religionis specialis et ab aliis distinctus.

Quo sensu Sacrificium rectè definitur, oblatio rei exterioris et sensibilis, Deo facta per Ministrum legitimum, quâ res oblata vel mactatur, vel consumitur, vel exteriùs immutatur; ut hoc ritu et significetur subjici creaturam rationalem absoluto Dei dominio, et exhibeatur supremo Numini summus latriæ cultus, summum obsequium, cæteraque Deo debita reddantur, quantùm est in creatura rationali.

I. Cur ais Sacrificium esse *oblationem rei exterioris et sensibilis?*

R. Ut distinguatur sacrificium exterius et visibile, à sacrificio interiori et invisibili.

I. Quid est sacrificium interius et invisibile?

R. Est actus interior, quo nosmetipsos offerimus Deo, parati ipsi adhærere, et facere in omnibus quod placitum ei fuerit. (C) Hujus interioris sacrificii exemplar habemus in Christo, qui, ut ait Apostolus, (*Hebr.* x. 5. 6. *et* 7.) *ingrediens mundum dixit* interiùs Deo Patri: *Holocautomata et pro peccato non tibi placuerunt: tunc dixi: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam. Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.* (*Ps.* xxxix. 7. 8. *et* 9.) Hoc genus sacrificii tunc solùm, si strictè loquamur, offerimus, cùm Deum ex toto corde diligimus. Hinc toties, ait S. Augustinus: *Non colitur Deus nisi amando.* (*S. Aug. Epist.* 140. *aliàs* 120. *ad Honor. cap.* 18. *n.* 45.) (D) Non quòd fide, aliisque virtutibus non colatur Deus; sed quòd per charitatem perfectiùs colitur. Non alio sensu hunc Augustini textum, quem sæpiùs laudavimus, intelleximus.

I. Quid est sacrificium exterius?

R. Est oblatio rei exterioris et visibilis, quale erat olim

id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. 16. Beneficentiæ autem, et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus.

(C) S. Aug. *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 6. *Vide hocce* §. *litt.* (A)

(D) S. Aug. *Epist.* 140. *aliàs* 120. *ad Honoratum, cap.* 18. *n.* 45. *et alia opera. Vide suprà Part.* 2. *Sect.* 2. *Cap.* 4. §. 1. *litt.* (D)

In Ps. lxxvii. *n.* 20. *super v.* 35. *Et rememorati sunt, quia Deus adjutor eorum est, et Deus excelsus redemptor eorum est.* Sed hoc totum propter acquirenda temporalia bona et vitanda temporalia mala; nam qui propter beneficia terrena Deum quærebant, non utique Deum, sed illa quærebant. Eo modo timore servili, non liberali dilectione Deus colitur. Sic ergo Deus non colitur, hoc enim colitur quod diligitur. Undè quia Deus rebus omnibus major et melior invenitur, plus omnibus diligendus est ut colatur.

Lib. 10. *de Civit. Dei, cap.* 3. *aliàs cap.* 4. *n.* 2. *versùs finem.* Ut enim homo sese diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia quæ ageret, ut beatus esset. Non enim qui se diligit, aliud esse vult quàm beatus. Hic autem finis est adhærere Deo. Jam igitur scienti diligere seipsum, cùm mandatur de proximo diligendo sicut seipsum, quid aliud mandatur, nisi ut ei quantum potest, commendet diligendum Deum? Hic est Dei cultus, hæc vera religio, hæc recta pietas, hæc tantùm Deo debita servitus.

Sacrificium pecudum et volatilium, quale est nunc Sacrificium Corporis et Sanguinis Christi sub specie panis et vini.

Ut autem delectetur Deus hâc oblatione, necesse est eam et interiùs fieri. Actus enim ille quo res exterior offertur exteriùs Deo, debet ex intimo cordis affectu prodire; alioquin nullius est ex parte Ministri offerentis meriti apud Deum, qui opus externum ex mentis et cordis affectione pensitat. *Spiritus enim est Deus; et eos qui adorant, in spiritu et veritate oportet adorare: et Pater tales quærit, qui adorent eum.* Verba sunt Christi. (*Joan.* IV. 24. *Ibid.* 23.)

Qui ergo in veteri Testamento externis Sacrificiis Deo litabant, ii tunc solùm offerebant acceptum Deo Sacrificium, si externâ illâ oblatione significarent interiorem cordis affectum erga Deum, si sacrificium interius conjungerent cum exteriori illius signo. Hujus interioris sacrificii defectu plerumque contigit ut Judæorum exteriora Sacrificia omninò respuerentur à Deo. Id cùm ex aliis plurimis Scripturæ testimoniis, tum maximè ex capite 1° Isaïæ Prophetæ constat. (E)

Idem usu venit in Christianis. Cùm sacrosanctum Missæ Sacrificium offerunt per manus Sacerdotis, debent et ipsi cum Christo, et in Christo, et per Christum offerre semetipsos oblationem Deo. Id ni faciant acceptissimo quidem est Sacrificium Deo, quatenùs offertur ab ipso Christo, qui primus præcipuusque est, ut dicemus infrà (*Hujusce Cap.* §. 9.) hujus Sacrificii Sacerdos; sed quatenùs offertur à Christianis, rejicitur: quia ipsi rem sacratissimam faciunt animo à Dei cultu alieno. Adeoque constat omninò Sacrificium exterius, utpotè sacrum interioris sacrificii signum, non posse unquam ab interiori sacrificio ritè separari. (F)

(E) ISAI. I. 11. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum. Holocausta arietum, et adipem pinguium, et sanguinem vitulorum, et agnorum, et hircorum, nolui.

MICH. VI. 7. Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nunquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? 8. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat à te: utique facere judicium, et diligere misericordiam, et sollicitum ambulare cum Deo tuo.

JEREM. VII. 21. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Holocaustomata vestra addite victimis vestris, et comedite carnes. 22. Quia non sum locutus cum patribus vestris, et non præcepi eis, in die quâ eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum et victimarum. 23. Sed hoc verbum præcepi eis, dicens: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et vos eritis mihi populus: et ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut benè sit vobis.

PSAL. L. 18. Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis.

(F) S. AUG. *de Civit. Dei lib.* 10. *cap.* 5. Quis autem ita desipiat, ut existimet aliquibus usibus Dei esse necessaria, quæ in sacrificiis offeruntur? Quod cùm multis locis divina Scriptura testetur, ne longum faciamus, breve illud de Psalmo commemorare sufficerit: *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* (*Ps.* XV. 2.) Non solùm igitur pecore, vel qualibet aliâ re corruptibili atque terrenâ, sed ne ipsa

I. Cur ais Sacrificium esse oblationem *Deo factam?*

R. Quia soli Deo debetur supremus latriæ cultus, quem Sacrificio veluti tesserâ testatum voluerunt omnes omninò populi, etiam ethnici, unanimi consensione. Nec ob aliud dæmones superbè sibi sacrificia exigunt, nisi quia volunt pro Deo coli et adorari. *Quis verò*, inquit S. Augustinus, *sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut putavit, aut finxit.* (*S. Aug. lib.* 1. *de Civit. Dei, cap.* 4.) (G)

quidem justitiâ hominis Deus egere credendus est, totumque quod rectè colitur Deus, homini prodesse, non Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit; aut luci si viderit. Nec quòd ab antiquis Patribus talia sacrificia facta sunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legit, non facit, aliud intelligendum est, nisi rebus illis eas res fuisse significatas, quæ aguntur in nobis, ad hoc ut inhæreamus Deo, et ad eumdem finem proximo consulamus. Sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum est. Undè ille pœnitens apud Prophetam, vel ipse Propheta quærens Deum peccatis suis habere propitium (*Ps.* L. 18. *et* 19.): *Si voluisses*, inquit, *sacrificium, dedissem utique; holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non spernet.* Intueamur quemadmodum ubi Deum dixit nolle sacrificium, ibi Deum ostendit velle sacrificium. Non vult ergo sacrificium trucidati pecoris, sed vult sacrificium contriti cordis. Illo igitur quod eum nolle dicit, hoc significatur quod eum velle subjecit.... In Epistola quæ inscribitur ad Hebræos: *Bene facere*, inquit, *et communicatores esse nolite oblivisci: talibus enim sacrificiis placetur Deo.* (*Hebr.* XIII. 16.) Ac per hoc ubi scriptum est, *Misericordiam volo quàm sacrificium* (*Osee.* VI. 6.); nihil aliud quàm sacrificio sacrificium prælatum oportet intelligi: quoniam illud quod appellatur sacrificium, signum est veri sacrificii. Porrò autem misericordia verum sacrificium est: undè dictum est, quod paulò antè commemoravi, *Talibus enim sacrificiis placetur Deo.*

Cap. 6. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (A)

Cap. 19. Qui autem putant hæc visibilia sacrificia diis aliis congruere, illi verò tanquam invisibili invisibilia, et majori majora, meliorique meliora, qualia sunt puræ mentis, et bonæ voluntatis officia: profectò nesciunt, hæc ita esse signa illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. Quocircà sicut orantes, atque laudantes ad eum dirimus significantes voces, cui res ipsas, in corde quas significamus, offerimus: ita sacrificantes non alteri visibile sacrificium offerendum esse voverimus, quàm illi cujus in cordibus nostris invisibile sacrificium nos ipsi esse debemus. Tunc nobis favent nobisque congaudent, atque ad hoc ipsum nos pro suis viribus adjuvant Angeli quique virtutesque superiores et ipsâ bonitate ac piétate potentiores. Si autem illis hæc exhibere voluerimus, non libenter accipiunt, et cùm ad homines ita mittuntur, ut eorum præsentia sentiatur, apertissimè velant. Sunt exempla in litteris sanctis. Putaverunt quidam deferendum Angelis honorem, vel adorando, vel sacrificando, qui debetur Deo, et eorum sunt admonitione prohibiti, jussique hoc ei deferre, cui uni fas esse noverunt. (*Apoc.* XIX. *et* XXII.) Imitati sunt Angelos sanctos etiam sancti homines Dei. (*Act.* XIV.) Nam Paulus et Barnabas in Lycaonia facto quodam miraculo sanitatis, pulati sunt Dii, eisque Lycaonii immolare victimas voluerunt; quod à se humili pietate removentes, eis in quem crederent annuntiaverunt Deum. Nec ob aliud fallaces illi superbè sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt. Non enim reverà, ut ait Porphyrius, et nonnulli putant, cadaverinis nidoribus, sed divinis honoribus gaudent. Copiam verò nidorum magnam habent undique, et si ampliùs vellent, ipsi sibi poterant exhibere. Qui ergo divinitatem sibi arrogant spiritus, non cujuslibet corporis fumo, sed supplicantis animo delectantur, cui deceptoque subjectoque dominentur, intercludentes iter ad Deum verum, ne sit homo illius sacrificium, dùm sacrificatur cuipiam præter illum.

(G) S. Aug. *de Civitat. Dei, lib.* 10. *cap.* 4. Sacrificium cerlè nullus

I. Cur ais Sacrificium esse oblationem Deo factam *per Ministrum legitimum*?

R. Quia ex Dei ipsius institutione, Sacrificium exterius offerri debuit à nemine, nisi qui ad id muneris fuerit Dei nutu destinatus.

In lege Mosaïca solis licuit Sacerdotibus ex genere Aaron offerre Deo sacrificia. Ante Moysen et sub lege quam naturæ dicimus, fuisse Ministros Dei nutu ad Sacrificia destinatos, vel ex eo liquet quòd Melchisedech Sacerdos Dei altissimi fuisse dicatur, quod utique non diceretur si nemini non licuisset Sacerdotis officio fungi. Qui sub lege naturæ Sacerdotes fuerint non planè constat; altum enim ea de re silentium in Scripturis. Id concessum fuisse muneris vulgò creditur illis qui cujusque familiæ caput essent; nec obstat quòd legantur fratres duo Caïn et Abel obtulisse sacrificia : nam singulos ex Eva et Adam immediatè genitos pro patribus-familias habitos fuisse constat, in totum orbem mox cum sua familia dispergendos. Quidquid sit de ea quæstione, certè quæ de Sacerdotio Melchisedech dicuntur in Scripturis, ea non obscurè innuunt Sacerdotium Dei summi non singulorum munus fuisse.

Et hæc quidem ratio est cur dæmones, qui supremum latriæ et sacrificiorum cultum soli Deo debitum sibi impiè arrogarunt, suos et ipsi habere voluerint sacrilegorum sacrificiorum Ministros, quos Sacerdotes et Pontifices Judæorum instar appellavêre.

I. Cur ais Sacrificium esse ritum quo res oblata *vel mactatur, vel consumitur, vel exteriùs immutatur ?*

R. Ut distinguatur Sacrificium strictè sumptum à simplici oblatione. Rem fusiùs et distinctiùs explico. Cùm Aaron Levitas omnes obtulit Deo in tabernaculi ministerium, nomine totius gentis (H), hoc non Sacrificium fuit, sed simplex

hominum est qui audeat dicere deberi, nisi Deo. Multa denique de cultu divino usurpata sunt, quæ honoribus deferrentur humanis, sive humilitate nimiâ, sive adulatione pestiferâ; ita tamen ut quibus ea deferrentur, homines haberentur, qui dicuntur colendi et venerandi; si autem eis multùm additur, et adorandi; quis verò sacrificandum censuit, nisi ei quem Deum aut scivit, aut putavit, aut finxit?

Cap. 19. *Vide super. litterâ* (F) *et lib.* 20. *contra Faustum Manich. cap.* 21. *Vide superiùs Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 3. *litt.* (H)

(H) Num. viii. 21. Purificatique sunt (Levitæ) et laverunt vestimenta sua. Elevavitque eos Aaron in conspectu Domini, et oravit pro eis, 22. ut purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis, coram Aaron et filiis ejus.

Exod. xxix. 18. Offeres totum arietem in incensum super altare : oblatio est Domino, odor suavissimus victimæ Domini.... 25. Suscipiesque universa de manibus eorum : et incendes super altare in holocaustum, odorem suavissimum in conspectu Domini, quia oblatio ejus est..... 41. Alterum verò agnum offeres, ad vesperam juxta ritum matutinæ oblationis, et juxta ea quæ diximus, in odorem suavitatis.

Levit. i. 9.... Adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino... 13.... Et oblata, in holocaustum et odorem suavissimum Domino..... 17..... Et adolebit (avem) super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino.

oblatio ; quia nec mactati Levitæ, nec quidquam illis mutationis exteriùs accidit hâc oblatione. Idem dicendum de facta ab Israëlitis in usum tabernaculi oblatione auri, argenti, æris, purpuræ, etc. Cùm autem mactabantur animalia, ac imponebantur altari concremanda vel in totum vel ex parte ; cùm farina simul cum thure et sale incendebatur ; cùm fuso sanguine, vino et aquâ vel super vel circa altare, Deo litabatur ; hæc vera erant Sacrificia : quia res oblatæ vel mactabantur, vel consumebantur ; vel quia aliud illis accidebat mutationis genus.

Cæterùm hæc Sacrificia fiebant ut plurimùm verâ rei oblatæ consumptione. Sic tradebantur igni super altare et animalia priùs oblata, et in Sacrificiis incruentis, farina, sal, oleum, vinum, aqua, etc.

Aliquando ideò solùm res Deo oblata consumebatur, ut illâ consumptione produceretur res alia, cujus oblatio præcipuus erat sacrificantis scopus. Verbi gratiâ, cùm offerebatur Deo Sacrificium thuris et thymiamatum, ideò thus et thymiama incendebantur, ut ex eorum consumptione prodiret vapor odoriferus, qui ascenderet ad Deum, et ab eo susciperetur, ut inquit Scriptura, *in odorem suavitatis* (*Exod.* XXIX. 41.) ; imò id precabantur Deum omnes qui hostias incendebant, ut earum fumus susciperetur à Deo in odorem suavitatis : quæ omnia fusiùs infrà explicabimus (*Hujusce Cap.* §. 4. *etc.*), dicemusque cujus rei fumus ille thuris et victimarum typus esset. Eâdem ratione in sacrosancto Missæ Sacrificio, ideò solùm panis et vinum offeruntur Deo, ut per consecrationem transmutentur in corpus et sanguinem Christi, cujus corporis et sanguinis oblatio magnum illud Christi et Ecclesiæ Sacrificium est, de quo plura dicemus infrà. (*Hujusce Cap.* §. 9.)

Aliquando vera quoque Sacrificia fiebant, sine rei oblatæ consumptione reali. Sufficiebat immolatio quædam mystica, in eo posita quòd accidebat rei oblatæ mutatio quædam statûs et conditionis, quâ res velut immolata censebatur. Tale erat in lege Mosaïca Sacrificium hirci emissarii, qui voce Hebræâ Protestantibus notiore *Hazazel* hircus dicebatur. Hunc oblatum Deo summus Hebræorum Pontifex nec immolabat, nec tradebat flammis, sed totius populi peccatis cumulatum emittebat in desertum. Hæc hirci in desertum emissio videbatur esse immolatio quædam et destructio mystica respectu populi, cujus oculis hircus non subjiciebatur ampliùs. Hic autem ritus verum erat sacrificium, de quo dicemus infrà fusiùs. (*Hujusce Cap.* §. 4.)

III. 5. Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito : in oblationem suavissimi odoris Domino.... 16. Adolebitque ea super altare Sacerdos, in alimoniam ignis, et suavissimi odoris.

IV. 31. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suavitatis Domino.

I. Quo nomine appellatur ea res quæ offertur in sacrificium ?

R. Appellatur Victima et Hostia. Sed victimæ nomen solis viventibus hostiis competit. Hostiæ autem dicuntur res omnes in sacrificium oblatæ, sive vitam habuerint sive non.

I. Quomodo appellatur actus quo victima cæditur ?

R. Appellatur immolatio.

I. Quo nomine designatur Minister qui victimam immolat, vel hostiam destruit igni tradendo ?

R. Sacerdos, Sacrificus, Pontifex. Sed usu in Scripturis recepto Pontificis nomen soli Sacerdoti summo per excellentiam tribuitur. (I)

I. Cur ais sacrificium esse oblationem Deo factam, ut eo ritu *et significetur subjici creaturam rationalem absoluto Dei dominio, et exhibeatur supremo Numini summus latriæ cultus, summum obsequium, cæteraque Deo debita reddantur, quantùm est in creatura rationali ?*

R. Quia nihil est quo isthæc omnia exhibeantur Deo significantiùs et distinctiùs quàm Sacrificium.

I. Exhibenturne sacrificio interiori, an exteriori ?

R. Utroque exhibentur.

Sacrificio quidem interiori ; neque enim possumus significare efficaciùs quantùm subjiciamur supremo Numini, quantoque prosequamur illud cultu, quàm si nos illi planè devoveamus, tradamusque illi absolutè et sine ulla exceptione totum id quod sumus. Hoc autem agimus Deum super omnia diligendo, in quo positam esse hujus interioris sacrificii rationem jam diximus. (*Initio hujus* §.)

Sacrificio autem exteriori : nam hoc externo ritu significamus quomodo interiùs affecti simus erga Deum. Hinc sacrificium exterius interioris sacrificii sacrum signum esse docet S. Augustinus. (*S. Aug. de Civit. Dei lib.* 10. *c.* 5. *Vide hocce* §. *litt.* (F)

I. Quomodo hoc externo ritu significamus quæ sit interior nostra erga Deum affectio ?

R. Quia exterioris hostiæ seu immolatione, seu aliâ quâvis destructione, seu reali seu mysticâ, declaramus,

1° Deum esse supremum omnium Dominum, ante quem cætera omnia quasi nihilum sint. (K)

2° Deum neutiquam egere bonis nostris, siquidem illa offerendo destruimus, occidimus, igni tradimus. (L)

3° Jus supremum vitæ et necis penès Deum esse ; nosque sic affectos esse, ut parati simus vitam profundere quoties ille jusserit.

(I) Levit. xxi. 10. Pontifex, id est, Sacerdos maximus.

(K) Psalm. xxxviii. 6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos : et substantia mea tanquam nihilum ante te. Verumtamen universa vanitas, omnis homo vivens.

(L) Psalm. xv. 2. Dixi Domino : Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

4° Nos merito peccati esse obnoxios morti, et indignos vitâ et luce. Cumque nefas sit nobismetipsis inferre necem, victimam aliam à nobis substitui, quæ pro nobis moriatur, et cujus morte supplices petimus Divinæ justitiæ satisfieri.

5° Cùm usus vitæ nobis misericorditer concessus sit, eo nos non esse abusuros profitemur, sed in Dei obsequium paratos esse illam impendere, et quidquid facturi sumus id nos esse pro Dei gloria facturos, quemadmodùm hostia sacrificio oblata tota consumitur in honorem Dei.

I. Ergo qui exteriora illa sacrificia faciebant, aliter interiùs affecti quàm ex dictis patet affectos esse debuisse, illi externo illo sacrificiorum ritu non placabant Deum, nullumque ei cultum exhibebant?

R. Nec placabant Deum, nec colebant ut oportet : imò sæpè provocabant ad iram, ut diximus. (*Initio hujus* §.) Nihil enim Divinam indignationem provocat magis quàm cultus mendax et hypocritus, quo exteriùs significatur id quod non interiùs cogitatur. Hinc plerumque respuebat Deus sacrificia Judæorum. (M)

I. Quid aliud obsequii exhibemus Deo per Sacrificium?

R. Gratias agimus pro acceptis beneficiis. Misericordiam imploramus pro remissione peccatorum. Petimus necessaria ad salutem animæ et corporis. (N)

§. 2. An teneamur offerre Deo Sacrificium interius.

I. Tenemurne offerre Deo Sacrificium aliquod?

R. Nullum est officii genus, quod adimplere et diligentiùs et sanctiùs teneatur creatura rationalis, quàm debitum offerendi sacrificii interioris, id est, Deum super omnia diligendi. *Hoc* enim *est maximum et primum mandatum.* (*Matth.* XXII. 38.)

I. Quodnam est hujus debiti officii fundamentum?

R. Multiplex est.

1. Ideò solùm conditæ sunt creaturæ ratione præditæ, ut suum conditorem et colant et adorent et glorificent. Non possunt autem Deum et glorificare, nisi per actum liberum voluntatis, atque adeò amoris.

2. Æquum est unaquæque suum servare ordinem, et creaturam rationalem suo subjici Creatori; non subjicitur autem Creatori, nisi planè velit quod Deus vult. Tunc autem voluntati Divinæ voluntas nostra omninò cohæret, cùm Deum super omnia diligimus.

3. Æquum est solvi debita. Nihil autem habemus quod non acceperimus à Deo, imò quod Dei non sit. Debemus ergo

(M) ISAI. XIX. 13. *et* MATTH. XV. 8. Populus hic labiis me honorat : cor autem eorum longè est à me.

S. AUG. *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap. laudatis hocce* 2.

(N) *Quæ hocce* §. *diximus, et sequentibus dicturi sumus de Sacrificio, maximâ ex parte mutuati sumus è libro Gallicè inscripto*, Les Conferences de la Rochelle, *Rupellanæ Diœcesis collationes, quem adire poterunt, qui hæc fusiùs tractata legere volent.*

Deo quidquid sumus. Non possumus autem reddere Deo quod sumus, nisi adhæreamus ipsi per amorem : alioqui damus alteri quod Dei est, nempè cor nostrum. Hoc ergo primum debemus Deo sacrificium, ut ipsi ex tota cordis affectione adhæreamus : sic reddimus Deo quidquid accepimus à Deo, sic tribuimus Deo quod ejus est. Sic gratum ipsi exhibemus pro acceptis donis animum.

4. *In multis offendimus omnes* (*Jacob.* III. 2.) ; non est enim homo qui non peccet (3. *Reg.* VIII. 46.), et non egeat gratiâ et misericordiâ Dei. Placanda Numinis ira est. Non potest autem placare Deum nisi amor exhibitus. Cùm cessamus ab amore Dei, tunc Deum offendimus : cum incipimus eum iterum diligere, tunc placamus, et propitium reddimus.

5. Novis in dies auxiliis et beneficiis indigemus ; non possumus autem divina nobis promereri beneficia, nisi amore adhæreamus Deo.

Ex his omnibus liquet quanta sit sacrificii interioris necessitas :

1. Ut colatur supremum Numen, et adoretur.
2. Ut reddantur ei debitæ gratiarum actiones.
3. Ut obtineatur peccatorum remissio.
4. Ut impetrentur auxilia ad salutem animæ et corporis necessaria.

I. Estne aliquod immolationis genus in oblatione sacrificii interioris ?

R. Angeli interius amoris sacrificium offerunt Deo sine ullo immolationis genere. Neque enim et quidquam in eorum voluntate quod mutari vel destrui possit. Et nimirùm voluntas eorum omnimodè subjecta Deo, nec habet quidquam quod supremo Numini repugnet. Idem dicendum de homine, si stetisset in statu innocentiæ, in quo recta omnia, nihil adversum Dei voluntati.

Sed ex quo per peccatum excidimus ab illo felici statu, jam miserè experimur *legem in membris* nostris *repugnantem legi mentis* nostræ (*Rom.* VII. 23.), legi Dei. Adeoque non possumus referre Deo sacrificium interius amoris, quin coërceamus insurgentes concupiscentiæ æstus, eosque quantùm in nobis est eradicemus, et, ut ita dicam, immolemus. Non possumus, inquam, diligere Deum, ut par est, quin moriamur nobis, et vincamus concupiscentiam, et quidquid divinæ voluntati repugnat, id omne destruendo, mactando superemus. Hac spirituali mactatione et morte fit ut interior affectio, quâ Deum ex toto corde diligimus, veram habeat strictè sumpti sacrificii rationem.

I. Quandonam debemus offerre interius hoc sacrificium Deo ?

R. Semper et ubique vacandum huic officio : nullum enim tempus, locus nullus est, quo non debeamus Deum super

omnia diligere, ipsi adhærere, illi referre nos nostraque omnia, in omnibus ejus exsequi voluntatem, illius paternæ providentiæ subjici, et ad isthæc omnia ritè exsequenda cupiditates vincere, vim nobis continuam inferendo.

Fieri tamen non potest, ut continuis amoris actibus ad Deum mens nostra tendat, nec Deus hoc jubet. Sufficit si quidquid agimus ad Dei gloriam et honorem referatur; et actus amoris eliciamus identidem, ut his repetitis actibus mens revocetur ad Deum, et fidei, spei et charitatis ignis à nimio tempore suscitetur.

§. 3. An teneamur offerre Deo Sacrificia exteriora. Quæ fuerint hæc Sacrificia ante et post legem Moysi.

I. Tenemurne offerre Deo Sacrificium aliquod exterius?

R. Tenemur. *Nec ob aliud*, inquit S. Augustinus, *fallaces illi* (dæmones) *superbè sibi hoc exigunt, nisi quia vero Deo deberi sciunt.* (*S. Aug. lib.* 10. *de Civit. Dei cap.* 19.)

I. Quæ est hujus debiti ratio?

R. In eo posita est quòd teneamur publico aliquo et patenti signo demonstrare quomodo affecti simus erga Deum.

I. Cur interiorem hunc affectum tenemur exteriori aliquo signo prodere?

R. 1° Ut exteriori illo signo ipsi efficaciùs moveamur ad interiorem affectum erga Deum altiùs retinendum.

2° Ad ædificationem proximi, ut ille exemplo nostro excitetur ad Dei cultum.

3° Ut obediamus Deo, qui exigit à nobis cultum non internum modò, sed et externum.

I. Nunquid ad exteriorem illum cultum, et interioris significationem, et exemplum proximi necesse fuit offerri exteriùs sacrificia? Quid vetat isthæc omnia alio ritu externo significari?

R. Nihil est quo isthæc omnia significentur expressiùs quàm sacrificio externo, ut diximus suprà (§. 1. *hujusce Cap.*), ubi de honore supremo Numini exhibito per sacrificium exterius egimus. Et hæc quidem populorum omnium consensio fuit, non posse coli Deum, ut par est, sine sacrificii oblatione.

I. Quæ res offerri Deo in sacrificium debent?

R. Ante Moysen licitum erat unicuique offerre Deo in sacrificium quod quisque judicaret Divinæ Majestati convenientius, et aptum magis ad placandum Deum, et ad significationem grati animi. Abel offerebat quidquid haberet optimum in pecoribus. Caïn de frugibus terræ sacrificium faciebat. Egressus ex arca Noë volatilia et pecora immolavit. Melchisedech panem et vinum obtulit. In lege scripta Deus ipse per Moysen multa de sacrificiis sanxit, constituitque quæ essent victimæ et hostiæ offerendæ, et quo ritu. Tandem vetera illa sacrificia velut umbra cesserunt Christi

sacrificio, cujus typus erant, et à quo vim omnem et efficaciam acceperant. Nec jam licet offerre Deo aliam victimam quàm Christum ipsum, qui suo sacrificio vetera isthæc omnia sacrificia consummavit et perfecit, et id egit ut cultum Deo jam exhibere possimus. (A)

I. Cur jam non licet offerre sicut priùs pecora et volatilia in sacrificium ?

R. Quia vetera ista sacrificia non accepta erant Deo, nisi intuitu Christi cujus typus erant; ea Christus fuso in sacrificium proprio sanguine antiquavit. Cessit umbra veritati. Injuriosus jam esset in Christum qui aliud offerret Deo sacrificium ab eo quod Christus obtulit.

I. Cur ais vetera sacrificia non fuisse Deo accepta, nisi intuitu Christi cujus typus erant?

R. Quia, ut ait Apostolus (*Hebr.* x. 4.), *Impossibile est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata;* nec poterant homines proprià virtute placare Deum per interius cordis sacrificium : necesse erat eos priùs reconciliari Deo per sanguinem Mediatoris. Adeoque non aliam ob causam accepta poterant esse Deo vetera hæc sacrificia, quàm quòd iis significarent homines et interiorem suum affectum erga supremum Numen, et fidem in Christum venturum his sacrificiis expressum et adumbratum, et, ut ita dicam, immolatum. Ex solo Christi sanguine vim habebant isthæc sacrificia ad reconciliandos Deo peccatores, nec priùs suum omnem habuit effectum hæc reconciliatio, quàm sanguis Christi reipsà funderetur. Hinc Sanctos omnes, qui sub veteri Testamento vixerunt, exspectare necesse fuit donec Christus, excusso mortis et inferorum jugo, in cœlum victor ascendens captivam secum duceret captivitatem (*Ephes.* IV. 8.), id est, captivos ab inferis eductos secum triumphans duceret in cœlum, cujus ipsis aditum suo sanguine devictâ morte reseraverat, ut canit Ecclesia. (*In Collecta Paschæ.*) (B)

(A) S. Aug. *lib.* 10. *de Civitat. Dei, cap.* 19. *Vide hujusce Cap.* §. 1. *litt.* (F) *Cap.* 20. Undè verus ille mediator, in quantum formam servi accipiens *mediator effectus est Dei et hominum homo Christus Jesus* (1. *Tim.* II. 5.), cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo et unus Deus est, tamen in forma servi sacrificium maluit esse quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc et Sacerdos est, ipse offerens, ipse et oblatio. Cujus rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiæ sacrificium : quæ cùm ipsius capitis corpus sit, seipsam per ipsum discit offerre. Hujus veri Sacrificii multiplicia variaque signa erant sacrificia prisca Sanctorum, cùm hoc unum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res una diceretur, ut sine fastidio multùm commendaretur. Huic summo veroque sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt.

(B) Hebr. VI. 18.... Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem : 19. quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis : 20. Ubi præcursor pro nobis introivit Jesus, secundùm ordinem Melchisedech Pontifex factus in æternum.

VII. 1. *Vide suprà hujusce Operis Part.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 23. *litt.* (G) 11. Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat, (populus enim sub ipso legem accepit,) quid adhuc necessarium fuit, secundùm

ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, et non secundùm ordinem Aaron dici ? 12. Translato enim Sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat. 13. In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præstò fuit. 14. Manifestum est enim quòd ex Judâ ortus sit Dominus noster : in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est. 15. Et ampliùs adhuc manifestum est : si secundùm similitudinem Melchisedech exsurgat alius Sacerdos, 16. qui non secundùm legem mandati carnali factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis. 17. Contestatur enim : Quoniam tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. (*Ps.* CIX. 4.) 18. Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, et inutilitatem : 19. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum. 20. Et quantum est non sine jurejurando, alii quidem sine jurejurando Sacerdotes facti sunt ; 21. hic autem cum jurejurando per eum, qui dixit ad illum : Juravit Dominus, et non pœnitebit eum ; tu es Sacerdos in æternum,) (*Ibid.*) 22. in tantùm melioris testamenti sponsor factus est Jesus. 23. Et alii quidem plures facti sunt Sacerdotes, ideircò quòd morte prohiberentur permanere : 24. Hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. 25. Undè et salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum ; semper vivens ad interpellandum pro nobis. 26. Talis enim decebat ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus : 27. qui non habet necessitatem quotidiè, quemadmodùm Sacerdotes (*Levit.* XVI. 6.), priùs pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi : hoc enim fecit semel, seipsum offerendo. 28. Lex enim homines constituit Sacerdotes infirmitatem habentes : sermo autem jurisjurandi, qui post legem est, Filium in æternum perfectum.

VIII. 1. Capitulum autem super ea quæ dicuntur : Talem habemus Pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cœlis. 2. Sanctorum minister, et tabernaculi veri, quod fixit Dominus, et non homo. 3. Omnis enim Pontifex ad offerendum munera et hostias constituitur : undè necesse est, et hunc habere aliquid quod offerat. 4. Si ergo esset super terram, nec esset Sacerdos : cùm essent qui offerrent secundùm legem munera, 5. qui exemplari et umbræ deserviunt cœlestium.... 6. Nunc autem melius sortitus est ministerium, quantò et melioris testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sanctum est. 7. Nam si illud prius culpâ vacasset, non utique secundi locus inquireretur. 8. Vituperans enim eos dicit : Ecce dies venient, dicit Dominus (*Jerem.* XXXI. 31.) : et consummabo super domum Israël, et super domum Juda, testamentum novum.... 13. Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur et senescit, propè interitum est.

IX. 1. Habuit quidem et priùs, justificationes culturæ, et Sanctum seculare. 2. Tabernaculum enim factum est primum, in quo erant candelabra, et mensa, et propositio panum, quæ dicitur sancta. 3. Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum : 4. Aureum habens thuribulum, et arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens manna, et virga Aaron, quæ fronduerat, et tabulæ testamenti. 5. Superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium : de quibus non est modò dicendum per singula. 6. His verò ita compositis, in priori quidem tabernaculo semper introïbant Sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes : 7. In secundo autem semel in anno solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro sua et populi ignorantia : 8. Hoc significante Spiritu sancto, nondùm propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum. 9. Quæ parabola est temporis instantis : juxta quam munera, et hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxta conscientiam perfectum facere servientem, solummodò in cibis, et in potibus, 10. et variis baptismatibus, et justitiis carnis usque ad tempus correptionis impositis. 11. Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis : 12. Neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introïvit semel in Sancta, æternâ redemptione inventâ. 13. Si enim sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulæ asper-

§. 4. Explicantur specialiùs Sacrificiorum Judaïcorum ritus.

I. Dic, quæso, paulò fusiùs quæ fuerint olim Sacrificia Judæorum lege constituta ?

R. Duplex fuit apud Judæos Sacrificiorum genus : cruentum aliud, aliud incruentum. Cruenta sacrificia sanguinis effusione constabant. Fiebant incruenta sine sanguinis effusione.

Cruentum sacrificium triplex fuit.

1. Holocaustum.

2. Sacrificium hostiæ pacificorum.

3. Sacrificium pro peccato.

Holocaustum Sacrificii genus fuit, quo victima post immolationem tota subjiciebatur igni donec omninò consumpta

sus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis : 14. quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi ? 15. Et ideò novi testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hæreditatis.... 23. Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari : ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quàm istis. 24. Non enim in manufacta Sancta Jesus introïvit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis : 25. Neque ut sæpè offerat semetipsum, quemadmodùm Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno ; 26. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi : nunc autem semel in consummatione seculorum, ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit. 27. Et quemadmodùm statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium : 28. Sic et Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata ; secundò sine peccato apparebit exspectantibus se, in salutem.

x. 1. Umbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum ; per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere : 2. Alioquin cessassent offerri, ideò quòd nullam haberent ultra conscientiam peccati, cultores semel mundati : 3. Sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit. 4. Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata. 5. Ideò ingrediens mundum dicit : Hostiam et oblationem noluisti ; corpus autem aptasti mihi. (*Ps.* xxxix. 7.) 6. Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. 7. Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri scriptum est de me : Ut faciam, Deus, voluntatem tuam. (*Ibid.* 8. *et* 9.) 8. Superiùs dicens : Quia hostias et oblationes, et holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundùm legem offeruntur : 9. Tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam : aufert primum ut sequens statuat. 10. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel. 11. Et omnis quidem Sacerdos præstò est quotidiè ministrans, et easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata : 12. Hic autem unam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei, 13. de cætero exspectans donec ponantur inimici ejus scabellum pedum ejus. (*Ps.* cix. 2.) 14. Unà enim oblatione, consummavit in sempiternum sanctificatos. 15. *et seq. vide suprà* §. 5. *Cap. prælim. hujusce Partis, litt.* (K)

Domn. Joan. Mabillon. Mon. Bened. Cong. S. Mauri. *Liturg. Gallic. lib.* 3. *n.* 10. S. Leander Episc. Hispal. Reg. suæ cap. 7. *de Sacrificiis veteris legis obiter agens*, Sacrificia certè, *inquit*, idcircò pecudum litantur, quia verum sacrificium, hoc est, Christi corpus et sanguinem figurabant. Venit veritas, umbra discessit, venit verum sacrificium et cessavit hostia pecudum : *quod manifestè, non de sacrificio crucis, sed de sacrificio Missæ intelligendum est*, ait D. Joan. Mabillon.

fuisset ; ut hac victimæ immolatione et absolutâ consumptione supremo Numini planè litaretur, et summum obsequium, omnimoda servitus, adoratio perfecta deferretur Deo, quantùm esset in homine. (A) In aliis sacrificiis tradebatur igni pars victimarum ; pars reliqua reservabatur aliis usibus, de quibus dicemus infrà. (*Hocce* §.)

Sacrificium hostiæ pacificorum institutum fuit ut agerentur Deo gratiæ pro acceptis bonis, vel nova ab ipso beneficia impetrarentur. (B) Vocabatur autem Sacrificium hostiæ PACIFICORUM, quia vox Hebræa.... *Schelem*, quo nomine designabatur hoc Sacrificium, significat pacem, salutem, incolumitatem, omne bonorum et perfectionis genus : offerebatur autem hoc Sacrificium pro bonis vel acceptis vel accipiendis.

Sacrificium pro peccato illud erat quod pro peccatorum expiatione erat institutum. (C)

(A) *Vide infrà hocce* §. *litt.* (G) LEVIT. I. 1. *et* VII. 8.

(B) LEVIT. III. 1. Quòd si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, et de bobus voluerit offerre, marem sive feminam, immaculata offeret coram Domino. 2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introïtu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron Sacerdotes sanguinem per altaris circuitum. 3. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, et quidquid pinguedinis est intrinsecùs. 4. Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, et reticulum jecoris cum renunculis. (*Exod.* XXIX. 13.) 5. Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito : in oblationem suavissimi odoris Domino. *Cætera in idem recidunt, quæ proindè hîc exscribere supersedimus.*

(C) LEVIT. IV. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Loquere filiis Israël : Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, et de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quidpiam fecerit : 3. Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino : 4. Et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino : ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino. 5. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii. 6. Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum sanctuarii. 7. Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introïtu tabernaculi. 8. Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit, quàm omnia quæ extrinsecùs sunt : 9. Duos renunculos, et reticulum quod est super eos juxta ilia, et adipem jecoris cum renunculis, 10. Sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum : et adolebit ea super altare holocausti. 11. Pellem verò et omnes carnes, cum capite et pedibus et intestinis et fimo, 12. et reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum, ubi cineres effundi solent : incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur. 13. Quòd si omnis turba Israel ignoraverit, et per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, 14. et posteà intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi. 15. Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, 16. inferet Sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii, 17. tincto digito aspergens septies contra velum. 18. Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii : reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii. 19. Omnemque ejus adipem

I. Quinam præcipui fuerunt cruentorum sacrificiorum ritus?

R. Hæc in omnibus sacrificiis cruentis observabantur, excepto sacrificio vaccæ rufæ, et sacrificio pro domibus infectis leprâ, de quibus dicemus infrà. (*Hujusce Cap.* §. 6.)

Qui cruentum sacrificium offerri pro se postulabat, is positâ manu super caput victimæ ante ostium tabernaculi, victimam tradebat Sacerdoti, qui eam immolabat coram Domino ad altare Holocaustorum, offerebatque sanguinem ejus fundens per altaris circuitum. (D)

Si Sacerdos ipse vellet offerre pro se Sacrificium, addu-

tollet, et adolebit super altare : 20. Sic faciens et de hoc vitulo quomodo fecit et priùs : et rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus. 21. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut et priorem vitulum : quia est pro peccato multitudinis. *Eadem planè tradunt versus sequentes.*

v. 1. Si peccaverit anima, et audierit vocem jurantis, testisque fuerit quòd aut ipse vidit, aut conscius est : nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam. 2. Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum à bestia est, aut per se mortuum, aut quolibet aliud reptile : et oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, et deliquit. 3. Et si tetigerit quidquam de immunditia hominis juxta omnem impuritatem quâ pollui solet, oblitaque cognoverit posteà, subjacebit delicto. 4. Anima, quæ juraverit, et protulerit labiis suis, ut vel malè quid faceret, vel benè, et idipsum juramento et sermone firmaverit, oblitaque posteà intellexerit delictum suum, 5. agat pœnitentiam pro peccato, 6. et offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea Sacerdos et pro peccato ejus : 7. Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, et alterum in holocaustum (*Luc.* II. 24.). 8. dabitque eos Sacerdoti : qui primum offerens pro peccato, retorquebit caput ejus ad pennulas, ita ut collo hæreat, et non penitùs abrumpatur. 9. Et asperget de sanguine ejus parietem altaris. Quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato est. 10. Alterum verò adolebit in holocaustum, ut fieri solet : rogabitque pro eo Sacerdos et pro peccato ejus, et dimittetur ei. 11. Quòd si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato suo similæ partem ephi decimam : non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est. 12. Tradetque eam Sacerdoti : qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare, in monimentum ejus qui obtulerit, 13. rogans pro illo et expians ; reliquam verò partem ipse habebit in munere. 14. Loculusque est Dominus ad Moysen, dicens : 15. Anima, si prævaricans cæremonias, per errorem, in his quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus Sanctuarii : 16. Ipsumque quod intulit damni restituet, et quintam partem ponet suprà, tradens Sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, et dimittetur ei. 17. Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, et peccati rea intellexerit iniquitatem suam, 18. offeret arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, juxta mensuram æstimationemque peccati : qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit : et dimittetur ei, 19. quia per errorem deliquit in Dominum.

(D) LEVIT. I. 4. Ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. 5. Immolabitque vitulum coram Domino : et offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi.

III. 2. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron Sacerdotes sanguinem per altaris circuitum. *Cætera vide suprà litt.* (B) *hocce* §.

cebat victimam ad ostium tabernaculi, positâque manu super caput victimæ immolabat eam Domino, fundens et offerens sanguinem, ut suprà. (E)

Si pro populo universo Sacrificium esset faciendum, adducebatur victima ante ostium tabernaculi, ponebantque seniores populi manus super caput victimæ, quam deindè Sacerdos immolabat, offerebatque fuso sanguine, ut suprà. (F)

Isthæc communia erant omnibus sacrificiis cruentis.

Hæc autem specialia singulis.

In Holocausto victima tota, ut diximus, imponebatur altari igne penitùs absumenda, detractâ priùs pelle, quæ Sacerdotis in dominium veniebat. Ex hujus victimæ carnibus non licebat comedere quidquam. (G)

In Sacrificiis Eucharisticis, seu pacificis, itemque in Sacrificiis quæ singuli pro suis peccatis offerri cupiebant, pars victimæ immolatæ imponebatur altari holocaustorum consumenda flammis : altera pars cremabatur extra castra : tertia pars reverenter et piè comedebatur, vel à solis Sacerdotibus, si Sacrificium oblatum esset pro peccato; vel et à populo, cui pars quoque Sacrificii comedenda tradebatur,

(E) LEVIT. IV. 4. Et (Sacerdos) adducet illum (vitulum) ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino; ponetque manum super caput ejus, et immolabit eum Domino....

(F) LEVIT. IV. 15. Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini, 16. inferet Sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii, *etc. suprà litt.* (C) *hocce* §.

(G) LEVIT. I. 1. Vocavit autem Moysen, et locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens : 2. Loquere filiis Israel, et dices ad eos : Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus et ovibus offerens victimas, 3. si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum : 4. Ponetque manum super caput hostiæ, et acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. 5. Immolabitque vitulum coram Domino, et offerent filii Aaron Sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi. 6. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, 7. et subjicient in altari ignem, struc lignorum antè compositâ : 8. Et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes, caput videlicet, et cuncta quæ adhærent jecori, 9. intestinis et pedibus lotis aquâ : adolebitque ea Sacerdos super altare in holocaustum et suavem odorem Domino. 10. Quòd si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret : 11. Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino : sanguinem verò illius fundent super altare filii Aaron per circuitum : 12. Dividentque membra, caput, et omnia quæ adhærent jecori : et ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis : 13. Intestina verò et pedes lavabunt aquâ. Et oblata omnia adolebit Sacerdos super altare, in holocaustum et odorem suavissimum Domino. 14. Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, 15. offeret eam Sacerdos ad altare, et retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris : 16. Vesiculam verò gulturis, et plumas projiciet propè altare ad Orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, 17. confringetque ascellas ejus, et non secabit, neque ferro dividet eam, et adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est et oblatio suavissimi odoris Domino.

VII. 8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus.

si oblatum fuisset Sacrificium Eucharisticum. Si Sacerdos ipse pro suo peccato Sacrificium offerret, nemo ex eo comedebat : sed quidquid non imponebatur altari cómburendum, cremabatur extra castra. (H)

(H) LEVIT. VI. 1. Locutus est Dominus ad Moysen, dicens : 2. Anima quæ peccaverit, et contempto Domino negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit, 3. sive rem perditam invenerit, et inficians insuper pejeraverit, et quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines, 4. convicta delicti, reddet 5. omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, et quintam insuper partem domino cui damnum intulerat. (*Num.* V. 7.) 6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, et dabit eum Sacerdoti, juxta æstimationem mensuramque delicti : 7. Qui rogabit pro eo coram Domino, et dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit. 8. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 9. Præcipe Aaron et filiis ejus : Hæc est lex holocausti : Cremabitur in altari totâ nocte usque manè : ignis ex eodem altari erit. 10. Vestietur tunicâ Sacerdos et feminalibus lineis : tolletque cineres quos vorans ignis exussit, et ponens juxta altare. 11. spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, et in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet. 12. Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna manè per singulos dies ; et imposito holocausto, desuper adolebit adipes pacificorum. 13. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. 14. Hæc est lex sacrificii et libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, et coram altari. 15. Tollet Sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus, quod super similam positum est : adolebitque in altari, in monimentum odoris suavissimi Domino. 16. reliquam autem partem similæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento : et comedet in loco sancto atrii tabernaculi. 17. Idcò autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto. 18. Mares tantùm stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini. Omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur. 19. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens : 20. Hæc est oblatio Aaron, et filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent similæ in sacrificio sempiterno, medium ejus manè et medium ejus vesperè : 21. Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino, 22. Sacerdos, qui jure patri successerit, et tota cremabitur in altari. 23. Omne enim sacrificium Sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. 24. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens : 25. Loquere Aaron et filiis ejus : Ista est lex hostiæ pro peccato : In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est. 26. Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. 27. Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto. 28. Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur. Quòd si vas æneum fuerit, defricabitur, et lavabitur aquâ. 29. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum sanctorum est. 30. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni. (*Hebr.* XIII. 11.)

VII. 1. Hæc quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est : 2. Idcircò ubi immolabitur holocaustum, mactabitur et victima pro delicto : sanguis ejus per gyrum altaris fundetur. 3. Offerent ex ea caudam et adipem qui operit vitalia : 4. duos renunculos, et pinguedinem quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis. 5. Et adolebit ea Sacerdos super altare : incensum est Domini pro delicto. 6. Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est. 7. Sicut pro peccato offertur hostia, ita et pro delicto : utriusque hostiæ lex una erit : ad Sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit. 8. Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem

Nefas erat offerri Sacrificium pro peccato, quin simul offerretur holocaustum. Vulgò præibat holocaustum. (l)

ejus. 9. Et omne sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, et quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, ejus erit Sacerdotis à quo offertur: 10. Sive oleo conspersa, sive arida fuerint, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur. 11. Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino. 12. Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, et lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, et collyridas olei admixtione conspersas. 13. Panes quoque fermentatos cum hostia, quæ immolatur pro pacificis: 14. Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, et erit Sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem. 15. Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque manè. 16. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed et si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: 17. Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet. 18. Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potiùs quæcunque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit. 19. Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mundus, vescetur ex ea. 20. Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. 21. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, sive omnis rei, quæ polluere potest, et comederit de ejusmodi carnibus, interibit de populis suis. 22. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 23. Loquere filiis Israël: Adipem ovis, et bovis, et capræ non comedetis. 24. Adipem cadaveris morticini, et ejus animalis quod à bestia captum est, habebitis in varios usus. 25. Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. 26. Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quàm de pecoribus. 27. Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis. 28. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 29. Loquere filiis Israel, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est, libamenta ejus. 30. Tenebit manibus adipem hostiæ, et pectusculum: Cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet Sacerdoti, 31. qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron et filiorum ejus. 32. Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias Sacerdotis. 33. Qui obtulerit sanguinem et adipem, filiorum Aaron, ipse habebit et armum dextrum in portione sua. 34. Pectusculum enim elevationis, et armum separationis tuli à filiis Israël de hostiis eorum pacificis, et dedi Aaron Sacerdoti, et filiis ejus lege perpetuâ, ab omni populo Israël. 35. Hæc est unctio Aaron et filiorum ejus in cæremoniis Domini die quâ obtulit eos Moyses, ut Sacerdotio fungerentur, 36. et quæ præcepit eis dari Dominus à filiis Israel religione perpetuâ in generationibus suis.

(l) Levit. xii. 6. Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, et pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, et tradet Sacerdoti, 7. qui offeret illa coram Domino, et orabit pro ea, et sic mundabitur à profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut feminam. 8. Quòd si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, et alterum pro peccato: orabitque pro ea Sacerdos, et sic mundabitur. (*Levit.* v. 11. *Luc.* ii. 24.)

xiv. 2. Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: Adducetur ad Sacerdotem.... 9.... Et lotis rursùm vestibus et corpore, 10. die octavo assumet duos agnos immaculatos, et ovem anniculam absque macula, et tres decimas similæ in sacrificium, quæ conspersa sit oleo, et seorsùm olei sextarium. 11. Cumque Sacerdos purificans hominem, statuerit eum, et hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii, 12. tollet agnum et offeret eum pro delicto, olcique sextarium. Et oblatis ante Dominum omnibus, 13. immolabit agnum, ubi solet immolari hostia pro peccato, et holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato,

Si Sacrificium offerendum esset pro Pontifice, qui delinquens peccare fecisset populum; vel pro ignorantiis totius multitudinis; hauriebat Pontifex de victimæ immolatæ sanguine, ingressusque Sanctum cum sanguine, aspergebat de eo septies contra velum quo Sanctum sanctorum à Sancto distinguebatur; ponebatque de eodem super cornua altaris thymiamatis; reliquum autem sanguinis effundebat juxta basim altaris Holocaustorum. (K)

In solemni Sacrificio quod semel in anno offerebat Pontifex pro sua populique ignorantia, et pro tabernaculi expiatione, Pontifex haustum sanguinem victimarum inferebat in Sancta sanctorum, tollensque de earum sanguine aspergebat digito septies contra propitiatorium ad Orientem, ut dicemus infrà fusiùs, ubi de Sacrificio Hirci emissarii. (L)

ita et pro delicto ad Sacerdotem pertinet hostia : Sancta sanctorum est.... 21. Quòd si pauper est, et non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo Sacerdos, decimamque partem similæ conspersæ oleo in Sacrificium, et olei sextarium, 22. duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, et alter in holocaustum (*Levit.* v. 11. xii. 8. *Luc.* ii. 24.)..... 30. Et turturem sive pullum columbæ offeret, 31. unum pro delicto, et alterum in holocaustum cum libamentis suis.

xvi. 3. *et* 5. *Vide infrà litt.* (L) *hocce* §.

(K) Levit. iv. 1. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (C)

(L) Levit. xvi. 1 Locutusque est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron (*Levit.* x. 12.), quando offerentes ignem alienum interfecti sunt : 2. et præcepit ei, dicens : Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore ingrediatur sanctuarium (*Exod.* xxx. 10. *Hebr.* ix. 7.) quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, ut non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum,) 3. nisi hæc antè fecerit : Vitulum pro peccato offeret, et arietem in holocaustum. 4. Tunicâ lineâ vestietur, feminalibus lineis verenda celabit : accingetur zonâ lineâ, cidarim lineam imponet capiti : hæc enim vestimenta sunt sancta ; quibus cunctis, cùm lotus fuerit, induetur. 5. Suscipietque ab universa multudine filiorum Israël duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum. 6. Cumque obtulerit vitulum, et oraverit pro se et pro domo sua, 7. duos hircos stare faciet coram Domino in ostio tabernaculi testimonii : 8. Mittensque super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario : 9. Cujus exierit sors Domino, offeret illum pro peccato : 10. Cujus autem in caprum emissarium, statuet eum vivum coram Domino, ut fundat preces super eo, et mittat eum in solitudinem. 11. His ritè celebratis, offeret vitulum, et rogans pro se et pro domo sua, immolabit eum : 12. Assumptoque thuríbulo, quod de prunis altaris impleverit, et hauriens manu compositum thymiama in incensum, ultra velum intrabit in Sancta : 13. ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium. et non moriatur. 14. Tollet quoque de sanguine vituli, et asperget digito septies contra propitiatorium ad Orientem. 15. Cùmque mactaverit hircum pro peccato populi, inferet sanguinem ejus intra velum, sicut præceptum est de sanguine vituli, ut aspergat è regione oraculi. 16. Et expiet Sanctuarium ab immunditiis filiorum Israël, et à prævaricationibus eorum, cunctisque peccatis. Juxta hunc ritum faciet tabernaculo testimonii, quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum. 17. Nullus hominum sit in tabernaculo quando Pontifex Sanctuarium ingreditur, ut roget pro se et pro domo sua, et pro universo cœtu Israël, donec egrediatur. (*Luc.* i. 10.) 18. Cùm autem exierit ad altare quod coram Domino est, oret pro se, et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundat super cornua ejus per gyrum : 19. Aspergensque digito septies expiet, et sanctificet illud ab immunditiis filiorum Israel. 20. Postquàm emunda-

Soli Pontifici licitum erat inferre sanguinem victimarum in Sancta. Huic uni fas erat intrare in Sancta sanctorum, idque semel in anno solùm, nec sine sanguine victimarum.

Quorum autem animalium inferebatur sanguis pro peccato in Sancta, vel in Sancta sanctorum per Pontificem, de horum carnibus nemini comedere licebat; sed quidquid non incendebatur super altare holocaustorum, totum id crematur extra castra. (M)

In Sacrificiis pro peccato singulorum, non intrabat Sacerdos in Sancta; sed tincto digito in sanguine victimæ, tangebat cornua altaris holocausti, fundebatque reliquum sanguinem ad basim altaris.

In sacrificiis eucharisticis hostiæ pacificorum, nec inferebatur in Sancta sanguis victimarum, nec earum sanguine intingebantur cornua altaris. (N)

Et hæc quidem lex erat cruentorum Sacrificiorum. At speciales erant ritus constituti pro solemni sacrificio vaccæ rufæ.

Adducenda erat vacca rufa ætatis integræ, in qua nulla esset macula, quæ non portasset jugum. Hanc acceptam de manu populi Pontifex educebat extra castra, id est, extra urbem, postquam Israëlitæ adepti sunt possessionem terræ promissæ, immolabatque in conspectu omnium, et tingens digitum in sanguine ejus aspergebat contra fores

verit sanctuarium, et tabernaculum, et altare, tunc offerat hircum viventem; 21. et positâ utràque manu super caput ejus, confiteatur omnes iniquitates filiorum Israël, et universa delicta atque peccata eorum: quæ imprecans capiti ejus, emittet illum per hominem paratum, in desertum. 22. Cùmque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuerit in deserto, 23. revertetur Aaron in tabernaculum testimonii, et depositis vestibus, quibus priùs indutus erat cùm intraret sanctuarium, relictisque ibi, 24. lavabit carnem suam in loco sancto, indueturque vestibus suis. Et postquam egressus obtulerit holocaustum suum ac plebis, rogabit tam pro se, quàm pro populo: 25. et adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit super altare. 26. Ille verò, qui dimiserit caprum emissarium, lavabit vestimenta sua et corpus aquâ, et sic ingredietur in castra. 27. Vitulum autem et hircum, qui pro peccato fuerant immolati, et quorum sanguis illatus est in sanctuarium ut expiatio compleretur, asportabunt foràs castra, et comburent igni tam pelles quàm carnes eorum ac fimum. (*Hebr.* XIII. 11.) 28. Et quicunque combusserit ea, lavabit vestimenta sua et carnem aquâ, et sic ingredietur in castra..... 34. Eritque vobis hoc legitimum sempiternum, ut oretis pro filiis Israël, et pro cunctis peccatis eorum semel in anno.

HEBR. IX. *Vide super.* §. *litt.* (B)

(M) LEVIT. VI. 30. Hostia enim quæ cæditur pro peccato, cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni. (*Hebr.* XIII. 11.)

XVI. 27. *Vide litt. super.*

HEBR. XIII. 11. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.

(N) LEVIT. IV. 25. Tinget Sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, et reliquum fundens ad basim ejus..... 30. Tolletque Sacerdos de sanguine digito suo: et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.... 34. Sumetque Sacerdos de sanguine ejus digito suo, et tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.

tabernaculi septem vicibus, et comburebat eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus quàm sanguine et fimo flammæ traditis : lignum quoque cedrinum et hyssopum coccumque bis tinctum Sacerdos mittebat in flammam, quæ vaccam vorabat (O), et tunc demùm lotis vestibus et corpore suo ingrediebatur in castra, commaculatusque erat usque ad vesperum. Sed et ille qui jussu Sacerdotis combusserat victimam, lavare tenebatur vestimenta et corpus, et immundus erat usque ad vesperum. Custodiebantur autem per totum annum vaccæ cineres in loco mundo extra castra, ut mixti cum aqua lustrali servirent expiationibus : neque enim expiari quidquam jure poterat sine aqua lustrali mixta cum illis cineribus. (P)

(O) *Plurimi Scripturæ sacræ Interpretes autumant* ex hyssopo et coccino ligno cedrino junctis aspergillum confectum fuisse, nec injectum in ignem ut combureretur, sed tantùm per flammas ad illius expiationem sanctificationemque transmissum fuisse. *Ad id comprobandum unius* Jansenii *testimonium hic exscribam, cæteros, si lubet, consule.*

JANSENIUS Iprensis Episcop. *in* XIX. *Numer.* 6. *Lignum quoque cedrinum, etc.* mittet in flammam sive comburendi causâ, ut cineres eorum cum cineribus vaccæ mixti immundos expiarent : sive tantùm per flammam traducendo, purgandi ergo, ut ex eis fieret aspergillum, quemadmodùm alii probabiliùs putant, ad aspergendam aquam : nam hyssopus ligno cedrino per filum coccineum videtur fuisse alligata, ut insinuari videtur *v.* 18.

(P) NUM. XIX. 1. Locutusque est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens; 2. Ista est religio victimæ quam constituit Dominus. Præcipe filiis Israël, ut adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua sit nulla macula, nec portaverit jugum : 3. Tradetisque eam Eleazaro Sacerdoti. Qui eductam extra castra (*Hebr.* XIII. 11.), immolabit in conspectu omnium : 4. Et tingens digitum in sanguine ejus, aspergit contra fores tabernaculi septem vicibus, 5. comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle et carnibus ejus, quàm sanguine et fimo flammæ traditis. 6. Lignum quoque cedrinum, et hyssopum, coccumque bis tinctum Sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. 7. Et tunc demùm, lotis vestibus et corpore suo, ingredietur in castra, commaculatusque erit usque ad vesperum. 8. Sed et ille qui combusserit eam, lavabit vestimenta sua et corpus, et immundus erit usque ad vesperum. 9. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, et effundet eos extra castra in loco purissimo, ut sint multitudini filiorum Israël in custodiam, et in aquam aspersionis : quia pro peccato vacca combusta est. 10. Cumque laverit, qui vaccæ portaverat cineres, vestimenta sua, immundus erit usque ad vesperum. Habebunt hoc filii Israël, et advenæ qui habitant inter eos, sanctum jure perpetuo. 11. Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus : 12. Aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, septimo non poterit emundari. 13. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinum, et aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculum Domini, et peribit ex Israel : quia aquâ expiationis non est aspersus, immundus erit, et manebit spurcitia ejus super eum. 14. Ista est lex hominis qui moritur in tabernaculo : Omnes qui ingrediuntur tentorium illius, et universa vasa quæ ibi sunt, polluta erunt septem diebus. 15. Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. 16. Si quis in agro tetigerit cadaver occisi hominis, aut per se mortui, sive os illius, vel sepulcrum, immundus erit septem diebus. 17. Tollentque de cineribus combustionis atque peccati, et mittent aquas vivas super eos in vas. 18. In quibus cùm homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, et cunctam suppellectilem, et homines hujuscemodi contagione pollutos : 19. atque hoc modo mundus lustrabit immundum tertio et septimo die.

De ritu expiationis domorum leprâ infectarum, quod erat aliud Sacrificii genus ex parte cruentum, dicemus infrà commodiùs. (*Hocce* §.)

I. Cùm in Sacrificiis eucharisticis pars victimarum comedenda esset à populo, cur et in sacrificiis pro peccato non poterat populus vesci carnibus victimarum ?

R. Quia mundum oportebat esse eum qui victimis immolatis vesceretur ; at immundus censebatur is pro cujus peccato sacrificium offerri necesse fuerat. Ideoque in sacrificiis quæ pro sui ipsius peccato quilibet Sacerdos offerebat, et in solemni Sacrificio quod offerebat semel in anno summus Pontifex pro sua et populi ignorantia, et pro tabernaculi expiatione, nefas erat quemquam vesci carnibus hostiarum ; sed quidquid igni non suppositum fuerat in altari holocaustorum, totum id extra castra cremabatur. (Q)

I. Quæ erant Sacrificia incruenta ?

R. Triplicis ea generis erant.

1° Sacrificium Similæ.

2° Sacrificium Hirci emissarii, qui Hebræo nomine Hircus *Hazazel* dicebatur.

3° Sacrificium Passeris in libertatem emissi.

His addi potest appendicis loco sacrificium Thuris et Thymiamatum, et libamina vini quæ singulis Sacrificiis miscebantur.

I. Quo ritu fiebat Sacrificium similaginis ?

R. Hoc triplici ritu fieri poterat.

1° Acceptam quis similam offerebat, aspergebatque super eam oleum, et ponebat thus : deferebatque ad Sacerdotes, quorum unus sumebat pugillum similæ et olei et totum thus, ponebatque super altare holocaustorum concremandum : quod autem reliquum erat de sacrificio, Sacerdotum erat.

2° Fiebant de simila absque fermento panes conspersi oleo, vel lagana oleo lita : offerebantur Domino, tradebantur deindè Sacerdoti, qui partem ponebat super altare holocaustorum, reliquum sibi sumebat.

3° Aquâ subactæ sine fermento farinæ massa conspersa oleo sartagine vel craticulâ torrebatur ; minutatimque divisa conspergebatur iterùm oleo : tum offerebatur Domino, tra-

Expiatusque die septimo, lavabit et se et vestimenta sua, et immundus erit usque ad vesperum. 20. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio Ecclesiæ : quia sanctuarium Domini polluit, et non est aquâ lustrationis aspersus. 21. Erit hoc præceptum legitimum sempiternum. Ipse quoque qui aspergit aquas, lavabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit usque ad vesperum. 22. Quidquid tetigerit immundus, immundum faciet : et anima quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit usque ad vesperum.

(Q) LEVIT. IV. 11. *et* 12. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (C)
VI. 23. *et* 30. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (H)
XVI. 27. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (L)
HEBR. XIII. 11. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (M)

debaturque Sacerdoti, qui cùm obtulisset eam, partem adolebat super altare, reliquum sumebat sibi. (R)

I. Quid erat Sacrificium Hirci emissarii, quem *Hazazel* vocabant ?

R. In die solemni expiationis, quo Pontifex ingressurus erat in Sancta sanctorum, Pontifex sumebat sibi vitulum pro peccato et arietem in holocaustum offerendos. Deindè induebatur vestibus sacris, quæ propriæ erant Sacerdotum inferioris ordinis : quibus indutus suscipiebat ab universa multitudine filiorum Israël duos hircos pro peccato, et unum arietem in holocaustum : Cùmque fecisset primam oblationem vituli pro suo peccato sacrificandi, et orasset pro se et pro domo sua, duos hircos stare faciebat coram Domino in ostio tabernaculi, mittensque super utrumque sortem, unam Domino, et alteram capro emissario ; cujus exiisset sors Domino, offerebat illum pro peccato ; cujus autem in caprum emissarium, statuebat eum vivum coram Domino, ut funderet preces super eo, et emitteret eum in solitudinem, ut dicetur infrà. His ritè celebratis offerebat iterùm vitulum, rogans pro se et pro domo sua ; et immolabat eum. Tum assumpto thuribulo, quod implebat de prunis altaris holocausti, haustoque manu thymiamate intrabat in Sancta sanctorum ; ut positis super ignem aromatibus, nebula eorum et vapor operiret oraculum : tollebat quoque de sanguine vituli, et aspergebat digito septies contra propitiatorium ad Orientem. Posteà egressus è tabernaculo mactabat hircum pro peccato populi ; assumptoque sanguine ejus intrabat rursùs in Sancta sanctorum, ut aspergeret de sanguine hirci septies sicut asperserat priùs de sanguine vituli. Dein exibat in Sancta, stansque ad altare thymiamatis orabat pro se, et sumptum sanguinem vituli atque hirci fundebat super cornua ejus per gyrum ; aspergensque digito septies expiabat et sanctificabat ab immunditiis filiorum Israël.

Postquàm autem emundaverat sanctuarium et tabernaculum et altare, tunc offerebat Deo hircum viventem ; et positâ utràque manu super caput ejus, confitebatur omnes iniqui-

(R) Levit. II. 1. Anima cùm obtulerit oblationem sacrificii Domino, similа erit ejus oblatio : fundetque super eam oleum, et ponet thus, 2. ac deferet ad filios Aaron Sacerdotes : quorum unus tollet pugillum pleнum similæ et olei, ac totum thus, et ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino. 3. Quod autem reliquum fuerit de sacrificio (*Eccli.* VII. 34.), erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. 4. Cùm autem obtuleris sacrificium coctum in clibano : de similа ; panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, et lagana azyma oleo lita. 5. Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo et absque fermento, 6. divides eam minutatim, et fundes super eam oleum. 7. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æquè similа oleo conspergetur : 8. Quam offerens Domino, trades manibus Sacerdotis. 9. Qui cùm obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, et adolebit super altare in odorem suavitatis Domino : 10. Quidquid autem reliquum est, erit Aaron et filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

tates filiorum Israël, et universa peccata eorum, quæ imprecans capiti ejus, emittebat illum per hominem paratum in desertum : cumque portasset hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam, et dimissus fuisset in desertum, revertebatur Pontifex in tabernaculum testimonii ; et depositis vestibus quibus priùs indutus erat cùm intraret in sanctuarium, hoc est, vestibus quæ propriæ erant Sacerdotum inferioris ordinis, lavabat carnem suam in loco sancto, et induebatur vestibus Pontificalibus, quibus indutus, offerebat tam suum quàm populi holocaustum, rogabatque tam pro se quàm pro populo ; et adipem victimarum quæ oblatæ fuerant pro peccato, et quarum sanguis illatus fuerat in Sancta sanctorum, adolebat super altare : harum autem corpora asportabantur extra castra cum sua pelle concremanda. (S)

I. Quid erat sacrificium passeris in libertatem emissi ?

R. Si quæ domus infecta fuisset leprâ, purificabat eam Sacerdos post redditam huic domui sanitatem. In purificationem autem ejus, sumebat duos passeres lignumque cedrinum et vermiculum atque hyssopum : Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, tollebat lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum, et passerem vivum ; et tingebat omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, et aspergebat domum septies, purificabatque eam tam in sanguine passeris quàm in aquis viventibus et in passere vivo, lignoque cedrino et hyssopo atque vermiculo : cumque dimisisset passerem vivum avolare in agrum liberè, orabat pro domo, quæ sic jure mundata censebatur. (T)

Nota hoc sacrificium sicut et sacrificium vaccæ rufæ non in altari holocaustorum fieri debuisse ; idque præter morem in cæteris omnibus sacrificiis præscriptum.

I. Quo ritu fiebat sacrificium thuris et thymiamatum ?

R. Ex thymiamate jussu Dei composito, ponebatur quotidiè incensum à Sacerdote super altare, quod thymiamatum dicebatur, ut thymiamatis incensi fumus ascenderet coram Deo in odorem suavitatis. (V)

I. Quid intelligis per libamina quæ singulis Sacrificiis miscebantur ?

(S) Levit. xvi. 1. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (L)

(T) Levit. xiv. 48. Quòd si introïens Sacerdos viderit lepram non crevisse in domo, postquàm denuò lita fuerit, purificabit eam redditâ sanitate : 49. Et in purificationem ejus sumet duos passeres, lignumque cedrinum, et vermiculum atque hyssopum : 50. Et immolato uno passere in vase fictili super aquas vivas, 51. tollet lignum cedrinum, et hyssopum, et coccum, et passerem vivum, et tinget omnia in sanguine passeris immolati, atque in aquis viventibus, et asperget domum septies, 52. purificabitque eam tam in sanguine passeris quàm in aquis viventibus, et in passere vivo, lignoque cedrino et hyssopo atque vermiculo. 53. Cumque dimiserit passerem avolare in agrum liberè, orabit pro domo, et jure mundabitur.

(V) Exod. xxx. 1. *etc. Vide suprà hujusce Sect. Cap.* 6. §. *h. litt.* (D)

R. Libaminis seu libationis nomine intelligitur sacra liquoris effusio, quæ ipsâ effusione Deo offertur. Sermone autem in Scripturis trito, libaminum seu libamentorum nomine designabatur quidquid per modum accessorii adhibebatur in sacrificiis ; nimirùm simila, oleum, vinum, sal et thus. Hæc omnia per modum libaminis accedebant omnibus sacrificiis : tuncque tota libamina cremabantur. (X) Cùm autem hæc per se sola offerebantur in sacrificium, ut de simila oleo mixta diximus (*suprà hocce* §.), tunc parte modicâ in altari cremata, reliquum cedebat in Sacerdotem.

I. Quid considerandum in illis sacrificiis, ut eorum habeatur cognitio omnimoda ?

R. Octo præcipuè consideranda sunt.

1° Cui Sacrificium offerretur, nempè Deus.

2° Quæ victima vel hostia offerretur. Hæc autem victima, 1° eligebatur inter alias ejusdem speciei res ad sacrificium, eaque electione à profano usu separata benedicebatur quodammodo et sanctificabatur : 2° offerebatur Deo : 3° immolabatur : 4° incendebatur vel tota vel ex parte : 5° quidquid non tradebatur flammis, id comedebatur.

3° Habenda ratio Sacerdotis, qui victimam offerebat Deo,

(X) Genes. xxxv. 14. Ille (Israël) verò erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus : libans super eum libamina, et effundens oleum.

Exod. xxix. 40. Decimam partem similæ conspersæ oleo tuso, quod habeat mensuram quartam partem hin, et vinum ad libandum ejusdem mensuræ (*offeres in altari in unoquoque agno manè et vesperè offerendo.*)

Levit. vii. 89. Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est, libamenta ejus.

ix. 17. Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, et adolens ea super altare.

xiv. 30. *et* 31. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (I)

xxiii. 12. Atque in eodem die quo manipulus consecratur, cædetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini. 13. Et libamenta offerentur cum eo, duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, odoremque suavissimum : liba quoque vini, quarta pars hin.

Numeror. vi. 17. Arietem verò immolabit hostiam pacificam Domino, offerens simul canistrum azymorum, et libamenta quæ ex more debentur.

xv. 4. Offeret, quicunque immolaverit victimam, sacrificium similæ, decimam partem ephi, conspersæ oleo, quod mensuram habebit quartam partem hin : 5. et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ dabit in holocaustum, sive in victimam. Per agnos singulos, 6. et arietes erit sacrificium similæ duarum decimarum, quæ conspersa sit oleo tertiæ partis hin : 7. et vinum ad libamentum tertiæ partis ejusdem mensuræ offeret in odorem suavitatis Domino. 8. Quando verò de bobus feceris holocaustum aut hostiam, ut impleas votum vel pacificas victimas, 9. dabis per singulos boves similæ tres decimas conspersæ oleo, quod habeat medium mensuræ hin : 10. et vinum ad liba fundenda ejusdem mensuræ in oblationem suavissimi odoris Domino.... 22. Quòd si per ignorantiam præterieritis quidquam horum, quæ locutus est Dominus ad Moysen, 23. et mandavit per eum ad vos, à die quâ cœpit jubere et ultrà, 24. oblitaque fuerit facere multitudo : offeret vitulum de armento, holocaustum in odorem suavissimum Domino, et sacrificium ejus ac liba, ut cæremoniæ postulant, hircumque pro peccato.

immolabat, flammis tradebat, et de carnibus ejus comedebat, si comedendum foret.

4° Habenda ratio populi, qui sacrificium offerebat per manus Sacerdotis, et Sacrificio communicabat vel corporaliter, suam partem comedendo de victimis, ut fiebat in sacrificiis eucharisticis; vel spiritualiter, conjungendo se mente et spiritu cum victimis quibus vesci non licebat.

5° Considerandi ritus quibus varia isthæc Sacrificia constant, de quibus satis superque diximus, quantùm pertinet ad nostrum institutum.

6° Attendendum templum et altare his Sacrificiis destinatum.

7° Habenda ratio finis et intentionis cujuscunque sacrificii. Quadruplex autem esse poterat sacrificiorum finis, juxta quem quatuor sacrificiorum genera distinguebantur. (*Hæc fusiùs* §. 2. *hujusce Cap.*) Aliud erat latreuticum, aliud eucharisticum, aliud impetratorium, aliud propitiatorium. Latreuticum ideò offerebatur, ut summus latriæ cultus exhiberetur Deo, supremumque illius in res omnes dominium significaretur. Impetratorium offerebatur ad impetranda bona et auxilia ad salutem corporis et animæ necessaria. Eucharisticum fiebat in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis. Propitiatorium, ad obtinendam remissionem peccatorum.

8° Investigandum attentiùs quid veteribus illis sacrificiis tanto apparatu celebratis significaretur; maximè cùm isthæc omnia temporis præsentis figuram fuisse tradat Apostolus. (*Hebr.* IX. 9.) Hoc sequentibus paragraphis prosequemur.

§. 5. Cujus rei typus essent Sacrificia ante Moysen oblata, maximè verò sacrificium Melchisedech.

I. Quæ erat utilitas istorum omnium sacrificiorum?

R. Hæc eorum utilitas fuit, ut diximus, (§. 2. *hujusce Cap.*)

1° Ut hoc exteriori ritu, significarent homines, quomodo essent interiùs affecti erga Deum, exhiberentque supremo Numini cultum externum.

2° Ut his sacrificiis adumbrarent magnum illud sacrificium oblatum à Christo super crucem, continuatumque, et in terris per totam Ecclesiam super altare Eucharisticum, et in cœlis per illum ipsum *Pontificem magnum, qui penetravit cœlos*, ut ait Apostolus. (*Hebr.* IV. 14.) (*Vide* §. 3. *hujus Cap.*) (A)

I. Singula sacrificia erantne ejusdem rei typus?

R. Nimiùm imperfecta illa erant, ut singula possent totum Christi sacrificium exprimere, et tot ac tanta adumbrare mysteria. Adeoque hæc partem unum, illa partem alte-

(A) HEBR. XI. *Vide superiùs* §. 3. *hujusce Cap. litt.* (B)
S. AUG. *Lib.* 10. *de civit. Dei, cap.* 5. *Vide suprà hujusce Cap.* §. 1. *litt.* (F)
Cap. 20. *Vide superiùs hujusce Cap.* §. 3. *litt.* (A)

ram tantorum mysteriorum significando exhibebant. (B)

I. Cujus rei typus erant sacrificia cruenta pecorum vel volatilium occisorum ?

R. Typus erant Christi in cruce immolandi. Hinc Christus dicitur in Apocalypsi, *Agnus occisus ab origine mundi.* (*Apoc.* XIII. 8.) Occisus quippè fuit alio sensu in singulis victimis ab origine mundi mactatis : siquidem non nisi mortis et sanguinis illius merito et intuitu vim et efficaciam habere, et acceptæ Deo esse poterant veteres illæ victimæ, quotquot ante Christi mortem fuerunt à mundi principio immolatæ. (*Vide* §. 3. *hujusce Cap.*)

I. Cujus rei typus erat panis et vini sacrificium oblatum à Sacerdote Melchisedech.

R. Typus erat magni illius et incruenti sacrificii, quod Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech Christus Dominus erat per totum orbem oblaturus sub speciebus panis et vini. (C)

(B) S. AUG. *ubi suprà. Consule etiam quæ de his dicentur* §. *sequenti.*

(C) S. CYPR. *Epist.* 63. Item in Sacerdote Melchisedech sacrificii Dominici sacramentum præfiguratum videmus, secundùm quod Scriptura divina testatur et dicit (*Genes.* XIV. 18.) ; *Et Melchisedech Rex Salem protulit panem et vinum.* Fuit autem Sacerdos Dei summi, et benedixit Abraham. Quòd autem Melchisedech tyrum Christi portaret : declarat in Psalmis Spiritus sanctus ex persona Patris ad Filium dicens : *Ante Luciferum genui te : tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* (*Ps.* CIX. 3. *et* 4.) Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens, et indè descendens ; quòd Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit : quòd panem et vinum obtulit ; quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi, quàm Dominus noster Jesus Christus, qui sacrificium Deo Patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem... Ut ergo in Genesi per Melchisedech Sacerdotem benedictio circa Abraham posset ritè celebrari, præcedit antè imago sacrificii Christi, in pane et vino scilicet constituta ; quam rem perficiens et adimplens Dominus, panem, et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit.

EUSEB. *lib.* 5. *Demonstr. Evangel. cap.* 3. *pag.* 222. Secundùm ordinem Melchisedech Sacerdotem constitui illum (Jesum), ait (David), ut ab eo differat, qui secundùm Mosis constitutionem erat Sacerdos..... (*Hebr.* VII. 2. *et seq.*) Qui Melchisedech est nominatus, quod nomen in linguam nostram conversum, Regem justitiæ significat ; et qui fuit Rex Salem, quod ipsum item sit, Rex pacis ; sine patre, sine matre, sine generis serie, non habens in historia neque initium dierum, neque vitæ finem, ac ne referens quidem cum Aaron Sacerdotii ritu commune quidquam invenitur. Nam neque ab hominibus electus fuerat, neque oleo compositio unctus, neque de genere illorum editus qui nondùm exstiterant ; et quod omnium maximè admirabile est, ne corpore quidem erat circumcisus, et tamen ipsi Abraham benedicit, tanquam is qui illo sit longè præstantior. Adde quòd neque libationibus altissimo Deo operabatur, neque verò in templo quod Hierosolymis esset, suum munus obibat.... Quoniam igitur neque à tempore Sacerdotii initium accepit, neque de tribu Sacerdotum exortus est Christus, neque artificiosè instructo corporalique oleo inunctus, ne finem quidem ullum Sacerdotii est habiturus, neque item solis Judæis, sed omnibus gentibus constituendus. Propter hæc omnia, meritò illum à ministerio Aaron liberat, quod figuram gerebat, secundùm ordinem Melchisedech Sacerdotem futurum affirmat. Et sanè oraculi exitus admirabilis ei qui contempletur, quemadmodùm salvator noster Jesus, qui est Christus Dei, ipsius Melchi-

sedech ritu ; ea quæ ad Sacerdotium in hominibus gerendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodùm ille qui Sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo et pane, dùm ipsi Abraham benedicit : ita sanè primus ipse Salvator ac Dominus noster, qui ab ipso profecti sunt Sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundùm Ecclesiasticas sanctiones Sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane, et corporis illius et salularis sanguinis mysteria repræsentant, quæ sanè mysteria Melchisedech tanto antè Spiritu divino cognoverat, et rerum futurarum imaginibus usus fuerat, sicut etiam Mosis Scriptura testatur, ubi ait (*Genes.* XIV. 18. *et* 19.) : *Et Melchisedech rex Salem protulit panes et vinum. Erat autem Sacerdos Dei altissimi, et benedixit Abraham.*

S. CLEMENS. ALEXANDR. *lib.* 4. *Stromatum, edit. in fol an.* 1616. *Lugduni Batavor. pag.* 392. *mihi* 29. Melchisedech Rex Salem Sacerdos Dei altissimi, qui vinum et panem sanctificatum dedit nutrimentum, in typum Eucharistiæ.... Verè ergo Salvator noster nos mysteriis initiat.

S. HIERON. *lib. quæst. Hebraïc. in Genesim.* Quod autem ait, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX. 4.) : mysterium nostrum in verbo ordinis significatur : nequaquam per Aaron irrationalibus victimis immolandis, sed oblato pane et vino : id est, corpore et sanguine Domini Jesu.

Epist. critic. ad Evang. tom. 2. *pag.* 571. Omnes penè sancti et Patriarchæ et Prophetæ, in aliqua re figuram expresserunt Salvatoris. Sic et Melchisedech, eò quòd Chananæus fuerit, et non de genere Judæorum, in typum præcessisse Sacerdotis Filii Dei, de quo dicitur in centesimo nono Psalmo : *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Ordinem autem ejus multis modis interpretantur, quod solus et Rex fuerit et Sacerdos, et ante circumcisionem functus Sacerdotio : ut non gentes ex Judæis, sed Judæi à gentibus Sacerdotium acceperint : neque unctus oleo Sacerdotali, ut Moysi præcepta constituunt ; sed oleo exsultationis, et fidei puritate : neque carnis et sanguinis victimas immolaverit, et brutorum sanguinem animalium dextrâ susceperit ; sed pane et vino, simplici puroque sacrificio, Christi dedicaverit sacramentum.

Epist. 44. *aliàs* 17. *Paul. et Eustoch. ad Marcell.* Recurre ad Genesim, et Melchisedech regem Salem hujus principem invenies civitatis : qui jam tunc in typo Christi panem et vinum obtulit, et mysterium Christianum in Salvatoris sanguine et corpore dedicavit.

S. AUG. *Octoginta trium quæst. q.* 61. *n.* 2. *Ipse est etiam Sacerdos* noster *in æternum secundùm ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX. 5.), qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris, et ejus sacrificii similitudinem celebrandam in suæ passionis memoriam commendavit : ut illud quod Melchisedech obtulit Deo (*Genes.* XIV. 18.), jam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri.

Lib. 16. *de civit. Dei cap.* 22. Sed planè tunc benedictus est (Abraham) à Melchisedech (*Ibid.*), qui erat Sacerdos Dei excelsi : de quo in Epistola, quæ inscribitur ad Hebræos, multa et magna conscripta sunt. (*Hebr.* VII. 1.) Ibi quippè primùm apparuit sacrificium, quod nunc à Christianis offertur Deo todo orbe terrarum, impleturque illud quod longè post hoc factum per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat adhuc venturus in carne : *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech* (*Ps.* CIX. 4.) ; non scilicet secundùm ordinem Aaron : qui ordo fuerat auferendus illucescentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.

Lib. 17. *cap.* 20. *n.* 2. *Vide* §. *sequent. litt.* (B)

Lib. 18. *cap.* 35. *n.* 3. Malachias prophetans Ecclesiam, quam per Christum cernimus propagatam, Judæis apertissimè dicit ex persona Dei : (*Malach.* I. 10. *et* 11.) *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificabitur, et offeretur nomini meo oblatio munda : quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus.* Hoc sacrificium per Sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, cùm in omni loco à solis ortu usque ad occasum Deo jam videamus offerri, sacrificium autem Judæorum, quibus dictum est, *Non est mihi*

I. Cur ergo Paulus Apostolus, qui in Epistola ad Hebræos Melchisedech fuisse figuram Christi Sacerdotis demonstrat, ne verbum quidem eò loci ait de sacrificio Christi sub panis et vini specie quod Eucharisticum dicimus?

R. Quia eò loci Apostolus non sacrificium Christi cum sacrificio Melchisedech, sed sacerdotium et personam Christi cum sacerdotio et persona Melchisedech confert. Rem explico.

Id sibi proposuerat Apostolus in Epistola ad Hebræos, ut imperfectionem sacerdotii Levitici demonstraret. Id autem aliundè, tum ex eo maximè demonstrat, quòd sacerdotium

voluntas in vobis, nec accipiam de manibus vestris munus, cessasse negare non possunt; quid adhuc exspectant alium Christum, cùm hoc quod prophetarum legunt, et impletum vident, impleri non potuerit, nisi per ipsum?

S. Ambros. *sive* Auctor *lib.* 5. *de Sacramentis*, *cap.* 1. *n.* 1. Cognovimus Sacramentorum istorum figuram Abrahæ temporibus præcessisse, quando obtulit sacrificium sanctus Melchisedech, neque initium neque finem habens dierum. (*Genes.* xiv. 18.) Audi, homo, quid dicat Paulus Apostolus ad Hebræos. (*Hebr.* vii. 1. 4. *et seq.*) Ubi sunt qui Filium Dei dicunt esse de tempore Melchisedech? Dictum est, quia neque initium, neque finem dierum habet: si Melchisedech non habet initium dierum, num Christus habere potuit? Sed non est plus figura quàm veritas. Vides ergo quia ipse primus et novissimus. (*Apoc.* i. 8.) Primus, quia auctor est omnium: novissimus, non quòd finem inveniat, sed quòd universa concludat. *Cætera vide infrà.*

Theodoretus *in Psal.* cix. *v.* 4. *Juravit Dominus, et non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* (*Hebr.* vii. 1. *et seq. Genes.* xiv.) Accuratè hæc divinus Apostolus interpretatus est in Epistola ad Hebræos, et Pontificatûs ejus æternitatem ostendit, eò quòd Levitarum Sacerdotium non cum jurejurando promissiones acceperit, hoc autem jurejurando confirmatum sit. Idcircò *et non pœnitebit eum* apposuit, quoniam cùm multa sæpiùs dispensarit universorum Deus, hæc mutationibus obnoxia esse permisit. Sic Judæorum Sacerdotium et fecit, et sustulit: sic regnum illud constituit, et evertit: sic Assyriorum et Babyloniorum, et Macedonum imperium ut esset permisit, et ut cessaret præcepit. Hoc igitur Sacerdotium sempiternum esse volens, jurasse ait, nequaquam fore ut pœniteat. Humano autem more hæc dicit: affectûs namque expers est divinitas; affectus autem est etiam pœnitentia. Melchisedech porrò non Judæorum, sed gentium est Sacerdos. Sic et Dominus Christus non pro Judæis tantùm, sed et pro omnibus hominibus semetipsum obtulit Deo. Exorditur autem Sacerdotium in nocte, postquam crucem subivit, (*Matth.* xxvi. 26. *et seq.*) *cùm accipiens panem et gratias agens, fregit, et dixit, Accipite et comedite ex eo, hoc est corpus meum. Similiter et calicem cùm temperasset, dedit discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Invenimus autem Melchisedech et Sacerdotem et Regem esse, (figura enim erat veri Sacerdotis et Regis) et offerentem Deo non victimas ratione carentes, sed panem et vinum. Hæc enim Abrahæ quoque obtulit, cùm Sacerdotii sui exemplar in lumbis Patriarchæ secundùm spiritum prævideret. Si igitur ex Davide Christus secundùm carnem ortus est, et David ex Juda, et Pontificatum secundùm ordinem Melchisedech accepit Christus, Leviticum utique Sacerdotium cessavit, et in Judæ tribum majoris Sacerdotii benedictio transiit. Sacerdos autem nunc est Christus, ex Juda secundùm carnem ortus, non ipse aliquid offerens, sed caput existens eorum, qui offerunt. Corpus enim suum Ecclesiam vocat, et per eam Sacerdotio fungitur ut homo, recipit autem ea quæ offeruntur, ut Deus. Offert verò Ecclesia corporis ejus et sanguinis symbola, totam massam per primitias sanctificans.

illud finem esset habiturum, et umbra solùm esset et figura sacerdotii Christi, umbra, inquam, imperfecta, quâ perfectior alia exstaret in Scripturis, nimirùm sacerdotium Melchisedech, quo Christi sacerdotium expressiùs significabatur; undè Christus dicitur in Scripturis, *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* (*Ps.* CIX. 4.) (D)

Non dicitur, ut notat Apostolus (*Hebr.* VII. 11.), *Sacerdos secundùm ordinem Aaron*; sed *secundùm ordinem Melchisedech;* idque multiplici de causa.

1° Quia sacerdotium Aaronis non erat sacerdotium æternum, cùm ab Aaron ad ejus filios per continuam generationum seriem transmitteretur. Melchisedech verò exhibetur in Scripturis tanquam *sine patre*, *sine matre*, *sine genealogia*, *neque initium dierum*, *neque finem vitæ habens.* (*Ibid.* 3.) Adeò ut ipsâ sacerdotii sui adumbratâ stabilitate, mirè exhibeat perpetuam stabilitatem sacerdotii Christi, qui propter hoc dicitur in Psalmo CIX. *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

2° Melchisedech benedixit Abrahæ, et in ejus persona Aaroni Abrahæ nepoti. Ergo major erat Abrahamo, atque adeò Aarone filio ejus. (E)

3° Abraham pater Aaronis, adeoque eo major, dedit decimas Melchisedecho ex omnibus quæ possidebat; agnovit ergo Melchisedechum pro superiore; ergo is erat et Aarone superior. (F)

4° Melchisedech rex erat, et quidem si nominis etymologiam spectes, *Rex justitiæ;* si spectes significationem urbis Salem, cui præerat, *Rex pacis.* Vox enim hebræa.... *Malech* Regem significat,.... *Tsedek* justitiam.... *Schalem* pacem. Hæc neutiquam Aaroni, sed Christo mirè conveniunt. (G)

Ex quibus manifestè colligitur tam personam quàm sacerdotium Melchisedech esse quid majus Aaronis et personâ et sacerdotio; ideoque cùm prædixisset Spiritus sanctus per

(D) HEBR. VII. 3. Sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum.

(E) HEBR. VII. 1. 6. *et* 7. *Vide litt. seq.*

(F) HEBR. VII. 1. Hic enim Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, (*Genes.* XIV. 18.) qui obviavit Abrahæ regresso à cæde Regum, et benedixit ei: 2. Cui et decimas omnium divisit Abraham: primùm quidem qui interpretatur Rex justitiæ: deindè autem et Rex Salem, quod est, Rex pacis.... 4. Intuemini autem quantus sit hic, cui et decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha. 5. Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas sumere à populo secundùm legem (*Deut.* XVIII. 3. *Jos.* XIV. 4.), id est, à fratribus suis: quamquam et ipsi exierint de lumbis Abrahæ. 6. Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas sumpsit ab Abraham, et hunc, qui habebat repromissiones benedixit. 7. Sine ulla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur. 8. Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem contestatur, quia vivit. 9. Et (ut ita dictum sit) per Abraham, et Levi, qui decimas accepit, decimatus est. 10. Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.

(G) HEBR. VII. 2. Primùm quidem qui interpretatur Rex justitiæ, deindè autem et Rex salem, quod est Rex pacis.

os David (*Ps.* CIX. 4.) venturum esse Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, hinc colligendum esse fore sacerdotium majus et excellentius sacerdotio Levitico; adeoque sacerdotium et sacrificia Judaïca finem esse habitura. (H) Quo quidem Apostoli ratiocinio nihil efficacius adversùs Judæos.

Ex suprà dictis patet Apostolum conferre solùm personam et sacerdotium Melchisedech cum persona et sacerdotio Christi. De sacrificio Melchisedech ne verbum quidem. Sacrificium, inquam, illud, nec cum Aaronis, nec cum Christi sacrificio confert: de eo non erat quæstio. Hæc solùm dicit Apostolus de Melchisedech, quæ ad rem faciunt, tacet cætera. Ait tamen de eo esse multa alia, quæ dici posset; sed quæ consultò prætermittit. (I) Hæc in scriptis Apostoli prætermissa certâ traditione didicimus, ut constat ex testimoniis suprà laudatis SS. Patrum. (K)

§. 6. Explicantur res expressæ et adumbratæ per sacrificia Judaïca.

I. Cujus rei typus erant cruenta Judæorum sacrificia?

R. Typus erant cruenti Christi sacrificii, quo sanguinem in cruce profusurus erat.

I. Cujus rei typus erant sacrificia incruenta?

R. Typus dici possunt incruenti Christi sacrificii, quod fit in altari Eucharistico sine sanguinis effusione.

I. Cur victimæ post immolationem cremabantur super altare, vel totæ, vel ex parte?

R. 1° Ut ipsâ suâ consumptione significarent supremum Dei in res creatas dominium.

2° Ut fumus earum ascendere ad thronum Dei, et ab eo suscipi videretur in odorem suavitatis.

I. Cujus rei typus erat fumus ille victimarum ascendens ad thronum Dei?

R. Dici potest fuisse typus Christi, qui post immolationem in cruce faciendam resurrecturus erat; et in cœlos ascensurus ad thronum Dei. (A)

(H) HEBR. VII. 11. Si ergo consummatio per Sacerdotium Leviticum erat (populus enim sub ipso legem accepit), quid adhuc necessarium fuit, secundùm ordinem Melchisedech alium surgere Sacerdotem, et non secundùm ordinem Aaron dici?.... 15. Et amplius adhuc manifestum est: si secundùm similitudinem Melchisedech exsurgat alius Sacerdos, 16. qui non secundùm legem mandati carnalis factus est, sed secundùm virtutem vitæ insolubilis. 17. Contestatur enim: quoniam tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech. (*Psal.* CIX. 4.)

(I) HEBR. V. 11. De quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum; quoniam imbecilles facti estis ad audiendum. 12. Etenim cùm deberetis magistri esse propter tempus: rursùm indigetis ut vos doceamini quæ sint elementa exordii sermonum Dei: et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.

(K) *Vide Auctoritates SS. PP. quas exscripsimus suprà hocce* §. *litt.* (C)

(A) S. AUG. *lib.* 4. *Quæst.* 33. *in Numeros*, *n.* 5. *Et cremabunt eam in conspectu ejus.* (*Num.* XIX. 5.) Puto quia concrematio ad signum pertinet resurrectionis. Natura est quippè ignis, ut in superna moveatur, et in eum convertitur quod crematur. Nam ipsum cremare de Græco in Latinum ductum verbum est à suspensione (χρεμέα) *suspendo*; quod verò

I. Cur in Holocausto tota victima tradebatur flammis, in aliis verò sacrificiis non item; sed parte victimæ crematâ super altare, pars alia comedebatur vel à solis Sacerdotibus, vel à Sacerdotibus simul et à populo, vel non comedebatur à quoquam; sed extra castra cremabatur? Cujus rei isthæc omnia typus erant? Quæ rituum illorum ratio?

R. Holocaustum utpotè sacrificiorum veterum perfectissimum, quo significabatur homo se totum debere Deo in hostiam viventem, adumbrabat expressiùs Christi sacrificium in cruce litatum, et Christi Resurrectione et Ascensione consummatum. Christus enim totus resurrexit et ascendit in cœlum, quemadmodùm in holocausto victimæ totiùs fumus in altum ferebatur.

Sacrificia eucharistica et pro peccato typus erant sacrificii Missæ, in eo quòd vel soli Sacerdotes sacrificiis pro peccato, vel Sacerdotes simul et populus sacrificiis eucharisticis communicarent, quemadmodùm nunc Sacerdotes et populus Missæ sacrificio communicant.

In sacrificiis autem in quibus nemo de victimarum carnibus vescebatur, quidquid non fuisset ustum in altari, cremabatur extra castra; ne profanis usibus inserviret quod sacratum Deo fuerat. Hocque ritu significabatur, ut ait Apostolus (*Hebr.* XIII. 12.), Christum extra Jerosolymorum urbem esse passurum.

I. Cur nullum sacrificium offerebatur pro peccato sine oblatione holocausti? Et cur vulgò præibat Holocaustum?

R. Ut significaretur non posse obtineri peccatorum remissionem, nisi per virtutem sanguinis Christi, qui semetipsum oblaturus erat in holocaustum. Vel ut significaretur additum est, *in conspectu ejus*, id est, in conspectu Sacerdotis, hoc mihi insinuatum videtur, quia illis apparuit resurrectio Christi, qui futuri erant regale sacerdotium. Jam quod sequitur, *et pellis ejus, et carnes, et sanguis ejus cum stercore ejus comburetur*, id ipsum expositum est, quomodo concremabitur: et significatum est, quòd non solùm substantia mortalis corporis Christi, quæ commemoratione pellis et carnium et sanguinis intimata est, verùm etiam contumelia et abjectio plebis, quam nomine stercoris significatam puto, converteretur in gloriam, quam combustionis flamma significat.

N. 6. *Et accipiet Sacerdos lignum cedrinum, et hyssopum, et coccinum, et immittet in medium combustionis juvencæ.* (*v.* 6.) Lignum cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare. Hyssopus fides, quæ cùm sit herba humilis, radicibus hæret in petra. Coccinum charitas, quod fervorem spiritùs, igneo colore testatur. Hæc tria debemus mittere in Resurrectionem Christi, tanquam in medium combustionis illius, ut cum illo sit abscondita vita nostra, sicut dicit Apostolus: (*Coloss.* III. 3.) *Et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

N. 7. *Et lavabit vestimenta sua Sacerdos, et lavabit corpus suum aquâ, et postèà introibit in castra, et immundus erit Sacerdos usque ad vesperam.* (*Num.* XIX. 7.) Lavatio vestimentorum et corporis quid est, nisi mundatio exteriorum, et interiorum? Hoc Sacerdos. Deindè sequitur, (*v.* 8.) *Et qui comburet eam, lavabit vestimenta sua, et lavabit corpus suum aquâ, et immundus erit usque ad vesperam.* In eo qui comburit, eos figuratos arbitror, qui Christi carnem sepelierunt, resurrectioni eam veluti conflagrationi mandantes.

non potuisse hominem peccatorem ad Deum accedere offerendi holocausti gratiâ, quin simul profiteretur esse se peccatorem offerendo sacrificium pro peccato.

Adde quòd hujus utriusque sacrificii conjunctione significatum fuisse videtur, Missæ sacrificium à Christi cruento sacrificio non fore distinctum. Hinc est quòd cruentis sacrificiis incruenta sacrificia plerumque jungebantur. Unà actione non poterant adumbrari tot mysteria in uno Missæ sacrificio comprehensa. Quidquid enim veteribus sacrificiis singillatim continebatur, hoc eminenter complectitur unum Missæ sacrificium, ut patebit ex infrà dicendis (*hujus Cap.* §. 9. *et* 10.), et ut docet luculenter S. Augustinus. (B)

I. Cujus rei typus fuit quòd qui pro se obtulisset vel fecisset offerri sacrificium pro peccato, non posset hujus sacrificii carnibus vesci?

R. 1. Hoc ritu significabatur quàm mundi corde esse debeant qui communicaturi sunt sacrificio corporis et sanguinis Christi. Possunt et debent Sacerdotes offerre sacrificium pro peccatoribus, quibus non licet edere corpus et sanguinem Christi, nisi priùs mundati sint. 2. Hoc eodem ritu patebat, quàm imperfecta olim essent sacrificia pro peccato. Nec enim vim habebant illa liberandi peccatores à peccato; siquidem post eorum oblationem non sic mundati erant peccatores, ut possent communicare Sacrificio. Nos autem, ut inquit Apostolus (*Vide* §. *seq. interpret. v.* 10. *cap.* XIII. *ad Hebr.*), habemus altare, in quo offertur victima per quam sic mundamur à peccatis, ut possimus oblato sacrificio communicare. (C)

(B) S. Aug. *lib.* 10. *de Civit. Dei, c.* 20. *Vide superiùs hujusce Cap.* §. 3. *litt.* (A) *Lib.* 17. *cap.* 20. *n.* 2. Itemque illud.... nonnisi de Christo et Ecclesia mox ut fuerit pronuntiatum consuevit intelligi ab eis, qui Christum sapientiam Dei esse noverunt. *Sapientia.... immolavit suas victimas, miscuit in cratere vinum suum, et paravit mensam suam... et inopibus sensu dixit, Venite, manducate de meis panibus, et bibite vinum, quod miscui vobis.* (*Prov.* IX. 1. 2. 4. *et* 5.) Hic certè agnoscimus Dei sapientiam, hoc est, Verbum Patri coæternum, in utero virginali domum sibi ædificasse corpus humanum, et huic, tanquam capiti membra, Ecclesiam subjunxisse, Martyrum victimas immolasse, mensam in vino et panibus præparasse, ubi apparet etiam sacerdotium secundùm Melchisedech, insipientes et inopes sensu vocasse, quia sicut dicit Apostolus, (1. *Cor.* I. 27.) *infirma hujus mundi elegit, ut confunderet fortia.* Quibus tamen infirmis quod sequitur dicit, *Derelinquite insipientiam, ut vivatis: et quærite prudentiam, ut habeatis vitam.* (*Prov.* IX. 6.) Participem autem fieri mensæ illius, ipsum est incipere habere vitam. Nam et in alio libro, qui vocatur Ecclesiastes, ubi ait, *Non est bonum homini, nisi quod manducabit et bibet* (*Eccle.* VIII. 15.), quid credibilius dicere intelligitur, quàm quod ad participationem mensæ hujus pertinet, quam Sacerdos ipse mediator testamenti novi exhibet secundùm ordinem Melchisedech de corpore et sanguine suo? Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificiis veteris Testamenti, quæ immolabantur in umbra futuri: propter quod etiam vocem illam in Psalmo tricesimo et nono ejusdem Mediatoris per prophetiam loquentis agnoscimus: *Sacrificium et oblationem noluisti: corpus autem perfecisti mihi.* (*Ps.* XXXIX. 7.) Qui pro illis omnibus sacrificiis et oblationibus corpus ejus offertur, et participantibus ministratur.

(C) Hebr. XIII. 10. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.

I. Cur ponebant manus super caput victimæ quicunque sacrificium vel offerebant, vel offerri pro se faciebant?

R. Ut hoc ritu se conjungerent cum victima, ostenderentque seipsos offerre se simul cum illa, et protestarentur se reos mortis victimam hanc offerre, quæ vice offerentis jugularetur : cæterùm paratos esse se ad mortem subeundam cùm jusserit.

I. Cujus rei typus erat effusio sanguinis circa altare post immolationem victimarum?

R. Typus erat sanguinis Christi circa crucis altare fundendi post ejus mortem.

I. Cujus rei typus erat immolatio victimarum facta super altare holocaustorum posito sub dio extra tabernaculum?

R. Hoc ritu significabatur non obscurè Christum esse moriturum in monte Calvariæ extra portam Jerusalem. Quod expressiùs adhuc adumbrabat sacrificium vaccæ rufæ, et solemne sacrificium expiationis tabernaculi : in quibus victimæ totæ cremabantur extra castra. (D)

I. Cujus rei typus erat sacrificium vaccæ rufæ?

R. Hoc typum fuisse sacrificii Christi non obscurè liquet ex singulis ritibus.

1. Eligenda erat vacca rufa, coloris quasi sanguinei, quo peccata designantur, juxta illud Isaiæ : *Si fuerint peccata vestra ut coccinum.* (*Isai.* I. 18.) Hoc ipso colore hæc victima typus erat Christi, qui peccata omnium tulit, voluitque habere similitudinem carnis peccati.

2. Hæc vacca debuit esse ætatis integræ sine jugo, ut Christum exprimeret, qui integrâ ætate passus est, cùm non fuisset unquam sub jugo legis.

3. Hanc victimam tradebat populus in manus Sacerdotis. Christus ducendus erat à Judæis ad domum Caïphæ.

4. Ducebat eam Pontifex extra castra immolandam. Judicavit Pontifex Christum reum esse mortis, et tradidit Pilato crucifigendum extra Jerusalem.

5. Immolabat eam Sacerdos in conspectu omnium. Christus spectante populo cruci affixus est.

6. Tingens Sacerdos digitum in sanguine victimæ aspergebat septies contra velum tabernaculi, quod quidem velum expansum et obductum jugiter manebat, stante tabernaculo. Quo ritu significabatur quàm avidè exspectandus esset Christus, qui suo sanguine reseraturus erat velum quo claudebatur cœli aditus.

7. Comburebatur penitùs victima cum sanguine et fimo : quo exprimebatur perfectio sacrificii Christi, cujus resurrectione factum est, ut absorberetur à vita quidquid mortale erat in Christo.

(D) Hebr. xiii. 11. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. 12. Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

8. Mittebat Sacerdos in ignem lignum cedrinum, hyssopum coccumque bis tinctum, sive ut illa comburerentur in rogo cum victima, sive ut flammis solùm expiata servirent deinceps aspergendæ aquæ lustrali. His significabatur, ex mente S. Augustini (*Lib.* 4. *Quæst.* 33. *in Num. n.* 6.), fides, spes, et charitas, quæ vim habent ex sanguine Christi ad peccatorum expiationem.

9. Pontifex qui victimam immolaverat, sed et ille vir qui victimam Pontificis jussu combusserat, immundi erant usque ad vesperam. Quo non obscurè significabatur à Christo alienos fore Judæos usque ad mundi vesperam et consummationem propter occisum Christum, nisi tandem resipiscant.

10. Lustralis aqua vim omnem habebat ex cineribus vaccæ rufæ, ad expiandum quidquid illà aspergeretur. Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato; nec est quidquam sordis, quod hujus sacratissimi sanguinis virtute non possit expiari: et quidquid gratiæ accipimus, ex hoc sacro fonte manat. (E)

(E) S. HIERONYM. *Epist.* 86. *aliàs* 27. *ad Eustoch. col.* 675. *tom.* 4. *versùs finem.* Revertar Jerosolymam.... rutilantem montis Oliveti crucem aspiciam, de quo Salvator ascendit ad Patrem. In quo per annos singulos vacca rufa in holocaustum Domino cremabatur, et cujus cinis expiabat populum Israël.

S. AUG. *lib.* 4. *QQ. in Numeros, q.* 33. *n.* 1. De juvenca rufa cujus cinerem ad aquam aspersionis, eorumque mundationem, qui mortuum tetigerint, proficere lex mandavit, nec tacere permittimur: evidentissimum enim signum in ea novi Testamenti præfiguratur; nec satis dignè festinantes dicere de tanto sacramento valemus.... Eadem quippè sunt in vetere et novo; ibi obumbrata, hìc revelata; ibi præfigurata, hic manifestata. Nam non solùm sacramenta diversa sunt, verùm etiam promissa. Ibi videntur temporalia promitti, quibus spiritale præmium occulte significetur. Hic autem manifestissimè spiritalia promittuntur, et æterna. Temporalium autem bonorum atque carnalium, et spiritalium atque æternorum quæ clarior certiorque distinctio est, quàm Passio Domini nostri Jesu Christi? in cujus morte satis constitit, non istam terrenam transitoriamque felicitatem à Domino Deo pro magno munere sperandam et optandam: quandoquidem in unigenito Filio suo, quem tanta illa perpeti voluit, longè aliud à se peti exspectarique oportere apertissimà distinctione declaravit. Hanc igitur passionem Domini nostri Jesu Christi, velut distinctionem duorum testamentorum, hoc quod de juvencæ rufæ mactatione narratur, satis congruè præfigurat.

N. 2. Juvenca rufa carnem Christi significat. Sexus femineus est, propter infirmitatem carnalem; rufa est propter cruentam passionem.... Quòd ergo sine vitio dicitur hæc juvenca, mirum non est: hanc enim carnem etiam cæteræ hostiæ figurabant, ubi similiter sine vitio pecora immolari jubentur. Erat quippè illa caro in similitudine carnis peccati, sed non caro peccati (*Rom.* VIII. 3.).... Parum fuit dicere sine vitio, nisi diceretur, quæ non habet in se vitium.... quòd eam rem ipsa repetitio firmiùs commendavit. Quanquam et illud non abhorreret à vero, ut ideò additum intelligatur, *quæ non habet in se vitium*, cùm jam dictum esset, juvencam sine vitio, quia in se non habuit vitium caro Christi, in aliis autem habuit, qui membra sunt ejus. Quæ enim caro in hac vita sine peccato, nisi illa sola, quæ non habet in se vitium? *Et non est superpositum super eam jugum.* (*Num.* XIX. 2.) Non enim subjugata est iniquitati, cui subjugatos inveniens liberavit, et eorum vincula disrupit, ut ei di-

catur, *Disrupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.* (*Ps.* CXV. 16. *et* 17.) Super illius quippè carnem non est positum jugum, qui potestatem habuit ponendi animam suam, et iterùm sumendi eam. (*Joan.* X. 18.)

N. 3. *Et dabis eam*, inquit, *ad Eleazarum Sacerdotem.* (*Num.* XIX. 3.) Cur non ad Aaron, nisi fortè ita præfiguratum est, non ad tempus quod tunc erat, sed ad posteros hujus sacerdotii passionem Domini perventuram? *Et ejicient eam extra castra.* Sic et ejectus est Dominus passurus extra civitatem. Quod autem ait, *in locum mundum:* ita significatum est, quia non habuit causam malam. *Et occident eam in conspectu ejus:* sicut occisa est caro Christi in conspectu eorum, qui jam futuri erant in novo Testamento Domini Sacerdotes.

N. 4. *Et accipiet Eleazar sanguinem ejus, et asperget contra faciem tabernaculi testimonii à sanguine ejus septies.* (*v.* 4.) Hæc testificatio est, Christum secundùm Scripturas fudisse sanguinem in remissionem peccatorum (*Rom.* III. 25. *Ephes.* I. 7.).... Et ideò septies, quia ipse numerus ad mundationem pertinet spiritalem.

N. 5. 6. *et* 7. *Vide superiùs hocce* §. *litt.* (A)

N. 8. *Et congregabit homo mundus cinerem juvencæ, et ponet extra castra in locum mundum.* (*Num.* XIX. 9.) Quid dicimus cinerem juvencæ,... nisi formam quæ consecuta est passionem resurrectionemque Christi?... Nam et cinis erat, quia velut mortuus ab infidelibus contemnebatur; et tamen mundabat, quia et resurrexisse à fidelibus credebatur.

N. 9.... *Et erit filiis Israël, et proselytis qui apponuntur, legitimum æternum.* (*v.* 10.) Quid aliud ostendit, nisi baptismum Christi, quem significabat aqua aspersionis, et Judæis et gentibus profuturum, id est, filiis Israel et proselytis, tanquam naturalibus ramis, et inserto pinguedini radicis oleastro?

B. THEODORET. *in Num. Quæst.* 35. Hanc quidem offerri pro peccato populi lege præcepit: præfigurat autem salutarem passionem, quæ totius mundi peccatum abstulit. Sed vaccam rufam offerri præcipit, ut corpus terrenum prænotet: quia nomen Adæ terram rubram significat, ex qua corpus ipsius formatum est. Quòd autem vacca maculâ carebat, expertem peccati Christum Dominum innuit. Quòd vacca jugum subiisse non debet, Christi libertatem subindicat. Jugum enim denotat servitutem. At Dominus, cùm ab eo postularetur didrachmum, dixit: *Ergo liberi sunt filii.* (*Matth.* XVII. 25.) Quòd verò vacca mactatur extra castra, passionem Salvatoris extra portam peractam. Sed hæc manifestiùs docet divinus quoque Apostolus in Epistola ad Hebræos. (*Hebr.* XIII. 11.) Totam porrò vaccam unà cum pelle et reliquis cremari mandavit: quia Christi Domini omnia erant munda. Lignum cedrinum crucis erat figura. Sicut enim illud immune à corruptela, ita lignum crucis vivificat. Coccinum autem, typus erat sanguinis Dominici. Hyssopus etiam aderat, quia calor vivificus dissolvit frigiditatem mortis. Eum tamen qui cremavit vaccam, impurum esse dicit usque ad vesperam, ad eos denotandos qui Christum crucifixerunt Dominum. Atque hujusmodi cinere aquâ permixto circumspergi præcipit eos qui appropinquassent mortuo, aut qui eorum ossa attigissent, aut aliquo id genus alio essent polluti. *Et homo*, inquit, (*Num.* XIX. 13.) *qui non fuerit purificatus, peribit anima illa de medio synagogæ, quia expiationis aquâ non fuerit lustratus.* Ita Dominus in sacris Evangeliis ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu sancto, non ingredietur regnum cœlorum.* (*Joan.* III. 5.)

S. ISIDOR. HISPAL. *cap.* 16. *in Numeros.* Vitula rufa caro est Salvatoris nostri, rosea sanguine passionis, ætatis integræ, quia perfectâ ætate passionem suscepit. Quòd autem non est impositum super illam jugum, hoc ostendit quia caro Christi non est subjugata delicto, neque victa ab ullo peccato. Quòd autem apprehensam ejecerunt filii Israel extra castra, adstante Eleazaro Sacerdote, populum Judæorum significat, et consensum Sacerdotum in necem Domini, quem ejectum extra Jerusalem crucifixerunt. Sicut ergo qui offerunt vitulam immundi sunt; sic et qui apprehenderunt Dominum peccatores habentur. Et sicut is, qui colligit cinerem aspersionis mundus est; sic et omnes mundi sunt, qui passionem Christi prædicaverunt gentibus, et in toto orbe terrarum doctrinam ejus asperserunt, populosque Domino collegerunt. Lignum autem et hysso-

I. In privatorum sacrificiis pro peccato, Sacerdos altaris cornua sanguine victimarum tingebat : in solemnioribus autem Pontifex cum sanguine victimarum ingrediebatur in Sancta, et factâ sanguine aspersione contra velum, tingebat victimarum sanguine cornua altaris thymiamatum. In solemnissimo autem sacrificio, quod semel in anno ad suam et populi et tabernanaculi expiationem offerebatur, ingrediebatur Pontifex cum sanguine victimarum Sancta sanctorum, aspergebat sanguinem septies contra velum, et fundebat tandem sanguinem circa altare thymiamatum. Quid his ritibus exprimebatur ?

R. In sacrificiis pro peccato intingebat Sacerdos sanguine victimarum cornua altaris holocaustorum : quo ritu exprimebatur non potuisse delere peccata, nisi per virtutem crucis, Christi sanguine tinctæ.

In solemnioribus sacrificiis pro peccato, Pontifex intrabat in Sancta cum sanguine victimarum ; et factâ hujus sanguinis aspersione contra velum, tingebat cornua altaris thymiamatum hoc sanguine. Aspergendo sanguinem contra velum significabat *nondùm propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum.* (*Hebr.* IX. 8.) Intingendo

pum, crucem putamus et baptismum. Per hyssopum enim fasciculum aspergebantur agni sanguine qui mundari solebant, typicè figurantes lavacrum baptismatis et ablutionem æterni fontis. Coccum autem bis tinctum figuram sacri sanguinis significare, quo peccatores abluuntur. Bis tinctum autem, quia per eum et corpore et corde mundamur. Hæc enim tria ad purgationem peccatorum pertinent. Primò per cedrum fides ligni crucis ; secundò per hyssopum, martyrium ; tertiò per coccum, sanguinis Dominici sacramentum. Sicut autem die tertiâ purgari jubentur, ita et omnis anima purgatur ab omnibus delictorum sordibus, quæcunque credit Christum Dominum die tertiâ à mortuis resuscitatum.... Ex sanguine autem ejus vitulæ ideò septies tabernaculum jubet aspergi ; quia septem sunt Spiritûs sancti charismata, quæ per Christi sanguinem super Ecclesiæ populos distribuuntur, per quem ab omni delicto purgantur, sicut Apostolus ait : (1. *Cor.* VI. 11.) Jam abluti estis in sanguine Christi et passione ejus. Quòd verò vitula cum pelle et ossibus suis comburitur, et agnus ille Paschalis pari modo concrematur, ne ossa ejus confringantur : hoc ostendit quòd Domini Jesu Christi corporis ossa in passione non essent confringenda, sicut Evangelista testatur. (*Joan.* XIX. 36.)

JANSEN. IPREN. *in Numeror. cap.* XIX. *in fine.* Allegoricè, vacca significat carnem Christi ; rufa passionem ; ætas integra, virilem ejus ætatem ; immaculata, immunitatem à peccato ; expers jugi, libertatem. Mactatur ab Eleazaro, quia Christus à Sacerdotibus passus est, idque extra portam, undè omnes Judæi immundi sunt. Flamma vorans quæ sursùm ascendit, figurat resurrectionem et ascensionem ejus : lignum cedrinum, crucem ; hyssopus in aqua, vim purgandi per baptismum ; coccus, sanguinem Christi vel charitatem.

ESTIUS *in cap.* XIX. *Numeror. v.* 2. Vacam rufam continere manifestum mysterium Christi Apostolus ad Hebræos IX. 13. insinuat, dicens : *Si cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quantò magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi ?* Igitur secundùm Apostolum aqua aspersionis quæ fiebat ex cinere hujus vaccæ, tantùm carnalem seu legalem mundítiam præstabat : sanguis autem Christi, qui per illam aquam significabatur, conscientiam emundat, id est, animam ipsam à peccati conscientia puram facit.

Alios Scripturæ Interpretes adi : omnes ferè idem cum superioribus sentiunt.

cornua altaris thymiamatum hoc sanguine, declarabat vetera sacrificia vim omnem trahere ad peccata purganda ex Christi sacrificio in novo testamento offerendo. Siquidem prior tabernaculi pars, quod Sanctum dicebatur, typus erat Christi in carne mortali, et præsentis Ecclesiæ statûs.

Tandem solemnissimum sacrificium, quo Pontifex semel in anno ingrediebatur in Sancta sanctorum, typus erat Christi ascensionis in cœlum. Hoc sacrificium offerebat solus Pontifex, qui Christi figuram gerebat expressiùs. Is immolatis victimis ad altare holocaustorum, quo crux Christi exprimebatur, intrabat primùm in Sancta; et per velum, carnis Christi typum, ut ait Apostolus, introibat in Sancta sanctorum quæ cœlum adumbrabant (F): ibique sanguinem

(F) **Hebr. ix.** *Vide suprà* 3. *hujusce Cap. litt.* (B)

Biblia Maxima P. Joan. de la Haye *in Expos. litterali Epist. ad Hebr. cap.* **ix.** *v.* 8. Sancta hic dicuntur quæ modò *Sancta sanctorum* nominata sunt, quæ viam cœli significabant, et illam aperiendam per sanguinem Christi.

Guillel. Estius Doct. Lovan. *Comm. in Epist. ad Hebr. cap.* **ix.** *v.* 6. *Quæ parabola est temporis instantis, juxta quam munera et hostiæ offeruntur.* Ac sanè pertinebat ad Apostoli institutum loqui de cruentis sacrificiis veteris legis, ut ea conferret cum sacrificio cruento, quod Christus obtulit in cruce.

v. 7. *Non sine sanguine.* Qua parte etiam subindicare voluit Apostolus, sanguinem illum fuisse typum sanguinis Christi, quo emundanda erat Ecclesia; sicut et pontifex ille typum gessit Pontificis Christi.

v. 8. Per illud quod in Sancta sanctorum nemini patebat ingressus, præterquam uni Pontifici, mysticè nobis significare voluit Spiritus sanctus, priore tabernaculo stante, id est, lege veteri, quæ per prius tabernaculum significabatur, adhuc durante, nondùm manifestatam fuisse viam ad Sancta sanctorum, hoc est, ad cœlum, per illa Sancta significatum: sed demùm manifestandam, postquam Christus Pontifex noster illùc per sanguinem suum introgressus fuisset. *Sanctorum nomine*, cœlum ex Apostoli sententia typicè significari, jam pridem ostendimus, ad illud capitis præcedentis, *Sanctorum minister*: et manifestum est ex vers. 12. hujus. Porrò *Sanctorum via*, gratia est novi Testamenti, per quam nobis aditus est ad cœlum. Hæc via tempore veteris Testamenti nondùm erat propalata, seu manifestata: Nam etsi nemo fuerit unquam justificatus nisi per gratiam novi Testamenti, cujus auctor est Christus, non tamen ante Christi adventum manifesta fuit ea gratia; id est, palàm cognita et prædicata, sed latebat sub umbris cæremoniarum veteris legis, et à paucis spiritualibus ad novum Testamentum pertinentibus, apprehendebatur. Denique post adventum Christi, prædicato ejus Evangelio, ac legalibus umbris per ejus passionem remotis, manifestari cœpit ac palàm agnosci.

v. 11. Igitur alii plerique existimant Apostolum loqui de corpore seu carne Christi humana. Sic Græci omnes, et inter Latinos Primasius, et Haimo, et Thomas posteriore loco. Denique Augustinus verbis à glossa citatis. Quæ sententia sicut multis recentioribus, ita et nobis quàm maximè probatur; habet enim in ipso Apostolo fundamentum. Primùm, quia mox sequitur de sanguine Christi: quem opponit sanguini hircorum et vitulorum, dicens, *sed per proprium sanguinem.* Undè in hac parte nobis intelligendum relinquit corpus Christi, et quasi supplendum, hoc modo: *Per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, sed per proprium corpus....* Istud verò quod dixi, supplendum reli juit Apostolus ex iis quæ erat infrà dicturus. Nam capite sequenti ex professo, docet Christum nos sanctificasse, et in cœlum introiisse, *per oblationem sui corporis* (*Hebr.* x. 10.), opponens illud hostiis veteris Testamenti, et hunc citans versiculum Psalmi, *Hostiam et oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* (*Ps.* xxxix. 7.) *Hoc ergo*

tabernaculum, id est, corpus Christi, *majus est et amplius* (*Hebr.* x. 5.) tabernaculo veteri; non mole corporeâ, sed dignitate rei: quia vivum est habitaculum Spiritûs sancti: nec id qualecunque, sed hypostaticè conjunctum Verbo Dei. Est quoque *perfectius*: tum quia divini est operis, supra naturæ facultatem conceptum et formatum in utero Virginis; tum quia perficit et sanctificat accedentes ad ipsum.

v. 12. *Sed per proprium sanguinem introivit semel in Sancta.* Ecce tres alias Christo, per comparationem, applicatas circumstantias ministerii. Aaronici: de quibus suprà. Nam Pontifex Aaronicus intrabat cum sanguine hircino et vitulino: Christus intravit per proprium sanguinem. Ille, semel in anno: hic, semel omninò. Ille, in Sancta manufacta: hic, in Sancta cœlestia. Tacitè verò nobis insinuat Apostolus amoris Christi Pontificis nostri erga nos magnitudinem: quòd et proprium corpus et proprium sanguinem impenderit nostræ saluti.

v. 14. Significat Apostolus Christum, movente eum et incitante Spiritu sancto (nam opera Divinæ bonitatis, nostræque sanctificationis Spiritui sancto solent appropriari) *semetipsum obtulisse Deo*, velut hostiam immaculatam. Id est, ab omni sorde peccati liberam: utpotè representatam sub typo vaccæ rufæ, quam lex immaculatam exigebat.... Restat nunc ut totam argumentationem Apostoli breviter explicemus. Quondam, inquit, sanguis hircorum et vitulorum effusus, et in sanctuarium illatus per Pontificem, valebat ad expianda populi peccata quàdam expiatione carnali: similiter et cinis vaccæ rufæ, quo aquâ mixto respergebantur ii qui secundùm legem erant imbuendi, valebat ad sanctificandos eos, id est, purificandos ab immunditia, ut secundùm carnem et forinsecùs mundi essent. Quantò magis igitur sanguis ipsius Christi, qui auctore et impulsore Spiritu sancto semetipsum agnum immaculatum in mortem Deo pro nobis obtulit, emundabit animas nostras à peccatis mortiferis, ut Deo vivo in vera sanctitate et justitia serviamus? Ratio consequentiæ est, quia plus valet sanguis Filii Dei ad purgandas et sanctificandas hominum animas, quàm valere potuerit sanguis animalium brutorum occisorum ad emundationem carnis.

v. 22. Juxta Apostoli institutum, ex his verbis optimè colligas: Si in veteri lege non fiebat remissio legalis sine effusione sanguinis animalium occisorum: ergo nec in nova lege fit vera peccatorum remissio sine effusione sanguinis Christi, quem sanguis ille victimarum veteris Testamenti præfiguravit. Est enim hæc collectio planè similis ac penè eadem cum illa quam Apostolus ipse superiùs fecit illis verbis: *Si enim sanguis hircorum et taurorum*, *etc.* (*v.* 13.) Dicet aliquis: Si vera peccatorum remissio non fit sine effusione sanguinis Christi; (quod ex hoc loco rectè colligi jam dictum est:) ergo sacrificium Missæ, cùm sit incruentum, sicque vocetur à Patribus, quòd in eo nulla fiat sanguinis effusio, non valet ad veram peccatorum remissionem. Respondetur argumentum hoc nihilò magis facere contra sacrificium Missæ, quàm contra Baptismum, et alia Sacramenta novæ legis ad remissionem peccatorum instituta: dicendum est enim, sicut Baptismo non remittuntur peccata nisi ex sanguine Christi fuso in cruce: ita nec per sacrificium Missæ remitti sine cruento illo crucis sacrificio, cujus ipsum est commemorativum. Utrumque enim, tam Baptismus quàm Missæ sacrificium efficax est in sanguine Christi, et non aliter.

v. 24. Hic verò aliud quoddam munus Pontificis Christo in cœlum recepto assignat: quod tamen etiam ad emundationem pertinet: simulque alludit ad ritum veteris legis, ubi Pontifex ingressus in Sancta sanctorum stabat coram propitiatorio, ut oraret pro populo. Ita Christum dicit introiisse in cœlum, ut vultui Dei se pro nobis sistat: id est, ut apud Deum pro nobis interpellet.

v. 25. *Neque ut sæpè offerat semetipsum.* Quoniam præcipuum Pontificis munus est offerre sacrificium: dubitari poterat num Christus ingressus cœleste sanctuarium adhuc munus illud exerceat offerendo semetipsum: quomodo semel obtulit. Docet ergo non ideò Christum introiisse in cœlum, ut iterùm ac sæpiùs offerat semetipsum; nihil enim opus esse, cùm sicut antèà dixit, et in consequentibus ampliùs declarat, Christus semel oblatus æternam redemptionem invenerit. Quæres, si desiit offerre,

quomodo adhuc Sacerdos est.... Dicamus Christum postquam introivit in Sancta cœlestia, nequaquam prorsùs cessare ab actu Sacerdotali. Nam et hostiam semel oblatam, id est, seipsum semel passum, continuò pro salute hominum sistit et offert Patri: quod significatum est verbis præcedentibus, *ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* (*v.* 24.): et adhuc quotidiè, manibus suorum ministrorum per universam Ecclesiam, offert incruentum et commemorativum sacrificium corporis et sanguinis sui. Quæ res pluribus à nobis explicata est suprà capite 7. cùm tractaremus illud Psalmi: *Tu es Sacerdos in æternum.* (*Ps.* CIX. 4.) Quod autem negat Apostolus Christum sæpiùs offerre seipsum, de ea dicit oblatione quæ per se valeat ad propitiandum Deum: qualis sola est illa, quâ seipsum obtulit in cruce; ab hac enim, sicuti Sacramenta, sic et Missæ sacrificium vim suam omnem recipit.

v. 28. Jam illud quæritur, cur Apostolus dixerit, *multorum*, et non omnium. Brevis et bona responsio est, Christum, quantùm ad sufficientiam passionis attinet, omnium hominum peccata tulisse; quia valebat ad omnium redemptionem: quantùm verò ad efficientiam, non omnium sed multorum. Non enim omnes per eam redempti sunt et salvati, sed solùm electi. Quod ergo dicit Apostolus, imò Prophela, *multorum*, electos intellige, id est, oves Christi, pro quibus animam suam ponere se dicit (*Joan.* X. 15.), quos ipse etiam *multorum* nomine designat interdùm, ut cùm dicit se venisse, *ut daret animam suam redemptionem pro multis* (*Matth.* XX. 28. *et Marci* X. 45.), et cùm de sanguine suo dicit, *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*Matth.* XXVI. 28. *Marci* XIV. 24.) et in Canone Missæ. Quin ex hoc Apostoli loco Concilium Valentinum in Galliis habitum anno Domini 855. docet cap. 4. Christum non fudisse sanguinem pro omnibus omninò hominibus, sed tantùm pro eis qui credunt: damnatque erroris eos qui secùs sentiunt.

NICOL. DE LYRA *in Cap.* IX. *ad Hebr. v.* 22. *Et sine sanguinis effusione non fit remissio.* Quia animalia sacrificabantur pro peccatis, quorum effundebatur sanguis in signum, quòd per effusionem sanguinis Christi fienda erat remissio peccatorum, quæ non poterat sanguine animalium fieri, sed tantùm significari.

v. 23. *Ipsa autem cœlestia melioribus hostiis quàm istis*, supple, debuerunt mundari. Et ideò mundati sunt sanguine Christi. Sed dices, Quomodo intelliguntur mundari cœlestia, ubi nulla est macula? Dicendum, quòd sicut dicebatur emundari tabernaculum, non quia haberet in se aliquam maculam seu immunditiam, sed quia tollebantur quædam irregularitates, quibus impediebantur homines accedere ad sanctuarium: ita dicuntur mundari cœlestia per Christi sanguinem et per Sacramenta novæ legis, ex eodem sanguine habentia efficaciam, in quantùm purgant peccata, quæ impediunt ab ingressu cœlestium. Et ideò dicit *hostiis* in plurali. Quia licèt sanguis Christi sit una hostia, tamen ejus efficacia nobis communicatur per varia novæ legis sacramenta.

v. 28. Obtulit semetipsum. Fit tamen mentio in hac oblatione, segregatim de sanguine Christi, in quantùm fuit separatus à corpore, tamen utrumque est de oblationis integritate, propter quod in sacramento altaris (quod est memoriale ipsius oblationis) consecratur simul caro et sanguis tamen sub speciebus diversis, sicut in illa oblatione fuit sanguis separatus à carne. Similiter anima Christi fuit pro nobis oblata, in quantùm per passionem fuit à corpore separata, ad satisfaciendum pro nobis. (*Joan.* X. 15.) *Animam meam pono pro ovibus meis.* Et hic patet quòd tota humanitas pertinet ad Christi oblationem seu sacrificium. Quòd autem hoc habeat perfectè rationes oblationis vel sacrificii, patet, quia sacrificium in lege fiebat triplici de causa. Primò ad tollendum peccatum. Propter hoc in lege dicebantur aliqua sacrificia pro peccato. Secundò ad gratiam conservandam. Propter hoc in lege dicebantur aliquæ hostiæ pacificæ. Tertiò ad hoc quòd mens hominis perfectè Deo uniretur per amorem. Propter hoc in lege offerebatur holocaustum, quod totum incendebatur ad honorem divinum. Ista autem tria proveniunt nobis à Deo, mediante humanitate Christi pro nobis oblatâ, quia per hanc peccata sunt deleta. (*Apocal.* I. 5.) *Dilexit nos et lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo:* Et gratia collata, (*Joan.* I. 17.) *Gratia et veritas per Jesum*

Christum facta est. Et porta gloriæ aperta, in qua fit hominis ad Deum unio perfecta. Propter hoc dicitur infra seq. cap. *Habemus fiduciam per sanguinem ejus in introitu sanctorum.* (*Hebr.* x. 15.) Et sic patet quòd sacrificium Christi fuit perfectissimum, quia continet in se perfectissime virtutem omnium sacrificiorum, sicut perfectio divina continet in se unitivè et eminentiùs perfectiones omnium creaturarum.

JOAN. MENOCH. Soc. Jesu, *in Epist. ad Hebr. cap.* IX. *v.* 8. *Nondùm propalatam esse viam sanctorum.* Nondùm apertam esse viam cœli, quæ aperienda erat per sanguinem Christi.

Adhuc priore tabernaculo habente statum, id est, manente priori tabernaculo, lege, et ritibus Mosaïcæ legis.

v. 15. *Et ideò novi Testamenti mediator est.* Particula, *et ideò*, hunc habet sensum: Quia sanguis ejus emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis, nec sacrificia legis id præstare potuerunt, mediator factus est novi testamenti, quo non bona temporalia, sed æterna promittuntur. Mediator testamenti dicitur is, qui efficit ut alii consequantur quod in testamento promittitur, ut patet ex sequentibus.

v. 15. *Ut morte intercedente* (*opos thanatou genomenou*), *ut morte factâ*, cùm priùs ipse testator mortuus fuerit. Quod cur dicat exponit paulò post: (*v.* 16.) *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris.* Ne quis putaret mortem Christi, aut dedecori Christianis esse dèbere, aut ex imbecillitate ejus esse, ostendit nos non potuisse hæreditatem consequi, nisi per ipsam, et tantam fuisse ejus potentiam, ut omnia peccata delere possit.

In redemptionem earum prævaricationum, etc. Tantæ, inquit, virtutis fuit passio Christi, ut nè sancti quidem, qui in veteri testamento fuerunt, salutem sine ipsa consequi potuerint, quoniam peccata illis remitti non potuerunt, nisi per sanguinem Christi, qui fundendus erat in pretium redemptionis, cujus effusionem sacrificiis suis præfigurabant, et per eum delenda esse peccata profitebantur.

Repromissionem accipiant, etc. Id est, ut vocati accipiant æternam hæreditatem sibi promissam, ad quam vocati sunt.

Qui vocati sunt, eos intelligit, qui tempore legis vocati sunt ad vitam æternam.

JOAN. GAGNÆUS, *Comment. in Epist. Paul. ad Hebr. cap.* IX. *v.* 8. Hoc significante Spiritu sancto, per quæ scilicet quòd in Sancta sanctorum cæteris Sacerdotibus non patebat accessus, significabat Spiritus sanctus, quòd *priore tabernaculo*, id est, lege adhuc *statum habente*, id est, stante ac in suo robore perseverante, ante Christi mortem, *nondum propalata erat via sanctorum*, id est, nondùm ad Sancta sanctorum, id est, ad ipsum cœlum in illis figuratum patebat vel ipsis Judæorum præcipuis Sacerdotibus accessus, in quod solus Sacerdos summus Christus prior ingressus antiquatâ per mortem suam lege, nobis aditum fecit.

v. 11. Christus accedens in hunc mundum, ut Pontifex esset futurorum bonorum, scilicet cœlestium gaudiorum, *per amplius et perfectius tabernaculum*, id est, corpus suum, quod eò amplius est et capacius tabernaculo Judæorum, quòd in eo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; et perfectius, quia perfectè nos per carnem suam justificavit. Per hoc ergo tabernaculum introivit in Sancta sanctorum Christus.... Quemadmodùm autem Pontifici legali priusquàm secundum tabernaculum intraret, per primum transire opus erat: ita Christus priusquam in cœlum ascenderet, per tabernaculum sui corporis introivit. Et rursùs, quemadmodùm Pontifex non sine sanguine et præimmolata hostia introibat in Sancta; ita Christus, (*v.* 12.) *non per sanguinem hircorum aut vitulorum*, quod legalis Pontifex faciebat, *sed per proprium sanguinem*, immolatâ scilicèt in ara crucis sui corporis hostiâ, *semel introivit in Sancta sanctorum*, id est, in cœlum, et æternam gloriam. Benè autem ait *semel*, quia sicut Pontifex legis semel tantùm in anno cum sanguine introibat in Sancta: ita Christus semel tantùm cum sanguine introivit in cœlum. Quòd enim mortuus est, mortuus est semel. Introivit autem *æternâ redemptione inventâ*, quia per illum ingressum, æternam nec opinantibus nobis redemptionem invenit, et perfectam justificationem ac peccatorum emundationem peperit.

aspergebat septies contra velum ad Orientem, quo ritu significabat non nisi per Christum, qui Orientis nomine designatur (G), patefaciendam esse cœlorum viam; nec priùs obtinendam esse remissionem peccatorum omnimodam, quàm *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum introiret, non in manufacta sancta, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum;* illucque introiret *non in sanguine alieno, sed per proprium sanguinem; nec singulis annis, sed semel unâ oblatione consummaturus in æternum sanctificatos, et apparens nunc jugiter vultui Dei pro nobis.* (*Hebr.* IX. 11. *et* 12.) Quod enim Judæorum Pontifex singulis annis idem ageret, hoc declarabat veram peccatorum remissionem per illa umbra-

v. 13. *Si enim sanguis hircorum*, id est, sanguis et cinis irrationabilium animalium emundare carnem potuit, *quantò magis sanguis Christi*? qui cùm Pontifex esset, hostia quoque factus est, quando *semetipsum per Spiritum sanctum immaculatum Deo* patri *obtulit* in ara crucis, et emundavit non carnem tantùm, sed *conscientiam et mentem ab operibus mortuis*, id est, peccatis, *ad serviendum Deo viventi*, ut ab illis emundati verè Deo serviamus.

v. 18. Et necesse erat, inquit Paulus, (*v.* 23.) *Exemplaria cœlestium*, id est carnalia legis sacrificia, quæ typus et exempla sunt cœlestium et spiritualium nostrorum sacrificiorum, *his* aspersionibus *mundari*, quæ Christi sanguinis aspersionem præfigurarent: *ipsa autem cœlestia*, id est, spiritualia Christianorum sacrificia, *melioribus*, ac perfectioribus *hostiis*: quod quidem per Christum Pontificem factum esse probat.

v. 24. *Non enim in manufacta, etc.* Cum sacrificia sacrificiis, Pontificem Pontificibus legalibus comparasset, nunc sancta cum sanctis comparat, dicens, quòd Jesus nequaquam in sancta hominum facta manibus intravit, quæ nec vera erant, sed verorum tantùm exemplaria; sed in ipsum cœlum per illa figuratum, ut illic habitans *appareat vultui Dei pro nobis*, ac pro nobis interpellet, *non ut semetipsum sæpius* per sui corporis hostiam et mortem *offerat* (*v.* 25.), *quemadmodùm Pontifex* legalis, *per singulos annos* intrare in sancta debebat, idque *in sanguine alieno*, id est, cum immolatione taurorum et hircorum: non sic autem Christus, qui semetipsum obtulit in hostiam, idque semel tantùm cùm sæpius non indigeret.

EMMAN. SA SOC. Jesu, *Comm. in Epist. ad Hebr. cap.* IX. *v.* 8. *Propalatam*, id est, apertam; scilicet per plenam expiationem, quam Christus erat facturus.

v. 22. *Et sine, etc.* quasi dicat, Nam reverà nulla peccati remissio fieri potest sine Christi sanguine, cujus illa legalia figura erant.

JACOB. TIRINUS SOC. Jesu, *Comm. in cap.* IX. *Epist. ad Hebr. v.* 8. *Significabat Spiritus sanctus, nondùm propalatum esse* tempore legis Mosaicæ *viam sanctorum* id est, nondùm hominibus patefactum esse aditum in vera *Sancta sanctorum*, id est, in cœlum, quia nondùm facta erat expiatio peccatorum per sanguinem et mortem Christi. Ita Chrysost. cum suis, et Primasius.

v. 23. *Itis legalibus et carnalibus hostiis necesse erat mundari exemplaria cœlestium*, id est, vetus tabernaculum, veterem Synagogam, et omnia quæ his continebantur, quæ erant exemplaria, id est, typi et figuræ Ecclesiæ Christi, et novæ legis ac novi Testamenti, quæ hic *cœlestia* vocantur propter cœlestem victimam, doctrinam, præmium et hæreditatem: *mundanda melioribus* et nobilioribus *hostiis*, purâ carne et sanguine Christi, partim cruentè in cruce, partim incruentè in Eucharistia oblato. Quæ hostia quia quotidiè repetitur, et à multis Sacerdotibus offertur, ideò quasi multæ hostiæ censentur: et per illam Ecclesia tum militans, tum triumphans omnem suam munditiam et sanctitatem continuò accipit.

(G) ZACHAR. III. 8. Adducam servum meum Orientem.

VI. 12. Ecce vir, Oriens nomen ejus.

LUC. I. 78. Visitavit nos Oriens ex alto.

tica sacrificia non potuisse conferri ; sed isthæc omnia in figuris acta fuisse. Christus autem unico sacrificio divinam iram placavit, reconciliavit nos Deo, januas cœli reseravit, et introduxit nos in abstrusissima sanctuarii cœlestis penetralia, undè jam non est aliud sacrificium offerendum. (H)

I. Cur in solemni illo sacrificio, quod semel in anno pro peccatorum expiatione fiebat, Pontifex non suis, sed Sacerdotum inferioris ordinis vestibus induebatur ?

R. Ut oblaturus solemne sacrificium pro suo populique peccato, pœnitentiam quodammodo profiteretur in exteriori habitu. Ideoque peracto hoc ritu, eoque quasi expiatus lavabat corpus ; detractisque his vestibus, sumebat indumenta Pontificalia, ut jam purificatus offerret tam suum quàm populi holocaustum, et adoleret adipem victimarum, quæ fuerant pro peccatis immolatæ.

I. Cujus rei typus erant sacrificia similæ ?

R. Typus erant sacrosancti Missæ sacrificii, quo Christus sub specie panis et vini offertur sine sanguine effusione.

I. Cur oleum et thus miscebantur huic sacrificio ?

R. Oleo designabatur unctio Spiritûs sancti, quo plenus est Christus hoc sacrificio adumbratus. Thure significabatur oratio, quæ thuris instar ascendit ad Deum, et oblationes reddit acceptas Deo.

I. Cujus rei typus erat sacrificium hirci emissarii ?

R. Typus erat sacrosancti Missæ sacrificii, quod fit sine sanguinis effusione actuali.

I. Cur sumebantur hirci duo ; quorum unus mactabatur, alter emittebatur, postquam cumulatus fuisset omnium imprecationibus et peccatis ?

R. Hoc ritu multa significabantur.

1° Sacrificium Missæ unum quid futurum cum sacrificio crucis : si quidem hæc duplex hircorum immolatio, altera realis, altera mystica, unum esse sacrificium censebantur.

2° Missæ sacrificium vim omnem et efficaciam habere à sacrificio crucis : si quidem hircus emissarius aspergebatur sanguine hirci mactati.

3° Fore ut Christus innocens peccata omnium portaret, et ponerentur super eo iniquitates omnium nostrûm, et livore ejus sanaremur. (*Isai.* LIII. 4. 5. *et* 6.)

4° Mactatus hircus typus erat naturæ Christi humanæ, quâ mortem subiit. Hircus emissarius adumbrabat naturam divinam, utique immortalem. Unum est utriusque hirci Deo oblati sacrificium ; in quo moritur homo non Deus, sed homo Deus suscepit in se similitudinem carnis peccati, peccatis nostris onerari voluit, atque ita nos liberavit à peccatis. (I)

(H) *Vide hæc fusè suprà hocce* §. *litt.* (F)

(I) THEODORETUS *in Levitic. q.* 22. Jussit.... pro universo populo duos hircos pro peccato sumere, et arietem unum in holocaustum. Præcipit hircos sorte distingui : et unum quidem sacrificari, alterum autem in

solitudinem mitti.... *Et assumet hircus super se iniquitates ipsorum in desertum.* (*Levit.* XVI. 22.) Symmachus porrò emissarium interpretatur, in hircum abscedentem ita ut emittatur in emissionem.... Aquila autem in hircum qui dimittitur in solitudinem.... Ambo quidem offerebantur Deo, sed unus mactabatur, alter autem assumptis peccatis populi in solitudinem emittebatur. Quemadmodùm enim in purificatione leprosi, uno passere mactato, alter alius sanguine tinctus liberabatur: ita duobus hircis oblatis pro peccatis populi, unus sacrificabatur, alter emittebatur. Hæc vero typus erant Christi Domini, ita ut hæc duo animalia non pro duabus personis accipiantur, sed pro duabus naturis. Cùm enim per unum hircum adumbrari commodè non possent mortalitas simul et immortalitas Christi Domini, nam hircus mortalis est solùm, necessariò duos offerri jussit: ut ille qui mactabatur carnis passibilem naturam significaret: qui verò solvebatur, divinitatis indicaret naturam impassibilem. Porrò nemo existimet ineptum, hircos præfigurare passionem Christi, cùm ipsum magnus Joannes appellaverit Agnum (*Joan.* I. 29.): sed perpendat potiùs, quod non pro justis tantùm, sed etiam pro peccatoribus seipsum obtulerit. Hædis autem Dominus comparavit cœtum peccatorum: *Statuet enim*, ait, *agnos à dextris, hædos autem à sinistris* (*Matth.* XXV. 33.): Et in lege pro peccato offerebatur hædus. Ac Dominus ipse æneum serpentem sui ipsius esse figuram dixit (*Joan.* III. 14. *et* 15.): *Sicut enim Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis: ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Quamobrem si non quadrat hircorum figura, multò minùs figura serpentis. Hæc ergo prænuntiabant terræ salutem: Judæos verò tanquam infantes delectabat, quòd hircus peccata in desertum auferret: quia reducebat illis in mentem scelus in deserto priùs amissum, et inenarrabilem Domini benevolentiam, per quam justis supplíciis evitatis in terram promissam ingressi sunt.... Ad hæc mandavit sanguine vituli et hirci aspergere digito è regione oraculi septies: et quia septem diebus vita revolvitur, et quotidiè, ut verbo dicam, modicum aut graviter delinquimus, pro peccatis illis diebus commissis sanguinis aspersio numero par offerebatur.... Deindè subjungit (*Levit.* XVI. 34.): *Semel in anno fiet juxta ritum quem constituit Dominus Moysi.* Cæterum hoc quoque præfigurat dispensationem Salvatoris nostri.... Sicut enim semel in anno Pontifex ingrediens in Sancta sanctorum sacrificium illud peragebat: ita Dominus Christus, postquam semel passionem salutarem pertulit, ascendit in cœlum *æternâ redemptione inventâ*, ut perhibet divinus Apostolus. (*Hebr.* IX. 12.)

S. CYRILL. ALEXANDR. *Epist. ad Acacium, de capro emissario, pag.* 124. *tom.* 5. *Umbram habet lex futurorum bonorum*, et *non ipsam imaginem rerum*, ut scriptum est (*Hebr.* X. 1.): attamen umbræ veritatem pariunt, etsi ipsæ omninò veritas ipsa non sint.... Agedum igitur velamine legis ablato, depositoque operimento quod Moysis faciem exteriùs adumbrat (*Exod.* XXXIV. 33.), ipsam nudam veritatem contemplemur. (2. *Corinth.* III. 13. *et seq.*) Duos hircos offerri, et duas sortes illis inscribi præcepit: voluit autem, ut alter ex illis nominaretur *Dominus*, alter verò *emissarius.* (*Levit.* XVI. 8. *etc.*) Nomina itaque capris imposita *Dominus* et *emissarius.* Designatur autem per utrosque unus et solus Filius et Dominus Jesus Christus.... Christus itaque secundùm Scripturas factus est hostia pro peccatis nostris; et hac etiam de causa peccatum nominatur. Quare scribit sapientissimus Paulus (2. *Cor.* V. 21.): *Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit:* nimirùm Deus et Pater. Neque enim dicimus Christum fuisse peccatorem: absit hoc: sed hunc justum, immò illam ipsam justitiam (peccare enim non novit) victimam fecit Pater pro mundi peccatis. *Et cum iniquis reputatus est* (*Isaï.* LIII. 12.), cùm sententiam sustinuit iniquis convenientissimam. Cui quidem rei fidem facit Esaïas divinus Propheta (*Ibid.* 6. *et* 5.): *Omnes*, inquit ille, *quasi oves erravimus, unusquisque in via sua erravit: et Dominus tradidit eum pro iniquitatibus nostris, et ipse pro nobis dolet, et livore ejus sanati sumus.* Scribit et sapientissimus Petrus, dicens, quòd *peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* (2. *Petr.* II. 24.) His ergo, qui in terris erant, sors illa impendebat, ut morì necesse esset: idque tum propter

I. Cujus rei typus erat sacrificium passeris in libertatem emissi ?

R. Ejusdem ferè rei quod sacrificium hirci emissarii : magna quippè est inter utrumque sacrificium convenientia. (K)

transgressionem in Adam, tum propter peccatum, quod ab eo ad nos usque tyrannidem suam extendebat. Verùm Dei Patris Verbum illud, largum ad benignitatem atque clementiam, factum est caro, hoc est, homo nobis peccato obnoxiis conformis, et sortem nostram subiit. Nam ut optimus Paulus scribit, *Gratia Dei pro omnibus gustavit mortem* (*Hebr.* II. 9.), *suamque animam pro omnium vita redemptionem dedit.* (*Matth.* XX. 28.) *Sed et unus quoque pro omnibus mortuus est, ut omnes Deo vivamus, sanctificati, et vivificati per sanguinem ejus* (2. *Cor.* V. 15.); *justificati etiam gratis per gratiam ipsius.* (*Rom.* III. 24.) Nam et beatus Evangelista Joannes scribit, *Jesu Christi sanguis ab omnibus peccatis nos emundat.* (1. *Joan.* I. 9.) Nomen itaque capro immolato erat Dominus ; sorteque maclabatur, et sancta erat sacraque victima in typum Christi, qui non pro se ipso, sed.... pro nobis mortuus est, sanguineque suo Ecclesiam sanctificavit..... Considerandum est igitur in capro immolato Emmanuelem subiisse mortem secundùm carnem, sed hoc ad mortis peccatique destructionem. Erat enim inter mortuos liber (*Ps.* LXXXVII. 6.), utpote neque à peccato victus, neque mortis sententiæ, sicut nos, obnoxius. In altero quoque, hoc est, in vivo ac demisso hirco, eumdem spectemus, dùm in eo quod secundùm humanam naturam patitur, non patitur secundùm divinam ; et dùm carne moritur, mortis victor evadit : neque secundùm Judæorum amentiam, nobiscum in monumento remansit, neque unà cum aliis intra inferni portas detentus fuit. (*Ps.* XV. 10.) Nam ut Discipulus illius asserit, *non derelicta est in inferno anima ejus, neque caro ejus vidit corruptionem* (*Act.* II. 27. 31.) : revixit enim spoliatis inferis.... et ad supernum cœlestemque Patrem, locum utique hominibus inaccessum, abscessit ; peccatis nostris in se susceptis, et propitiatio pro illis existens. Scribit enim beatus Joannes his qui in illum credebant (1. *Joan.* II. 1. *et* 2.) : *Filioli mei, hæc scribo vobis, ut non peccetis. Sed et si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum ; et ipse est propitiatio pro peccatis nostris : non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi....* erat enim in utroque unus et solus Filius et Dominus Jesus Christus adumbratus ; ut qui, licèt secundùm propriam carnem pateretur, tamen extra omnem passionem ageret : ut morti subjectus, et supra mortem. Vivebat enim Dei Verbum etiam intereà dùm sancta illius caro mortem gustabat : manebatque impatibile, quamvis proprii corporis passionem veluti propriam in se transferret.

(K) LEVIT. XIV. 48. *Vide suprà hujusce Cap.* §. 4. *litt.* (T)

S. CYRILL. ALEXANDR. *Epist. ad Acacium, ubi suprà.* Videre est autem magnum hoc profundumque mysterium et aliâ quoque figurâ in Levitico delineatum.... Duæ itaque sunt aviculæ inculpatæ, hoc est, mundæ, nullamque habentes maculam, quæ à lege notetur ; et altera quidem maclabatur super aquam vivam, altera verò à cæde libera, deindè tincta sanguine super aquam vivam occisæ, ad exemplum hirci in solitudinem dimittitur. Et hîc rursùm typus magnum illud venerandumque Salvatoris nostri mysterium nobis indicat. Venerat enim Verbum è supernis, hoc est, ex Patre et è cœlo : quare rectè admodùm volucri comparatur. Descendit autem per carnis dispensationem ad nostram similitudinem, et formam servi accepit : verumtamen et hoc quoque pacto è supernis est.... Cæterùm quod antè visum est in hircis, hoc ipsum et in passeribus ipsis observare licet, Verbum carne quidem passum esse secundùm Scripturas : sed tamen quavis perpessione majus exstitisse ; et humanitùs quidem mortuum, divinitùs verò vivum permansisse. Verbum namque vita existit.... Verùm enim verò licèt Verbum secundùm propriam naturam passionis mortisque expers permanserit ; at suæ tamen carnis.... passiones veluti proprias in se transtulit. Tingebatur enim passer vivus in

I. Cujus rei gratiâ singulis sacrificiis adjungebantur similæ, vini, olei, salis et thuris libamina?

R. Hoc ritu fiebat ut Sacrificia sacri convivii instar essent, in quo carnes, panis, vinum, oleum et sal apponerentur. Thus autem faciebat ad suavitatem convivii.

Sed missâ hâc interpretatione, quæ fortè plus habet subtilitatis quàm veritatis, longè satiùs est isthæc omnia ad mysticas rationes accommodare : siquidem constat ritus omnes veterum sacrificiorum mysterii causâ fuisse institutos apud eum populum, cui, ut ait Apostolus, *omnia contingebant in figuris.* (1. *Cor.* X. 11.)

De olei et thuris significatione jam diximus (*Vocce* §.): cætera prosequamur.

Similâ et vino designabatur Missæ sacrificium, quod sub panis et vini specie erat offerendum. Nam Christus ipse se panis nomine designat : *Ego*, inquit, *sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* (*Joan.* VI. 51.) Vino autem Christi sanguinem intelligi, vel ex illa Jacob prophetia patet, in qua de Christo dicitur, *Lavabit in vino stolam suam* (*Genes.* XLIX. 11.); quibus verbis significari sanguinem Christi fundendum, unanimi sacrorum Interpretum consensione constat. (L)

sanguine occisi ; et sanguine quidem illius cruentatus, passionisque propemodum particeps, in solitudinem dimittebatur. Ad cœlum enim unigenitum Dei Verbum unà cum carne sibi unita rediit.

THEODORET. *q.* 19. *in Levit. Quid significant duo passeres, qui in purificatione leprosi offerantur?* (*Levit.* XIV.) Salutaris passionis typum continent. Nam quemadmodùm ex passeribus, alter mactabatur, alter sanguine mactati tinctus dimittebatur : ita Dominus Christus pro humanitate leprâ inquinatâ crucifixus est, carne quidem perferente mortem, divinitate verò passionem humanitatis sibi accommodante. Jam verò sicut leprosus reddebatur splendidus et purus, ubi aspersus fuisset sanguine passeris immolati mixto aquâ purâ cum ligno cedrino, hyssopo, et cocco retorto : ita qui credit Christo Salvatori, sacro-sancti baptismatis aquâ lustratus, peccatorum maculis abstergitur. Porrò lignum cedrinum, quod corruptioni minimè est obnoxium, repræsentat divinitatem passionis expertem : coccinum verò retortum, humanitatem ex anima et corpore constantem : hyssopus autem calorem et suavem odorem sancti Spiritûs. Per hæc enim qui baptizantur, ab animæ lepra liberantur. Hemina verò olei significat unguentum spiritale.... Porrò qui leprosus perdurabat, extra castra degebat, quemadmodùm is qui sine pœnitentia delinquit, expellitur extra Ecclesiam.

(L) TERTULL. *adv. Marcion. lib.* 4. *n.* 40. Ut autem et sanguinis veterem figuram in vino recognoscas, aderit Esaïas : *Quis*, inquit, *qui advenit ex Edom? rubor vestimentorum ejus ex Bosor. Sic decorus in stola violenta cum fortitudine? Quare rubra vestimenta tua, et indumenta sicut de foro torcularis pleno conculcato?* (*Isaï.* LXIII. 1. *et* 2.) Spiritus enim propheticus velut jam contemplabundus Dominum ad passionem venientem, carne scilicet vestitum, ut in ea passum, cruentum habitum carnis in vestimentorum rubore designat, conculcatæ et expressæ vi passionis, tanquam de foro torcularis ; quia exinde quasi cruentati homines de vini rubore descendant. Multò manifestiùs Genesis in benedictione Judæ, ex cujus tribu, carnis census Christi processurus, jam tunc Christum in Juda delineabat. *Lavabit*, inquit, *in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum* (*Genes.* XLIX. 11.) ; stolam et amictum carnem demonstrans, et vinum sanguinem. Ita et nunc sanguinem suum in vino consecravit, qui tunc vinum in sanguine figuravit.

S. JUST. Mart. *Apol.* 2. *pag.* 72. Porrò verbum istud *Ligans ad vitem*

Salem, prudentiæ et sapientiæ symbolum, in singulis sacrificiis adhiberi oportuit, ut intelligeremus necesse fuisse ad illorum sacrificiorum saporem, ut Christi, æternæ Pa-

pullum suum, et lavans in sanguine uvæ stolam suam (*Id. ibid.*) : symbolum atque indicium fuit, ea quæ de Christo futura erant, quæque ab eo fieri debebant designans. Nam pullus quidam asinæ in introïtu quodam vici ad vitem alligatus stabat : quem sibi tum adducere familiares suos jussit, cùm eo conscenso Hierosolyma ingressus est, ubi maximum Judæorum templum fuit, à vobis posteà eversum. Et exindè, ut quod reliquum erat prophetiæ compleretur, in crucem est actus. Nam verbum, *Lavans in sanguine uvæ stolam suam*, passionem ejus, quam subiturus erat, prænuntiavit; per sanguinem lustrans atque purificans sibi credentes. Quæ enim à divino Spiritu per Prophetam dicta est stola, fideles ejus sunt; in quibus quod à Deo est semen, verbum, habitat. Quòd verò *sanguis uvæ* dicitur significat, eum qui appariturus fuerat, sanguinem quidem habiturum, verùm non ex humano viri semine, sed ex virtute divina.

In Dialog. cum Tryph. Jud. pag. 273. Et illud quod à Mose est in historiam relatum, et à Patriarcha Jacobo prænuntiatum : *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine vitis pallium, sive amictum suum.* Sanguine ejus ablutum iri credentes in eum, significavit. Stolam namque ejus vocavit Spiritus sanctus eos qui per illum remissionem peccatorum acceperunt : in quibus continenter virtute adest, manifestò autem aderit in secundo adventu suo. Quòd verò Verbum *sanguinem uvæ* dicit, perelegantèr declaravit, sanguinem quidem habere Christum, verùm non ex hominis semine, sed ex Dei virtute. Quemadmodùm enim vitis sanguinem non homo creavit, sed Deus : sic et ipsius Christi sanguinem non ex humano genere, verùm ex Dei virtute fore prædixit.

S. AUG. *contra Faust. lib.* 12. *cap.* 43. Si non lavit in vino stolam suam : ipsa est enim gloriosa Ecclesia, quam sibi exhibet, non habentem maculam aut rugam : cui dicitur etiam per Isaïam ; *Si fuerint peccata vestra sicut phœnicium, tanquam nivem dealbabo.* (*Isaï.* I. 18.) Undè nisi de dimissis peccatis ? In quo ergo vino, nisi illo de quo dicitur, quòd *pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* (*Matth.* XXVI. 28.) Ipse est enim botrus ille qui pependit in ligno. Propterèa et hic vide quid adjungat, *Et in sanguine uvæ amictum suum.* (*Num.* XIII. 24. *Genes.* XLIX. 11.)

De Civit. Dei, lib. 16. *cap.* 41. Stola porrò ejus quam lavat in vino, id est, mundat à peccatis in sanguine suo, cujus sanguinis sacramentum baptizati sciunt, undè et adjungit, *Et in sanguine uvæ amictum suum* (*Gen.* XLIX. 11.) ; quid est nisi Ecclesia ? *Et fulvi oculi ejus à vino* (*Ibid.* 12.) : Spiritales ejus inebriati poculo ejus, de quo canit Psalmus, *Et calix tuus inebrians quàm præclarus est.* (*Ps.* XXII. 5.)

B. THEODOR. *Quæst.* 110. *in Genes.* Deinceps quoque prædicit passionem, *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ amictum suum. Gratiosi oculi ejus supra vinum, et candidi dentes ejus quasi lac.* (*Genes.* XLIX. 11. *et* 12.) Et corpus quidem ejus stolam appellat, sanguinem verò vinum : quandoquidem mysticum etiam vinum sanguinem vocavit Dominus. Sed et Joannem Evangelistam audimus docentem, cùm miles latus ipsius sauciasset, sanguinem et aquam exiisse. (*Joan.* XII 34.) Hi verò fontes per corpus effusi sunt. Idcircò dixit Patriarcha, *Lavabit in vino stolam suam.*

EMMAN. SA. *Comm. in Genes. cap.* XLIX. *In vino*, id est, in sanguine. TERTULL. *contra Marc. lib.* 4. JUSTINUS *ad Anton.*

Stolam, id est, corpus, secundùm Tertull. vel fideles, secundùm Justin.

JOAN. MENOCH. *Comm. in Genes. cap.* XLIX. *v.* 11. *Lavabit in vino*, sanguinis sui, *stolam suam*, carnem suam. *Et in sanguine uvæ pallium suum*, sanguine suo Ecclesiam suam, cùm scilicet mortuus est in cruce, et in dies lavat mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ.

JACOB. TIRIN. *Comm. in Genes. cap.* XLIX. *v.* 11. Et verè alludit hùc Patriarcha : sed principaliùs respicit ad Christum, illiusque passionem, et fructus indè toti orbi consecutos ; ut eleganter exponunt Ambrosius, Augustinus, et alii SS. Patres.

tris sapientiæ, sale condirentur; alioqui velut insipida fore rejicienda.

I. Cujus rei typus erat sacrificium thymiamatum?

R. 1° Sacrificium laudis, quo per orationem fertur anima nostra ad Deum, incenso thymiamate signabatur.

2° Nihil obstat oblationem thymiamatis videri typum Missæ sacrificii. Adolebatur enim in altari posito in medio sanctuarii, quod quidem sanctuarium, ut diximus (*hocce* §.), typus erat Ecclesiæ in statu præsenti.

Adde quod, quemadmodùm in thymiamatum sacrificio præcipua habebatur ratio odoris qui ex incenso thymiamate prodibat, sic in Missæ sacrificio sub specie panis et vini offertur ipsa corporis et sanguinis Christi substantia, in quam per consecrationem (in qua posita est præcipua ratio sacrificii,) panis et vinum convertuntur.

I. Dixisti superiùs, octo præcipuè consideranda esse in veteribus sacrificiis; nimirùm, cui offerrentur, quæ victimæ, quis sacerdos, quis populus, quo ritu, quo in loco, quâ intentione, quid tandem in his mysteriis comprehenderetur. Possuntne isthæc omnia observari in sacrificio Christi?

R. Isthæc omnia habentur in Missæ sacrificio, quod institutum fuit à Christo ad religionis et divini cultûs in lege nova significationem, quemadmodùm erant in veteri lege ex Dei instituto sacrificia ad ejusdem cultûs et religionis testimonium. In hoc sacrificio victima Deo acceptissima offertur Deo per manus Sacerdotis, cum certis ritibus, quibus magna subsunt mysteria; offertur, inquam, in templis ad id consecratis, super altare, estque hoc sacrificium latreuticum, eucharisticum, propitiatorium, impetratorium. Est in eo populus qui materiam sacrificii tradat in manus Sacerdotis, et qui oblato sacrificio communicet. In sacrificio Crucis est quidem victima, Sacerdos, altare, immolatio; sed non est populus qui offerat, non est qui sacrificio corporaliter communicet. *Vide hæc fusius* §. 22. *n.* 10. 11. *et* 30.) Dei optimi maximi paterno erga nos affectu factum est, ut esset in nova lege sacrificium, quo isthæc omnia continerentur, et impleretur perfectissimè quidquid erat in veteris legis sacrificiis adumbratum, hoc Missam dicimus.

Quomodò autem Missæ sacrificio et isthæc omnia contineantur, et impleatur perfectissimè quidquid erat in antiquæ legis sacrificiis adumbratum, patebit ex infrà dicendis. (*Hujus Cap.* §. 10.) (M)

§. 7. Probatur esse in Ecclesia sacrificium exterius et sensibile.

I. Quâ ratione nobis constat esse in Ecclesia sacrificium exterius et sensibile, quod Deo offerendum sit usque ad seculi consummationem?

R. Id constat ex Scriptura et Traditione.

(M) S. Aug. *Lib.* 10. *de civit. Dei, cap.* 20. *Vide suprà hujusce Cap.* §. 3. *litt.* (A)

I. Quomodò ex Scriptura ?

R. Id adstruunt manifestissimis argumentis sacræ veteris et novi Testamenti paginæ.

Habemus in veteri Testamento figuras et Prophetias, quibus illud apertissimè prænuntietur.

Superioribus paragraphis (*hujus Cap.* §§. 5. *et* 6.) exhibuimus figuras quibus illud adumbratum fuisse patet ex suprà dictis ; nimirùm sacrificium Melchisedech, et sacrificia Judaïca.

Jam pauca de Prophetiis dicenda. In his habetur nulla evidentior quàm quæ exstat apud Malachiam, cujus hæc verba sunt (*Malach.* I. 10.) : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum* (populo Judaïco), *et munus non suscipiam de manu vestra.* 11. *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus ; et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda : quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Quæ verba non abs re fuerit juxta Hebræum sermonem de verbo ad verbum sic exhibere : *Non mihi voluntas in vobis, dixit Deus exercituum, et Minchah* (id est, oblationem similæ) *non suscipiam de manu vestra : nam ab ortu solis usque ad occasum ejus magnum nomen meum in gentibus, et in omni loco suffimentum offeretur nomini meo, et Minchab* (oblatio similæ) *munda, quia magnum nomen meum in gentibus.*

Tria habentur in hac Prophetia.

1. Sacrificia Judæorum esse rejicienda.

2. Horum loco substituendam esse oblationem mundam.

3. Hanc oblationem offerendam esse à gentibus ab ortu solis usque ad occasum, et in omni loco.

Per hanc oblationem intelligi non potest sacrificium crucis : hoc enim non offertur in omni loco, et ab ortu solis usque ad occasum.

Nec potest intelligi sacrificium interius amoris ; neque enim hoc sacrificium novum est, et veteribus substituendum ; hoc enim oblatum est semper, et ab omnibus qui Deo ex intimo cordis affectu litaverunt etiam in veteri lege. Quid quòd non potest hoc sacrificium videri Protestantibus oblatio munda, multum enim asserunt adjunctum habere sordis ex infirmitate naturæ.

Nec intelligi potest hâc oblatione sacrificium laudis et orationis, ut Protestantes opinantur. Nam in hac Prophetia sermo est non solùm de hoc laudis sacrificio, quod per *suffimentum* intelligitur, sed etiam de sacrificio rei alicujus exterioris et corporalis : utrumque enim ponitur in Prophetia, suffimentum scilicet et *Minchah* munda. Porrò Minchæ nomine certissimum est intelligi oblationem ex simila, oleo et vino, quæ singulis diebus vesperè et manè Deo offerebatur ex Judæorum lege. (A)

(A) SS. PATRES *in hunc locum vide infrà, litt.* (B) *hocce §.*
EMMAN. SA Soc. Jesu *comm. in cap.* VII. *Levit. v.* 29. *Offerat simul et*

sacrificium, id est, libamenta ejus, Hebr. Chal. et 70. et aliter, scilicet offerendum Domino.

NICOL. DE LYRA Minorit. *in cap.* VII. *Levit. v.* 29. *Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul et sacrificium, id est, libamenta ejus.* Istud additur ad designandum quid significatur per sacrificium, scilicet illa quæ simul offerebantur cum animali immolando pro pacifica hostia, sicut sunt panes supradicti. Licèt enim propriè loquendo sacrificium sit de animali, oblatio de aridis inanimatis, libamentum de liquidis; tamen unum frequenter ponitur pro alio.

JOAN. MENOCH. Soc. Jesu *comm. in cap.* II. *Levit. v.* 1. Oblationem sacrificii Hebr. est oblationem (*) *Mincha*, quod est sacrificium rerum inanimatarum. Aquila vertit, *Donum de frumento*: quia verò alia sacrificia sua peculiaria habent nomina, idcircò noster Interpres hoc sacrificium, hoc est similæ, sive Mincha, absolutè sacrificium appellat. Institutum est hoc sacrificium, 1° pro pauperibus, ne illos offerendi facultas deficeret. 2° Ut Sacerdotibus de pane et annona provideretur; magna enim ejus pars Sacerdotibus cedebat. 3° Ut non solùm animalibus, sed etiam terræ frugibus Deus coleretur. 4° Quia sacrificium erat quasi convivium Deo instructum; ergo præter carnes, panis vel ejus materia, vinum et sal adhiberi debuerunt. Jussit autem Deus in omnis sacrificio animalis offerri similam et vinum, ut patet Num. XV. Num. IV. 7. et 10. Item sal, ut patet hoc cap. (*Levit.* II. 13.) ut scilicet plenum, et perfectum esset convivium.

Similæ erit ejus oblatio. Quasi dicat, Similam puram sine furfuribus offeret, qui sacrificium, quod Mincha dicitur, offerre voluerit.

JACOB. TIRIN. Soc. Jesu *Comm. in cap.* II. *Levit. v.* 1. *Anima*, id est, homo quispiam, *cùm obtulerit oblationem sacrificii*, id est, cùm offerre voluerit oblationem Deo de rebus inanimatis, *similæ erit ejus oblatio*, id est, poterit offerre similam, seu florem farinæ purissimam, inquit Isidorus. Inferiùs etiam panes coctos, et *spicas virentes* offerri permittit: nempè ne deesset, etiam pauperrimis, quod Deo in sacrificium offerre possent. Et hæc oblatio rei inanimatæ, quia simplicissima, Hebraicè Mincha, Latinè hic *sacrificium* generali nomine vocatur.

DICTIONAR. HEBRAIC. BUXTORF. *in illud verbum* (*) Minchah. Munus, oblatio: munus, odoramenta, Daniel II. 46... *De similæ muneris*, Levit. V. 15. *Et munus ipsorum*, Esdræ VII. 17. Est etiam Mincha, tempus vespertinum olim sacrificiis et precibus dicatum, ab hora tertia pomeridiana incipiens: *Donec ascenderet tempus vespertinum.* 1. Reg. XVIII. 29. ad offerenda scilicet sacrificia vespertina.... *Munus, donum, oblatio: dicitur tam de munere profano, quod homo homini dat, quàm sacro frumentaceo, quod Deo offerebant. Illud munus et manè et vesperè offerebatur.* R. Sal. Levit. XXIV. 9. *Quodcunque venit ex proventu frumenti in genere, id* Mincha *dicitur. A vespertina oblatione tempus ipsum vocarunt Hebræi* Mincha, *et id duplex* Mincha magna, *quæ latè accipitur*, et Mincha parva, *quæ strictè dicitur.* Mincha magna, *seu vespera magna est quæ incipit ab hora sexta et dimidia, id est, statim post meridiem ante primam nostram. Hebræorum descriptio est:* Mincha seu vespera magna est initium temporis sacrificii jugis inter duas vesperas.... *Mincha seu vespera parva est* ab hora nona et dimidia, id est, *ab hora tertia nostra et dimidia, nempè circa quartam nostram. Hoc tempore durante Templo solebant sacrificia offerre, quæ vocantur* Mincha: *cessante Templo et sacrificiis, viri Synagogæ magnæ substituerunt eis preces, et precatio vespertina vocatur....* Sic *tempore Minchæ magnæ precatus est Petrus ascendens in solarium*, Act. X. 9. *Ad Minchæm parvam, seu horam precationis nonam, Petrus et Joannes iverunt in templum*, Actor. III. 1. *Centurio Cæsariensis preces peregit*, Actor. X. 3. 30. *Erat et Mincha sacrificium matutinum*, ut Numeror. XXVIII. 4. 2. *Reg.* III. 20. *Cui successit* oratio matutina, *cujus initium cum ipso die et finis ad horam quartam, id est, ad nostram decimam, non quòd per quatuor horas duraret, sed quòd quilibet tenebatur eam ante finem horæ quartæ absolvere...* Sed redeamus ad vocem: *Munus vel oblationem Domino*, Gen. IV. 3. *Et in munere vel oblatione vespertina.* Esdr. IX 5. id est, tempore oblationis vespertinæ, *ad munus, vel oblationem ejus.* Gen. IV. 4. *Memor sit omnium*

(*) מנחה

Evidenter ergo constat, hàc oblatione ex simila intelligi in hac Prophetia sacrosanctum Missæ sacrificium, oblationem sanè mundissimam, quæ ab ortu solis usque ad occasum per totum orbem, et in omni loco erat offerenda simul cum laudis et orationis sacrificio ab omnibus gentibus, loco sacrificiorum Judaïcorum. Et hoc sensu Patres omnes antiquissimi hanc Prophetiam intellexerunt quoties de illa sermo fuit. Legantur ea de re Justinus Martyr, Irenæus, Tertullianus, Eusebius, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus.(B)

oblationum tuarum, Ps. XX. 4. *Et munus*, Dan. II. 46. *Et munus vel oblationem eorum*, Esdr. VII. 17.

(B) S. JUSTINUS Martyr, *Dialog. cum Tryphone, edit. Paris. in fol. ann.* 1615. *pag.* 344. Verbo nunc vocationis ejus tanquam igne inflammati, verè *sacerdotale genus Dei* sumus : prout et Deus ipse testatur, perhibens nos quovis loco in nationibus, victimas sibi placitas et mundas offerre. A nemine sanè Deus hostias accipit, nisi à Sacerdotibus suis. Universos igitur, qui per nomen istius sacrificia offerunt quæ Jesus Christus fieri tradidit, hoc est in Eucharistia panis et calicis, quæ in loco omni à Christianis fiunt, prævertens Deus, gratos sibi esse testificatur. Quæ autem à vobis (Judæis), et vestris illis Sacerdotibus offeruntur, renuendo abjicit, inquiens, *Et sacrificia vestra non suscipiam ex manibus vestris : quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur in gentibus ; vos autem profanatis illud.* (*Malach.* I. 10. 11. *et* 12.)... Porrò supplicationes simul et gratiarum actiones quæ à dignis peraguntur, solas perfectas esse et Deo charas victimas, ipse quoque affirmaverim. Has verò solas facere Christiani didicerunt in ipsius etiam alimoniæ suæ recordatione, aridæ juxta et liquidæ, in qua et passionis quam pertulit per ipsum Deus Deum meminit.

D. IREN. *adversùs Hæres. lib.* 4. *cap.* 32. *circa finem.* Sed et suis Discipulis dans consilium, primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, sed ut ipsi nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est, accepit, et gratias egit dicens : *Hoc est corpus meum.* (*Matth.* XXVI. 26. 27. *etc.*) Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, et novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis recipiens in universo mundo offert Deo, ei qui alimenta nobis præstat, primitias suorum munerum in novo Testamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias sic præsignificavit : (*Malach.* I. 10. *et* 11.) *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non accipiam de manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium purum. Quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus omnipotens :* Manifestissimè significans per hæc, quoniam prior quidem populus cessavit offerre Deo: omni autem loco sacrificium offertur Deo, et hoc purum, nomen autem ejus glorificatur in gentibus.

TERTULL. *advers. Jud. cap.* 5. Denique cùm per Moysen in Levitico lex sacerdotalis conscriberetur, invenimus præscriptum populo Israel, ut sacrificia nullo in loco offerrentur Deo, quàm in terra repromissionis, quam Dominus Deus daturus esset populo Israël et fratribus eorum : ut introducto Israel, illic celebrarentur sacrificia et holocausta tam pro peccatis quàm pro animabus, et nusquam alibi nisi in terram sanctam. Cur itaque posteà per Prophetas prædicat Spiritus futurum ut in omni terra, aut in omni loco offerantur sacrificia Deo, sicut per Malachiam angelum unum ex duodecim Prophetis dicit : (*Malach.* I. 10. *et* 11.) *Non recipiam sacrificium de manibus vestris, quoniam ab oriente sole usque ad occidentem nomen meum clarificatum est in omnibus gentibus, dicit Dominus omnipotens. Et in omni loco offeruntur sacrificia munda nomini meo.* Item in Psalmis David dicit : (*Ps.* XCV. 7. *et* 8.) *Afferte Deo patriæ gentium*, indubitatè quod in omnem terram exire habebat prædicatio Apostolorum : *Afferte Deo claritatem et honorem, afferte Deo sacrificia nominis ejus : Tollite*

hostias, et introite in atria ejus. Namque quòd non terrenis sacrificiis, sed spiritualibus Deo litandum sit, ita legimus ut scriptum est, (*Ps.* L. 19.) *Cor contribulatum et humiliatum hostia Deo est:* et alibi, (*Ps.* XLIX. 14.) *Sacrifica Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Sic itaque sacrificia spiritualia laudis designantur, et cor contribulatum acceptabile sacrificium Deo demonstratur. Itaque quomodo carnalia sacrificia reprobata intelliguntur, de quibus et Esaias loquitur, dicens, *Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum, dicit Dominus?* (*Isaï.* I. 11.) Ita sacrificia spiritalia accepta prædicantur, ut Prophetæ annuntiant: (*Ibid.* 13.) *Quoniam etsi attuleritis*, inquit, *mihi similam, vanum supplicamentum, exsecramentum mihi est.* Et adhuc dicit: (*Amos* V. 22.) *Holocaustomata et sacrificia vestra, et adipem hircorum, et sanguinem taurorum nolo: nec si veniatis videri mihi. Quis enim exquisivit hæc de manibus vestris?* De spiritalibus verò sacrificiis addit, dicens: *Et in omni loco sacrificia munda offerentur nomini meo, dicit Dominus.* (*Malach.* I. 11.)

Cap. 6. Igitur cùm manifestum sit, et sabbatum temporale ostensum, et sabbatum æternum prædictum; circumcisionem carnalem prædictam, et circumcisionem spiritalem præindicatam: legem quoque temporalem, et legem æternalem denuntiatam; sacrificia carnalia, et sacrificia spiritalia præostensa; sequitur ut præcedenti tempore dalis omnibus istis præceptis carnaliter populo Israël, superveniret tempus, quo legis antiquæ et cæremoniarum veterum præcepta cessarent, et novæ legis promissio, et spiritalium sacrificiorum agnitio, et novi Testamenti pollicitatio superveniret, fulgente nobis lumine ex alto, qui sedebamus in tenebris, et in umbra mortis delitiebamur.

Adversùs Marcion. lib. 3. *cap.* 22. *versùs finem.* Præmittens itaque, et subjungens proinde passum etiam Christum, æquè justos ejus eadem passuros, tam Apostolos, quàm et deinceps omnes fideles prophetavit, signatos illà notâ scilicet, de qua Ezechiel, *Dicit Dominus ad me, Pertransi medio portæ in media Hierusalem, et da signum Tau in frontibus virorum.* (*Ezech.* IX. 4.) Ipsa est enim littera Græcorum Tau, nostra autem T, species crucis, quam portendebat futuram in frontibus nostris, apud veram et Catholicam Hierusalem, in qua fratres Christi, filios scilicet Dei, gloriam Patri Deo relaturos, Psalmus vigesimus primus canit ex persona ipsius Christi ad Patrem, *Enarrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ hymnum tibi dicam.* (*Ps.* XXI. 23.) Quod enim in nomine et spiritu ipsius hodiè fieri habebat, meritò à se futurum prædicabat: et paulò infrà, *A te laus mihi in Ecclesia magna* (*Ibid.* 26.): et in exagesimo septimo, *In Ecclesiis benedicite Dominum Deum* (*Ps.* LXVII. 27.); ut pariter concurreret et Malachiæ prophetia, *Non est voluntas mea, dicit Dominus, et sacrificia vestra non accipiam: quoniam ab ortu solis usque in occasum nomen meum glorificatum est in nationibus, et in omni loco sacrificium nomini meo offertur, et sacrificium mundum* (*Malach.* I. 10. *et* 11.); gloriæ scilicet relatio, et benedictio, et laus, et hymni. Quæ omnia cùm in te quoque deprehendantur, et signaculum frontium, et Ecclesiarum sacramenta, et munditiæ sacrificiorum, debes jam erumpere uti dicas, spatium Creatoris tuo Christo prophetasse.

EUSEB. *lib.* 1. *Demonstrat. Evangelicæ, cap.* 6. *pag.* 17. Deindè quasi imperfectis illis (*Moses Judæis*) simulacrorum cultu interdicto, per quædam arcana seorsùm signa, aut religionem quam ipse probabat complecterentur, edicens, sacrificiis et quibusdam corporalibus cærimoniis, unum supra omnia Deum ut colerent, præcepit: quam sanè religionem cùm admirabiliter divino monitus Spiritu, non in perpetuum servari oportere intelligeret: unum duntaxat circumscripsit locum, addito præcepto, ne usquam alibi eos, qui ab ipso tradebantur ritus, quàm certo illo in loco perficerent: hic autem erat Hierosolymis, extra hunc verò neutiquam.... Cùm et ipse Moses divino Spiritu afflatus providerit novo per Christum instaurato testamento, universisque gentibus nuntiato, supervacuam futuram esse, quæ ab ipso posita est, legum observationem, quam uno duntaxat loco, meritò terminavit, ut si quando ex illo loco pellerentur et patriam libertatem amitterent, non amplius illis fas esset quas ipse posuisset leges aut ritus servare: ut jam confitendum sit, alterum testamentum quod per Christum sit denuntia-

tum, necessariò esse introductum.... Itaque protinùs... in spiritu et veritate adorandi ratio per Salvatoris nostri adventum omnibus gentibus insinuata est. Quod quidem futurum etiam Prophetæ veteres tantò antè cognoverant. Dicit itaque planè Sophonias : *Apparebit Dominus super eos, et perdet omnes Deos gentium terræ, et adorabunt eum unusquisque de loco suo.* (*Sophon.* II. 11.) Malachias autem simul, et ad eos qui ex circumcisione sunt, sermonem dirigit, et de gentibus talia prædicit : *Non est voluntas, dicit Dominus omnipotens, et sacrificium non suscipiam de manibus vestris, quoniam ab ortu usque ad occasum nomen meum glorificatum est in gentibus, et in omni loco incensum offertur nomini meo, et sacrificium mundum.* (*Malach.* I. 10. *et* 11.) Quòd enim in omni loco dicit, incensum et sacrificium offerri Deo, quid aliud significat, nisi non Hierosolymis, neque defuitè in hoc aut illo loco id futurum ? sed in omni regione et in omnibus gentibus, quæ quidem et orationis incensum et sacrificium, quod mundum dictum est, non per cruores, sed per pias actiones summo Deo essent oblaturæ ?

S. Joan. Chrysost. *adversùs Judæos. orat.* II. Postquam redissent, ac restitutà civitate templum exstruxissent, hanc præsentem desolationem narrans futuramque sacrificiorum sublationem, hoc fermè pacto sub persona Dei loquitur Malachias : *accipiam facies vestras, dicit Dominus omnipotens, quoniam ab ortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est inter gentes, et in omni loco sacrificium offertur nomini meo, et sacrificium purum : vos autem profanastis illud.* (*Malach.* I. 11. *et* 12.) Quando hæc evenerunt, Judæe ? Quando in omni loco incensum oblatum est Deo ? Quando sacrificium purum ? Non possis aliud proferre tempus, quàm hoc, posteaquàm Christus advenit. Quod nisi de hoc tempore prædixit, nisi de nostro sacrificio vaticinatus est, sed de Judaïco, etiam legi repugnat Prophetia. Nam cùm Moses vetet ullo alio in loco sacrificium fieri, præter quàm in eo quem elegit Dominus Deus, cùmque ille in unum locum sacrificia illa concluserit : nimirùm Propheta dicens, quòd in omni loco incensum adolendum sit, ac sacrificium purum, adversatur ac repugnat Mosi. Verùm nulla est inter illos pugna, neque dissensio. Ille de alio locutus est sacrificio, et hic de alio post vaticinatus est. Undè hoc declaratur ? Tum ex his quæ dicta sunt, tum ex aliis plurimis signis. Ac primùm ex ipso loco : non enim in una civitate, quemadmodùm sub Judæis, sed ab ortu solis usque ad occasum prædixit hanc culturam esse celebrandam. Præterea ex sacrificii modo, siquidem purum illud appellans, declaravit de quo loqueretur. Denique à personis offerentium : non enim dixit, in Israël, sed in gentibus. Ac ne putares quòd in una duabusve aut tribus civitatibus hoc culturæ genus instaurandum esset, non simpliciter dixit, *in omni loco*, sed *ab ortu solis usque ad occasum :* demonstrans quòd quantum terræ sol aspicit, tantumdem Evangelium esset occupaturum. Purum autem dicit sacrificium, quasi prius illud fuisset impurum, non quidem suâpte naturâ, sed juxta voluntatem offerentium. Et ideò dixit : *Incensum abominatio est mihi.* Quanquam et alioqui si quis ipsum hoc sacrificium conferat cum illo, ingens immensumque discrimen inveniet, ut juxta comparationis rationem solum hoc purum dici mereatur.

In Psal. XCV. *Vide infrà hujusce Cap.* §. 10. *litt.* (A)

S. Aug. *lib.* 18. *de Civit. Dei, cap.* 35. *n.* 3. *Vide superiùs* §. 5. *hujusce Cap. litt.* (C)

S. Hieronym. *In cap.* I. *Malachiæ.* Offertis super altare meum panem pollutum : panes videlicet propositionis, quos juxta traditiones Hebraïcas ipsi serere, ipsi demetere, ipsi molere, ipsi coquere debebatis ; et nunc sumitis quoscunque de medio, et voce temerariâ respondetis et dicitis : *In quo polluimus eos*, sive *te* ? Dùm enim sacramenta violantur, ipse cujus sunt sacramenta violatur.... Polluimus panem, id est, corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, et sordidi mundum sanguinem bibimus, et dicimus : Mensa Domini despecta est.... *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra : ab ortu, etc.* (*Malach.* I. 10.) Regula Scripturarum est : ubi manifestissima prophetia de futuris texitur, per incerta allegoriæ non extenuare quæ scripta sunt. Ergo propriè nunc ad Sacerdotes Judæorum

sermo fit Domini, qui offerunt cæcum et claudum et languidum ad immolandum : ut sciant carnalibus victimis spirituales victimas successuras, et nequaquam taurorum, hircorumque sanguinem, sed thymiama, hoc est, sanctorum orationes Domino offerendas, et non in una orbis provincia Judæa, nec in una Judææ urbe Jerusalem : sed in omni loco offerri oblationem nequaquam immundam, ut à populo Israël ; sed mundam, ut in cæremoniis Christianorum. *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen Dei in gentibus*, dicente Salvatore, *Pâter manifestavi nomen tuum hominibus.* (*Joan.* XVII. 16.)

JOAN. DE LA HAYE Minor. *in concord. et exposit. litt. in Malach. cap.* I. v. 11. Per hanc *oblationem mundam* intelligendum est sacrificium corporis et sanguinis Christi in Eucharistia.

NICOL. DE LYRA. *in Malach. cap.* I. 11. Iste passus loquitur ad litteram de sacrificio novæ legis, quod est Eucharistia, quod est mundissimum et Deo acceptissimum. In omnibus etiam terræ nationibus sunt aliqui Christiani hoc sacrificium offerentes ; et cùm dicitur hîc, *Quia magnum est*, loquitur Propheta de futuro per modum præsentis, propter certitudinem prophetiæ.

GUILL. ESTIUS Doctor Lovan. *Comm. in Malach. cap.* I. 11. *Et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* Hanc scripturam magno consensu veteres de sacrificio corporis et sanguinis Christi (quod, rejectis antiquæ legis sacrificiis, per universam Catholicam Ecclesiam offertur) interpretati sunt : ut Irenæus *lib.* 4. *contra hæres. cap.* 32. Justinus *contra Tryphonem*, Cyprianus *contra Judæos*, *cap.* 16. Euseb. *demonstr. Evang. lib.* 1. *cap.* 6. *et ult.* Hieronymus et Theodoretus *in hunc locum*, Augustinus *lib.* 18. *de Civil. cap.* 35. *et lib.* 19. *cap.* 25. item *lib.* 1. *contra advers. leg. et proph. cap.* 20. *et* 22. et *in Psalm.* CVI. Chrysost. *Orat.* 4. *contra Judæos*, Damasc. *lib.* 4. *cap.* 14. Sanè et ipse propheticus loquendi modus ostendit sermonem esse de sacrificio quodam novo et externo, in locum sacrificiorum veterum, quæ sibi deinceps displicere dicebat, substituendo : sic enim proximè ante hæc verba præcedit : *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra* (*Malach.* I. 10.) : quasi diceret, Itaque jam aliud in ejus locum constituam. Vide nostra in 4. sent. dist. 12.

EMM. SA è Soc. Jesu, *Comm. in eumdem locum. Magnum est.* LXX. Glorificatum est, pro glorificabitur. Loquitur enim de tempore Evangelii. *Nomini meo*, id est, mihi. *Oblatio*, scilicet in Missa. *Munda*, scilicet purissimum Christi corpus.

JOAN. MENOCH. è Soc. Jesu, *Comm. in eumdem locum. Ab ortu enim solis, etc.* Quasi dicat, Brevi igitur per Christum efficiam, ut nomen meum gentibus toto orbe prædicetur, illæque me ubique agnoscant, adorent, celebrent. *Sacrificatur*, sacrificabitur. *Oblatio munda*, sacrificium corporis et sanguinis Christi in Eucharistia.

JACOB. TIRIN. è Soc. Jesu, *Comm. in eumdem locum. Ab ortu enim solis usque ad occasum*, id est, per universum mundum, etiam *in Gentibus*, seu in regnis Gentilium, ut per instantem adventum Christi, et prædicationem Discipulorum et legatorum ipsius, *magnum* et celebre *est nomen meum*, omnibus me pro summo et unico Numine agnoscentibus, colentibus, servientibus : ita etiam ex meo decreto, et Christi instituto, *sacrificatur* mihi *in omni loco, et offertur oblatio* absolutè et perfectè *munda*, non multiplex et varia, ut apud vos, sed unica, quæ omnium oblationum vestrarum vim et energiam eminenter continet. Hebraïcè est Mincha, quod licet in genere *munus* seu *donum* significet, à Deo tamen appropriatur particulari speciei sacrificii ex pane vel farina confecti (*Num.* XV. 5.), ut dixi Levitici 2. quod accedente ordinario libamine vini, typus erat sacrificii novæ legis Eucharistici, in quod unum et solum quadrant omnia jam dicta, ut SS. PP. et Doctores orthodoxi ad unum omnes, et etiam Rabbini non pauci, quos citat Galatinus, et Tridentinum Concilium expressè docent : et res ipsa loquitur. Nam in Eucharistia in honorem Dei, ad summum ejus in omnia dominium contestandum, panis et vinum transsubstantiata in corpus et sanguinem Christi offeruntur per universum orbem terrarum, oblatione mundissimâ, sive substantiam

Cæteros brevitatis causâ prætermitto. Hanc fuisse veterum omnium Patrum sententiam fatentur ipsi Protestantes. (C) Quæ Protestantium confessio nemo non videt quanti debeat esse ponderis apud omnes veritatis studiosos. Ex hac enim confessione sequitur id nos credere de sacrosancto Missæ sacrificio, quod credidit Ecclesia quinque prioribus seculis, quæ vocantur à Protestantibus optima et felicissima Ecclesiæ tempora.

Esse in Ecclesia sacrificium visibile demonstratur et ex novo Testamento.

1° Ex ipsis verbis quibus Christus instituit sacrosanctum Eucharistiæ mysterium.

2° Ex scriptis Apostolorum, in quibus legitur fuisse in Ecclesiis altaria, oblatumque ab ipsis Apostolis esse sacrificium.

3° Ex celebri visione quam refert Joannes in Apocalypsi.

Primò Apostoli et Evangelistæ unanimi consensu referunt Christum in Eucharistiæ institutione usum esse verbis quæ verum sacrificium innuebant. Accipiens enim Christus panem ait, secundùm Lucam : Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.* (*Luc.* XXII. 19.) Secundùm Apostolum Paulum : Τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. *Hoc meum est corpus quod pro vobis frangitur.* (1. *Cor.* XI. 24.) Matthæus et Marcus nihil addunt his verbis : *Hoc est corpus meum.* Similiter Christus accepto calice, gratias agens ait, secundùm Matthæum : Τοῦτό ἐστι το αἷμά μου το τῆς καινῆς διαθήκης, το περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* (*Matth.* XXVI. 28.) Marcus sequitur Matthæum : *to peri pollon ecchunomenon.* (*Marc.* XIV. 24.) Sanguis *qui pro*

species, sive effectum, quæ nullâ offerentium ministrorum immunditiâ inquinari potest. Vide Bellarminum, à Valentia, Suarez, Coninck, et alios Doctores.

(C) SYNOPSIS CRITICORUM *in cap.* 1. *Malachiæ v.* 11. *In omni loco.* id est, per totum orbem. Confer Psalmum CXIII. 3. Insigne hoc est vaticinium de vocatione gentium, simulque de repudiatione Judæorum. Quanquam vos omnes abjecero, meo cultui nihil decedet; non deerunt qui me honorabunt.... *In omni loco sacrificatur, etc. suffumigatum et incensum.... offeretur, incendetur, admovebitur,* vel *offertur nomini meo oblatio munda, munus purum,* id est, ex farina mundissima sine fermento.... Vetustissimi Patres magno consensu statuunt hanc clarissimam esse prophetiam de sacrificio Christiano : quo nomine non intelligebant nudum sacramentum corporis et sanguinis Christi, ut multi putant, sed totam sacram et solemnem actionem, cujus illud pars præcipua erat. Hujus ergo sacrificii partes duæ sunt 1° pars rationalis, sive *sacrificium quod* nempè precatio, gratiarum actio et commemoratio : 2° pars materialis, sive *sacrificium quo,* sive per quod prius sacrificium Deo acceptum est, nempè oblatio farrea, panis et vini. Hoc autem *Minchа purum* dicitur, vel 1. quòd purè et spiritualiter offertur per preces, etc. non autem modo corporali, ut vetera sacrificia : vel 2. à pura offerentis conscientia : (Vide Tit. I. 15. 16.) Judæorum oblatio polluta erat infidelitate et contemptu Dei, etc. vel 3. respectu puri illius et perfecti sacrificii, Christi scilicet, agni Dei, quem significat et repræsentat : cui favet antithesis polluti sacrificii Judæorum.

multis effunditur. Lucas, Τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη, ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Hic calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.* (*Luc.* XXII. 20.) Paulus Apostolus referens institutionis verba, de sanguinis effusione non loquitur: hæc solùm verba refert, *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* (1. *Cor.* XI. 25.) Magna vis facienda in his verbis: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis DATUR.* (*Luc.* XXII. 19.) *Hic est sanguis meus, qui pro vobis EFFUNDITUR* (*Matth.* XXVI. 28.), et quidem *in remissionem peccatorum.* Loquitur Christus in tempore præsenti quasi de actuali immolatione corporis, de actuali libatione sanguinis sui in peccatorum remissionem: quia reipsâ immolabat tunc mysticè corpus et sanguinem suum pro salute Apostolorum et cæterorum hominum. Et verba quæ sequuntur in Evangeliis, *Hoc facite in meam commemorationem* (*Locis iisdem*) significant veram institutionem sacrificii ad finem usque seculi celebrandi. Horum enim sensus est: Quemadmodùm nunc immolo in remissionem peccatorum corpus meum, et sanguinem effundo; ita et vos hoc ipsum corpus immolate, hunc ipsum sanguinem libate in meam commemorationem. Quod feci modò, volo et vos ad finem usque seculi in mei commemorationem faciatis. Et quidem verba institutionis Eucharistiæ intellecta fuisse juxta nostram explicationem unanimi sanctorum Patrum traditione constat. Nemo enim ex illis est qui non fateatur his verbis veri et propriè dicti sacrificii institutionem contineri. (D)

(D) EMMAN. SA *Comm. in Matth. cap.* XXVI. *v.* 28. *Effundetur* scilicet in cruce, Græcè *effunditur*, præsens pro futuro.

JOAN. MENOCH. *Comm. in Matth. cap.* XXVI. *v.* 28. *Effundetur:* in Græco est *to enchunomenon, qui effunditur*, id est, pro vobis, pro redemptione vestra Deo libatur, offertur et effunditur in hoc sacrificio. Dicitur enim fundi sanguis, dùm in specie liquida in calice collectus offertur, ac indè in eadem specie funditur in ora sumentium. Potest etiam, *effunditur*, intelligi tempore passionis, ita ut in Græco positum sit præsens pro futuro, *effunditur* pro *effundetur*. Et licèt *to enchunomenon* jungatur cum *poterion, Calix*, atque ideo de effusione in cruce sermo esse non videatur, dici tamen potest sumi calicem pro contento sanguine, per metonymiam; dicique effundendum calicem in passione, quia sanguis eo contentus tunc effusus est.

JACOB. TIRIN. *Comm. in Matth. cap.* XXVI. *v.* 28. Christus verò suo sanguine hic effuso, id est, in sacrificium oblato (nam liquida offerri solent effusione sui) partim incruentè in ultima hac cœna, partim cruentè paulò post in cruce, confirmat novum fœdus, novam pro hoc tempore ultimam voluntatem suam, quâ nobis legat spiritualia bona et cœlestem hæreditatem, hâc conditione ut præceptis ejus inhæreamus, et sacramentis ab eo institutis utamur.

EMMAN. SA *Comm. in Lucam, cap.* XXII. *v.* 19. *Datur*, id est, offertur. Obtulit enim Christus tunc ut nunc offerunt Sacerdotes. Vel *datur* pro dabitur, scilicet in mortem.

JACOB. TIRIN. *Comment. in Lucam, cap.* XII. *v.* 19. *Hoc est corpus meum*, (*Matth.* XXVI. 26.) verum, reale, substantiale, ut alibi dixi: *quod pro vobis datur*, id est, offertur à me Deo Patri: et quidem propriâ mox specie et cruentè in ara crucis; sed jam nunc incruentè sub specie panis. Offertur autem *in remissionem peccatorum:* quia sacrificium est non modò eucharisticum, et latreuticum, sed et propitiatorium, pacificum, et satisfactorium pro peccatis.

2. Ex scriptis Apostolorum constat fuisse in Ecclesiis altaria, oblatumque ab Apostolis sacrificium fuisse.

Quòd Apostolorum tempore fuerit in Ecclesia altare, adeoque sacrificium (nullum enim sacrificium sine altari) constat ex 1. ad Corinthios Epistola et ex Epistola ad Hebræos.

In 1. ad Corinthios Epistola (*Cap.* X. 21.) hæc habet Apostolus : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Mensæ nomine certum est Apostolum hìc *Altare* intelligere, in quo sacrificium offertur. Ibi enim comparationem instituit inter altare in quo sacrificabant Judæi et Ethnici, et mensam in qua Christiani communicant corpori et sanguini Domini; aitque non licere participes esse simul sacrificiorum quæ in mensa dæmoniorum oblata sunt, et sacrificii quod in mensâ Domini offertur. Hoc autem modo intelligendam esse mensam eò loci patet ex toto Apostoli contextu, quod non abs re fuerit hìc oculis subjicere. (1. *Cor.* X. 14.) *Charissimi mihi*, (inquit,) *fugite ab idolorum cultura;* 15. *ut prudentibus loquor, vos ipsi judicate quod dico.* 16. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? et panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est?* 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* 18. *Videte Israël secundùm carnem: nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* 19. *Quid ergo? Dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum sit aliquid?* 20. *Sed quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, et calicem dæmoniorum.* 21. *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum.* Hìc singula verba perpendantur : vis institutæ comparationis attendatur. Sanè quemadmodùm loquitur Apostolus de participatione hostiarum quæ in altari Judaïco immolatæ fuerant, de participatione victimarum quas gentes dæmoniis immolaverant; ita de participatione corporis et sanguinis Domini in altari Eucharistico oblati certissimè loquitur.

Et hoc quidem argumentum non parum sumit roboris ex alio Apostoli loco in quo, scribens ad Hebræos Apostolus (XIII. 10.) sic loquitur : *Habemus altare, de quo edere non*

v. 20. *Hic est calix continens novum testamentum in sanguine meo:* id est, sanguinem meum, quo sancitur, confirmatur, et stabilitur novum fœdus quod vobiscum ineo, et nova voluntas mea extrema, ut alibi dixi. Calix, inquam, *qui pro vobis*, et pro multis *fundetur*, (*Matth.* XXVI. 28.) id est, offertur (nam liquida solent sui effusione offerri) non modò cruentè crastinâ die in cruce, sed et incruentè jam jam in hac cœna, vobis et me bibentibus. Clariùs hæc in Græco: *touto poterion en to aimati mou; to uper umon enchunomenon. Hoc est poculum in sanguine meo, quod pro vobis effunditur.* Quod contra Calvinistas aliosque Sacramentarios notandum. Si enim poculum, quod Christus in cœna propinavit, effusum, id est oblatum fuit pro nominibus : clarissimè sequitur, poculum istud non nisi ipsissimum Christi realem sanguinem continuisse : nam vinum, ut figura tantùm est sanguinis, effundi, id est, offerri non potest pro hominum salute.

habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. 11. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* 12. *Propter quod et Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.*

Ex hoc Apostoli ratiocinio si paulò attentiùs inspiciatur, et enucleatiùs explicetur, mihi videtur luculentissimè probari sacrosanctum Missæ sacrificium.

Ut autem intelligantur ea quæ hîc Apostolus ait, meminisse juvat eorum quæ suprà diximus (*hujusce Cap.* §. 4.) de Judaïcorum sacrificiorum ritibus, quorum hîc manifesta mentio fit. His positis, sic explicari potest totum hoc Apostoli ratiocinium, quod sequentibus propositionibus constat.

Longè sanè potior est populi Christiani conditio quàm Judæorum, etiam Sacerdotum, fuit; cùm enim apud eos offerebatur solemne sacrificium pro peccatorum expiatione, nemo de hoc sacrificio vescebatur, nemo victimis communicabat; nam corpora victimarum, quarum sanguis inferebatur in Sancta per Pontificem pro peccatorum expiatione, tota cremabantur extra castra: in quo typus erant Christi, qui, *ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam* Jerosolymorum *passus est.* (*Hebr.* XIII. 12.) Nemo ergo huic umbratico et typico victimarum Judaïcarum sacrificio communicabat corporaliter.

At nos Christiani habemus altare in quo offertur Christus, his veteribus sacrificiis adumbratus. Hujus victimæ sacratissimæ sanguis illatus est ab ipso Christo Pontifice simul et hostia, illatus est, inquam, *non in manufacta Sancta, exemplaria verorum, sed in ipsum cœlum* (*Hebr.* IX. 24.); et tamen illatus est, ut consummaretur peccatorum expiatio. Hanc nos victimam in sanctuarium illatam comedimus, hujus corpori et sanguini communicamus. Edimus de altari nostro: quod facere nequeunt qui tabernaculo deserviunt: illis enim vetitum est edere de hostia illata in sanctuarium; hanc totam extra castra cremare tenentur.

Hoc totum esse Apostoli ratiocinium paulò distinctiùs explicatum cuilibet legenti facilè constat. Hîc enim loquitur Apostolus de vero altari, de vero sacrificio, de vera communione; quod probatur ex comparatione desumpta ex altari, ex sacrificiis, ex victimis Judæorum extra castra crematis, et comestis à nemine. Si de communione spirituali loqueretur Apostolus, tantum in hoc Apostoli ratiocinio roboris non fore mihi videtur: nam Judæi poterant et debebant communicare spiritualiter victimis quarum sanguis illatus erat in Sancta per Pontificem. Quin et poterant debebantque communicare spiritualiter Christo, qui veteribus illis victimis adumbrabatur: idque docet Apostolus, cap. X. 1. ad Corinthios Epistolæ, his verbis: 1. *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes....* 2. *in Moyse*

baptizati sunt in nube et in mari, 3. *et omnes eamdem escam spiritualem manducaverunt, et omnes eumdem potum spiritualem biberunt*; (*bibebant autem de consequente eos petrâ : petra autem erat Christus.*) Si ergo in eo Apostoli ad Hebræos testimonio de spirituali solùm communione quæstio est, nihil est quo Judaïci tabernaculi ministris præcellamus, siquidem et ipsi Christo spiritualiter communicare potuerunt, et debuerunt. Sed in hoc ipsis reipsâ præcellimus, quòd manducamus victimam extra castra crematam, cujus sanguis illatus est in Sancta per Pontificem : et habemus altare, quo grande hoc miraculum quotidiè fit. In hoc præcellimus. Quid efficacius hoc Apostoli ratiocinio ad probandum sacrosanctum Missæ sacrificium ?

Fateor sanctum Thomam aliosque Catholicos Interpretes nonnullos, altare hoc de quo loquitur Apostolus de crucis altari interpretari. Quibus Theologis hic videtur sensus hujus loci, nimirùm qui Judaïco tabernaculo inserviunt, non posse recipere fructum crucis Christi, adeoque non edere de altari illo, de quo nos edimus, qui non figuræ ut Judæi, sed veritati hac figurâ adumbratæ adhæremus. Sed præterquàm quòd sensus ille, quem non negamus, non pugnat ullatenùs cum nostro, quem nemo Catholicus rejicit, ex suprà dictis constat multò probabiliorem videri, et dictis Apostoli accommodatiorem eum sensum, quem nos exposuimus post sanctum Chrysostomum, Theodoretum, aliosque non paucos ex vetustioribus sacrarum Scripturarum Interpretibus. (E)

(E) S. Chrysost. *in Epist. ad Hebr. cap.* XIII. *Homil.* 33. *Habemus enim*, inquit, *altare, ex quo potestatem non habent comedendi, qui tabernaculo serviunt.* (*Hebr.* XIII. 10.) Non enim qualia sunt apud Judæos, talia etiam nostra sunt, ita ut nec Pontifici liceat istorum participem fieri. Proindè quoniam dixerat : Nolite hæc custodire; videbaturque hoc pacto propria destruere, iterùm idipsum versat. Num enim et nos, inquit, illa non custodimus ? Custodimus enim et vehementiùs, neque ipsis Sacerdotibus ex his quodcunque dantes. *Animalium enim, quorum sanguis infertur pro peccatis in Sancta per Pontificem, eorum corpora comburuntur extra castra. Propterea etiam Jesus, ut populum proprio sanguine sanctificaret, extra portam passus est.* (*Ibid.* 11. *et* 12.) Vides figuram magno splendore fulgentem ? Pro peccatis, inquit, et *extra portam passus est. Egrediamur igitur ad eum portantes improperium ejus.* (*Ibid.* 13.) Hoc est, eadem ipsa perpetientes et communicantes ei in passionibus, qui condemnatus, crucifixus est foris. (*Favet quidem* Chrysost. *nostræ opinioni : licèt clarè sententiam suam non aperiat ; uti etiam fatetur* Estius *in suo Comment.*)

B. Theodor. *in Epist. ad Hebr. cap.* XIII. *v.* 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Hoc, inquit, est multò veteri præstantius : illud enim hujus est umbra. Illud hostias rationis expertes recipit : hoc verò rationalem et divinam. Quamobrem nullus illorum Sacerdotum hujus fit particeps, nisi priùs fidem in Dominum susceperit.

Theophylact. *Comment. in Epist. ad Hebr. cap.* XIII. *v.* 10. *Habemus altare, de quo non habent edendi potestatem, qui tabernaculo serviunt.* Postquam dixerat non esse observandos cibos, ne videantur nostra despicatui habenda, quòd observatione careant. Nos, inquit, observationem habemus, verùm haud eam quæ sit in hujusmodi cibis, sed super altari, sive incruentâ hostiâ vivifici corporis. Hujus enim ut sint participes, ne

Pontificibus quidem legalibus permittitur, tantisper dùm tabernaculo inserviunt.

Oecumen. *in Epist. ad Hebr. cap.* XIII. *v.* 10. *Comment. cap.* 21. *Habemus altare.* Quoniam dixerat quòd non oporteat observare cibos, ne existimarent contemptibilia esse nostra, eò quòd nihil observationis haberent, ait: An non et nos observationes habemus? Utique: at non ciborum, sed altaris nostri. Nam eorum quæ super illud ponuntur, neque ipsis Judæorum Pontificibus liceret esse participes. Hi enim tabernaculo, hoc est, figuræ ac umbræ et non veritati serviunt. *De quo non est fas edere.* Non qualia, inquit, sunt Judaïca, talia sunt et nostra: adeò ut ne ipsi quidem summo Sacerdoti fas sit horum esse participem. *Animalium enim quorum sanguis infertur.* Deindè ostendit veneranda quæ apud Judæos erant, nostrorum fuisse figuras, et ait: Quemadmodùm in victimis, quæ pro peccato offerebantur, sanguis quidem in Sancta inferebatur per Pontificem, corpus verò extra castra cremabatur: ita et Christi sanguis pro mundi peccatis effusus omnem mundum purgavit: corpus verò ipsius extra civitatem Jerusalem in cruce suspensum est: eò quòd etiam corpora victimarum pro peccato extra castra cremabantur. Hic itaque sanguis per Pontificem nostrum infertur super altare, quod apud nos est: idcircò non est fas Judæorum Pontificibus ex ipso altari edere.

Anselm. Laud. *Comment. in Epist. ad Hebr.* XIII. 10. Altare est Ecclesia, ubi consecratur corpus Christi, de quo non habent potestatem edere, qui deserviunt tabernaculo, id est, umbræ veritatis.

D. Primas. *Comment. in Epist. ad Hebr.* XIII. 10. *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt.* Legalem consuetudinem et mysterium, spiritualemque sensum refert. Legis quidem præceptum erat, ut decimâ die septimi mensis à festivitate Paschali, festivitate videlicet propitiationis, acciperent vitulum et hircum, et immolarent eum in castris: sanguinem autem illorum animalium ferret Pontifex in Sancta sanctorum solus oraturus pro populo: carnes verò illorum portarentur extra castra, ibique concremarentur: nec esse licitum alicui tabernaculo deservienti ex illis comedere. Spiritualiter autem illa duo animalia, vitulus videlicet et hircus, figuram tenent Domini Salvatoris: ipse est vitulus, quem pius pater in regressione filii prodigi immolavit: ipse et hircus; quoniam pro peccatoribus oblatus est. Pontifex quoque ille, qui cum sanguine illorum animalium intrabat in Sancta sanctorum oraturus pro populo, typum gerebat istius veri Pontificis, qui cum sanguine passionis suæ interiora patriæ cœlestis penetravit, oraturus pro fidelibus suis. Immolabantur illa animalia intra castra; sed carnes illorum extra castra comburebantur, quia et Redemptor noster in Jerusalem, quasi intra castra immolatus est, vocibus et judicio filiorum Israël: sed carnes illorum extra Jerusalem in cruce combustæ sunt igne passionis: quando enim adjudicatus est morti, clamantibus Judæis, *Reus est mortis, crucifige, crucifige eum* (*Luc.* XIII. 21.), quodammodo, quantùm ad illos pertinet, immolatus est: quod Marcus Evangelista volens nobis ostendere, ita esse dicit: *Erat hora tertia quando crucifixerunt eum* (*Marc.* XV. 25.); linguis videlicet suis. Nam horâ sextâ in cruce levatus est extra Jerusalem, ibique corpus ejus combustum est igne passionis. Altare autem illud Judæorum, quod fiebat extra castra, ubi consumebantur carnes, altare Ecclesiæ est, ubi quotidiè consecratur corpus Christi. Habemus ergo altare Ecclesiæ, ubi consecratur corpus Dominicum, de quo non habent potestatem edere, qui tabernaculo corporis sui deserviunt: fornicatores videlicet, adulteri, ebriosi, immundi, et ii qui seminant inter fratres discordias, omnesque qui voluptatibus et desideriis carnis suæ deserviunt. *Qui enim manducat et bibit indignè, judicium sibi manducat et bibit.* (1. *Corinth.* XI. 20.) (*Primasium exscribit* **Haimo** Halberstat. Episc. *in suo in hunc locum Comment.*)

Estius *Comment. in cap.* XIII. *Epist. ad Hebr. v.* 10. Hâc sententiâ docet Apostolus, ad Christi gratiam transire volentibus, necessariò relinquendam esse legem Mosaïcam. Neque enim eos, qui legi inhærent, haberent jus edendi de altari quod habent Christiani. In quo simul ostendit, nec Christianis deesse suum altare, cujus participes fiant Judæi, si ad Christum transeant: ne quærantur derelicto Moyse sine altari se futuros.

favet hæc pars iis, qui in eo quod præcedit, escas interpretati sunt sacrificales. Nam tabernaculo deservientes seu ministrantes, græcè *Latreuontes*, non erant quilibet de populo, sed soli Sacerdotes. Quanquam ex parte totum intelligendum est. Sic enim Sacerdotes non poterant esse participes altaris quod nos habemus ; ergo nec populus utens Sacerdotum ministerio.

Sed *quæritur* de quo altari loquatur Apostolus. Quod quidem Chrysostomus in suo *Comment.* inexplicatum reliquit. Plerique tam veteres quàm recentiores significari volunt mensam Dominicam, ex qua sumitur à fidelibus corpus et sanguis Domini : ut sicut de ea dictum est ab Apostolo (1. Cor. x. 21.) : *Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ dæmoniorum :* ita hic quasi dicatur, Non possunt edere de altari Dominico, qui adhuc tabernaculo deserviunt in cibis et potibus, ut habetur *suprà cap.* IX. Tradunt hunc sensum imprimis Græci, Theodoretus, Theophylactus, et Oecumenius : et inter Latinos, Primasius, Sedulius, Anselmus : item Auctor glossæ ordinariæ, Cajetanus, Hasselanus, et alii. Qui sensus confirmari videtur ipsis Apostoli verbis : nullum enim aliud altare habent Christiani de quo edant, nisi mensam Dominicam. At verò S. Thomas altare hoc interpretatur crucem Christi, vel ipsum Christum... Harum porrò trium expositionum prima, quæ *altare* mensam Domini interpretatur, opponi solet Hæreticis, qui sacrificium incruentum corporis et sanguinis Christi peruegant. Si enim apud nos est altare, ex quo hæc sumantur ; est et sacrificium, quo eadem hæc offerantur. Et rectè quidem opponitur. Nam etsi non constet hunc esse sensum præsentis loci : tamen urget adversarios auctoritas et testificatio Patrum, qui sic intellexerunt. Non enim sic exponerent, si ejusmodi sacrificium et altare nullum in Ecclesia agnoscerent.

FROMOND. *Comment. in cap.* XIII. *Epist. ad Hebr. v.* 10. *Habemus altare*, Eucharisticum, in quo Christus sub specie panis et vini quotidiè immolatur, ut Theodoretus et Patres præsertim Græci expouunt : vox enim, *habemus*, videtur significare aliquod altare, cujus sit præsens usus in aliquo Ecclesiæ sacrificio, quale nullum jam est præter Eucharisticum incruentum. *De quo* (de cujus hostia super ipsum immolata) *edere non habent potestatem* (edendi non habent facultatem, lege Evangelicâ id prohibente,) *qui Tabernaculo deserviunt*, Sacerdotes Levitici, qui olim in tabernaculo, aut jam in templo Salomonis inter cæremonias, et umbras rerum, quæ jam impletæ sunt, adhuc occupantur ; et per consequens nec omnes Judæi, qui legalia adhuc observant.

JOAN. GAGNÆUS *Comment. in c.* XIII. *ad Hebr. v.* 10. *Habemus altare*, *de quo edere non habent*, *etc.* cùm judaïcorum ciborum discretionem damnasset, ostendit excellentiorem nobis esse cibum, à quo edendo arcerentur quicunque legi inhærerent et deservirent. *Habemus*, inquit, *altare*, id est, hostiam in ara crucis oblatam, ipsum scilicet Christi corpus, de quo edere non possunt, *qui Tabernaculo deserviunt*, id est, legem mordicùs tenent.

JOAN. MENOCH. Soc. Jesu *Comment. in eumdem locum. Habemus altare ;* scilicet in quo offerimus sacrificium corporis et sanguinis Christi. *De quo edere non habent potestatem*, Græcè *exousian*, id est, *facultatem*, *licentiam : Qui Tabernaculo deserviunt*, ii qui legi inhærent.

JACOB. TIRIN. Soc. Jesu *Comment. in eumdem locum. Habemus* enim nostrum quoque *altare thusiasterion*, id est, *Sacrificatorium*, non solius crucis (ut volunt Hæretici) sed et Eucharistiæ et Missæ : Hoc enim adhuc habemus, et ex hoc edimus : de crucis autem sacrificio jam à mille et ferè sexcentis annis peracto quomodò edemus ? Ita S. Chrysost. Theodor. Theophyl. Anselm. Sedulius, Primasius, Haymo, et passim Doctores. *De quo*, id est, de cujus victima, scilicet corpore et sanguine Christi *edere non habent potestatem*, seu facultatem, qui *Tabernaculo Mosaïco deserviunt*, Levitæ et Sacerdotes Aaronici, qui legis antiquæ et jam abrogatæ cæremonias ac ritus obstinatè adhuc servant. Neque enim capaces sunt sacrificii, et Sacramentorum Christi, qui ab Ecclesia ipsius exlorres sunt. (*Hebr.* VII. 15.) Ex hoc et similibus locis colligitur, Eucharistiæ oblationem verè ac propriè sacrificium esse novæ legis : ubi enim *altare* est, ibi est et sacrificium et victima et Sacerdos ; nam hæc omnia sunt correlativa.

Neque verò solùm constat ex scriptis Apostolorum, fuisse eorum tempore altare ad sacrificium in Ecclesia. Constat præterea oblatum ab his sacrificium fuisse. Hæc enim habet Lucas cap. XIII. Actuum Apostolorum. 1. *Erant in Ecclesia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ et doctores, in quibus Barnabas, et Simon,.... et Lucius ,.... et Manahen....* 2. *Ministrantibus autem illis Domino, et jejunantibus, dixit illis Spiritus sanctus : Segregate mihi Saulum , et Barnabam in opus , ad quod assumpsi eos.* (Textus Græcus habet *Leitourgounton de auton to Kurio.*) Quamvis autem vox illa *Leitourgounton* ad litteram rectè reddita sit in vulgata lectione per vocem *Ministrantibus ;* certum est tamen ex tota traditione ministerium hoc nihil aliud fuisse quàm ipsum Missæ sacrificium ; quod quidem vel ex eo liquet, quòd *Liturgiæ* vox usu apud omnem Ecclesiam jam à primis seculis recepto , ipsum Missæ sacrificium significet.

Idem dicendum de voce *fractionis panis* , quæ toties occurrit in Actibus Apostolorum , quâ Missæ sacrificium et communionem intelligi non obscurum est ex sacræ Traditionis interpretatione. (F)

3. Ex celebri visione quam refert Joannes Apostolus in Apocalypsi eruitur non contemnenda auctoritas ad stabiliendum sacrosanctum Missæ sacrificium. Ait Apostolus cap. V. *v.* 6. Apocalypsis vidisse se *in medio throni et quatuor animalium , et viginti quatuor seniorum , Agnum stantem tanquam occisum* , seu ut habet textus Græcus , tanquam immolatum (ὡς ἐσφαγισμένον). Qui (*Ibid.* 8.) *cùm aperuisset librum , quatuor animalia , et viginti quatuor seniores ceciderunt coram Agno.... dicentes :* (*Ibid.* 9.) *Dignus es Domine accipere librum et aperire signacula ejus : quoniam occisus es , et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu et populo et lingua et natione , et fecisti nos Deo nostro regnum et Sacerdotes.* (*Ibid.* 20.)

Non pauci Interpretes , iique percelebres , meritò conten-

(F) ACTOR. II. 42. Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum , et communicatione fractionis panis , et orationibus.... 46. Quotidiè quoque perdurantes unanimiter in templo , et frangentes circa domos panem , sumebant cibum cum exultatione , et simplicitate cordis.

XX. 7. Unà autem sabbati cùm convenissemus ad frangendum panem , Paulus disputabat eum eis.... 11. Ascendens autem frangensque , et gustans , satisque alloculus usque in lucem , sic profectus est.

S. AUG. *Epist.* 36. *aliàs* 86. *ad Casul. cap.* 12. *n.* 28. *Ascendens autem* , inquit (*Act.* XX. 11.) , *cùm fregisset panem , atque gustasset , satisque esset alloculus ad diluculum , sic profectus est.* Absit ut hoc sic accipiatur, tanquam solerent Apostoli Dominico die solemniter jejunare. Una enim sabbati tunc appellabatur dies , qui nunc Dominicus appellatur.... Aut ergo post peractum diem sabbati , noctis initio fuerant congregati , quæ utique nox jam ad diem Dominicum , hoc est , ad unam sabbati pertinebat : et ita eadem nocte fracturus panem , sicut frangitur in sacramento corporis Christi , produxit sermonem usque ad medium noctis , ut post Sacramenta celebrata , rursùs usque ad diluculum alloquens congregatos ; quoniam multùm festinabat , ut lucescente proficisceretur Dominico die.

dunt his verbis, afflante Spiritu sancto, usum esse Apostolum, ut exhiberet aliquatenùs modum quo Christus offertur in sacrosancto Missæ sacrificio. Vivit Agnus ille occisus, ideoque videt illum Apostolus in medio throni *stantem*. Sed illum tamen Ecclesia sanctorum hîc militans, quam vocat Petrus Apostolus *genus electum*, *Regale sacerdotium*, *gentem sanctam*, *populum acquisitionis* (1. *Petr.* II. 9.), illum, inquam, Ecclesia mysticè immolat et offert quotidiè in altari Eucharistico, ut dicemus infrà (§. 9. *hujus Cap.*); ideoque et videt illum Apostolus *tanquam occisum*. (G)

(G) Lud. ab Algas. è Soc. Jesu *Comm. in Apocal.* v. 6. In agno ergo Joanni ostenso procul dubio respectum est ad antiquum juge sacrificium, agni videlicet, qui quotidiè offerebatur tam matutino tempore quàm vespertino, ut præceptum erat, Exodi XIX. 22. et Numer. XXVIII. 3. Animadversà autem allusione, mox facilè intelligitur ejus significatio, nimirùm non deesse in Christi templo (id est, Ecclesia) mirandum sacrificium, idque juge, et omnia veteris legis sacrificia obnubilans. In sacrificio enim Missæ mysticus agnus offertur. Atque hujus agni, sive hujus mystici sacrificii frequentiæ tanta est efficacia; ut huic jugi sacrificio debeat Ecclesia Christiana septem sigillorum apertionem, et adytorum sapientiæ cœlestis perfectam penetrationem. Cohæret autem hic sensus mirificè et cum contextu, et cum mysterio capitis quarti, et cum rei ipsius veritate. Ac verba quidem ad agni descriptionem spectantia, Missæ sacrificio repræsentando aptissima sunt. Quoniam textui Latino (*Agnum stantem tanquam occisum*) respondet Græcus, *Arnion estekos os esphagismenon*: illa verò dictio *esphagismenon* participium est passivum à verbo *sphatto* vel *sphagizo*, quod est immolare. Hoc enim idem verbum posuerunt LXX. Genesis XXII. 10. ubi nos legimus, *ut immolaret filium suum*; ubi sermo est de sacrificio Abrahæ. Idem verbum posuere Levit. XIV. 13. ubi Vulgatus, *immolabit agnum* etc.... Ex his verò palàm fit id, quod legimus in Apocalypsi (nempè à Joanne in medio throni visum fuisse agnum, *quasi occisum*) pro eodem esse, ac quasi immolatum, quasi mactatum, quasi sacrificatum, sanguine videlicet effuso. Porrò altaris mysterio nihil aptius. Ibidem passionis Christi offertur victima: diciturque et reclè et ritè sanguis ipsius in eo sacrificio in scelerum remissionem effundi. Enim verò divini hujus sacrificii, mira potentiæ agni revelatio est. Nam oblatus ipse et sanguinis largitor liberalis, exsurgit per mirabilem efficaciam, et ascendit ad thronum Dei, et aperit librum per gloriosam virtutem suam, quam Ecclesiæ suæ per hoc sacrificium communicat. Atque ita Ecclesia ipsa semel et iterùm in hoc ipso sacrificio quotidiè repetit celebrari, ac innovari in eo, non solùm passionis Christi memoriam, sed etiam resurrectionis et ascensionis illius.

Petrus Aureolus Francisc. S. R. E. Card. *in comp. sacr. Scrip. in Apoc. cap.* v. 6. Significabant autem hæc omnia, quòd agnus hic est Christus, qui est in medio Romanæ Ecclesiæ, et quatuor Patriarchalium sedium, et viginti quatuor seniorum: hoc est, universalium Episcopalium Ecclesiarum sub sacramento Eucharistiæ, in quo continuè immolatur ac repræsentatur occisus.

R. P. Jacob. de Bordes Capuc. *in Elucid. paraphrast. Apocal. cap.* v. *v.* 6. *Annot.* 4. §. 1. Nunc et agnum illum (*Christum*) esse asserimus in medio throni, quia per sacramentum et sacrificium Eucharistiæ, in quo tanquam agnus immolatur, quæ Deus decrevit in nobis fieri ad nostram justificationem et perfectam redemptionem ipse adimplet, etc. *Quod quidem fusè persequitur* §. 2. *et* 3. *punctis* 7.

Nicol. de Lyra *in cap.* v. *v.* 6. *Apoc.* Agnum, id est, Christum in medio Ecclesiarum per orbem in nomine ejus constitutarum sicut ipse dicit, Matth. ult. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi*... Dicitur hîc agnus ratione immolationis... tanquam occisus, quia quotidiè in Ecclesia immolatur; non moriendo secundùm carnem, quia resurrexit ad vitam immortalem... sed secundùm effectum et repræ-

His omnibus probationibus è Scriptura petitis accedit plurimum roboris ex testimonio Traditionis, quâ liquidò demonstratur oblatum semper in Ecclesia fuisse sacrificium exterius; idque non esse aliud quàm ipsum corpus et sanguinem Christi, sub panis et vini speciebus oblatum.

Multa id evidenter adstruunt.

1. Concilia: Nicænum œcumenicorum primum ann. 325. Ancyranum, Laodicenum, Carthaginense secundum, habita seculo quarto: Agathense anno 506. Aurelianense primum ann. 508. Aurelianense tertium ann. 540. Toletanum duodecimum ann. 681. (H) Hæc et alia plurima Concilia, quæ

sentationem; quia per oblationem Eucharistiæ communicatur nobis effectus suæ passionis..... Non dicitur hîc agnus occisus simpliciter, sed tanquam occisus.

TIRINUS *in cap.* v. *v.* 6. *Apoc. Agnum* innocentiâ, mansuetudine, immolatione, non tamen jacentem, ut putat Alcazar; sed *stantem*, tanquam occisum quidem in cruce, sed mox redivivum et immortalem. *Stantem*, inquam, quasi paratum ad perficiendum opus redemptionis à se inchoatum (inquit Richardus:) ad nobis opitulandum, (Ansbertus et Hugo:) ad mediandum inter nos et Deum, et instar advocati pro nobis interpellandum, (S. Augustinus:) ad judicandum, (Pannonius.) Instar occisi apparuisse vult Andr. Cæsariensis propter quinque vulnerum cicatrices, quas in corpore retinuit: Aureolus, Lyranus, et Alcazar, propter modum existendi quem habet in Eucharistia, repræsentante nobis occisionem et mortem Christi. Idem enim hîc est *agnus*, idem sacrificium crucis et Eucharistiæ quoad victimam, quoad repræsentationem, denique quoad fructum, seu effectum.

(H) CONC. NICÆNUM. *ann.* 325. *can.* 18. Pervenit ad sanctam Synodum, quòd nonnullis in locis, et civitatibus Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quod nec canon, neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potestatem non habent, iis qui offerunt dent corpus Christi. Jam verò illud etiam cognitum est, quòd jam quidam ex Diaconis etiam ante Episcopos Eucharistiam attingunt. Hæc ergo omnia auferantur, et Diaconi intra suas mensuras permaneant: scientes quòd sunt quidem Episcopi Ministri, Presbyteris verò minores. Accipiant autem suo ordine Eucharistiam post Presbyteros, eis præbente Episcopo vel Presbytero.

CONC. ANCYRANUM *Can.* 1. *ann.* 314. Presbyteros qui sacrificarunt, deindè contrà reluctati sunt, non fraudulenter et insidiosè, sed verè, nec hoc priùs machinati sunt, nec consultò ac de industria id fecerunt, et persuaserunt, ut tormentis subjici viderentur, cùm eâ specie et opinione tantùm inferrentur: visum est eos cathedræ quidem honoris esse participes, non licere autem illis offerre, seu sermonem conferre, vel omninò Sacerdotale aliquod munus obire.

CONC. NEOCÆSAR. *ann.* 314. *can.* 13. Presbyteri qui conregionales sunt, in Ecclesia præsentibus Episcopis vel Presbyteris civitatis, offerre non possunt, nec dare panem sanctificatum, nec calicem porrigere. Quòd si absentes sint civitatis Sacerdotes, et fuerint invitati ad dandam orationem, soli poterunt dare. Vicarii autem Episcoporum, quos Græci Chorepiscopos vocant, constituti sunt quidem ad exemplum septuaginta seniorum; sed tanquam consacerdotes, propter sollicitudinem et studium, quod in pauperes agunt, offerant, et honorabiles habeantur.

CONC. LAODIC. *sub* SILVESTRO *Can.* 19. Oportere seorsùm primùm, post Episcoporum sermones, Catechumenorum orationem peragi: et postquam exierint Catechumeni, eorum qui pœnitentiam agunt, fieri orationem: et cùm ii sub manum accesserint, et secesserint, fidelium preces sic ter fieri: unam quidem, scilicet primam, silentio: secundam autem et tertiam per pronuntiationem impleri, deindè sic pacem dari. Et postquam Presbyteri pacem Episcopo dederint, tunc laïcos etiam pacem dare: et sic sanctam oblationem perfici, et solis licere sacratis ad altare accedere, et communicare.

Ex interpret. ISIDOR. MERCAT. Et posteaquàm Presbyteri Episcopo pacem dederint, tunc etiam Laicos dare. Et sic oblatio offeratur. Solis autem Ministris altaris liceat ingredi ad altare, et ibidem communicare.

Can. 49. Quòd non oportet in Quadragesima panem offerre, nisi sabbato, et solis Dominicis.

CONC. CARTHAG. II. *ann.* 397. *can.* 3. Chrismatis confectio, et puellarum consecratio à Presbyteris non fiant. Vel reconciliare quemquam in publica Missa, Presbytero non licere.

Can. 8. Alypius Episcopus Ecclesiæ Tagastensis, legatus Provinciæ Numidiæ, dixit: Nec illud prætermittendum est, ut si quis fortè Presbyter ab Episcopo suo correptus, aut excommunicatus, tumore, vel superbiâ inflatus putaverit separatim Deo sacrificia offerenda, vel aliud erigendum altare contra Ecclesiasticam fidem disciplinamque crediderit, non exeat impunitus.... Ab universis Episcopis dictum est: Si quis Presbyter à Præposito suo excommunicatus vel correptus fuerit, debet ubique apud vicinos Episcopos conqueri, ut ab ipsis ejus causa possit audiri, ac per ipsos suo Episcopo reconciliari. Quod nisi fecerit, sed superbiâ, quod absit, inflatus secernendum se ab Episcopi sui communione duxerit, ac separatim cum aliquibus schisma faciens, sacrificium Dei obtulerit, anathema habeatur, et locum amittat.

Can. 9. Quisquis Presbyter inconsulto Episcopo agenda in quolibet loco voluerit celebrare, ipsi honori suo contrarius existit.

CONC. AGATH. *ann.* 506. *can.* 14. Altaria placuit non solùm unctione Chrismatis, sed etiam Sacerdotali benedictione sacrari.

Can. 47. Missas die Dominico à secularibus totas teneri speciali ordinatione præcipimus: ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Qui si fecerint, ab Episcopo publicè confundantur.

CONC. AURELIAN. I. *ann.* 511. *can.* 6. Cùm ad celebrandas Missas in Dei nomine convenitur, populus non antè discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur: et ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis.

CONC. AURELIANENSE III. *can.* 6. *ann.* 538. De ipsis quoque qui ordinandi sunt Clerici, regulari custodiatur studio, ne aut duarum uxorum vir, aut renuptæ maritus, aut pœnitentiam professus, aut semus (*id est*, sectus, mutilatus,) corpore, vel qui publicè aliquando abreptus est, ad supradictos ordines promoveatur. Quòd si sciens Episcopus contra hæc statuta agendum esse crediderit, is quidem qui ordinatur, suscepto juxta anteriores canones privetur officio: sed et ille pro ordinationis temeritate sex mensibus à celebrandis Officiis sequestretur. Quòd si Missas intra statutum tempus facere præsumpserit, anno integro ab omnium fratrum charitate privetur.

Can. 7. Episcopus autem qui invitum aut reclamantem præsumpserit ordinare, annuali pœnitentiæ subditus Missas facere non præsumat.

Can. 14. De Missarum celebratione, in præcipuis duntaxat solemnitatibus, id observari debet, ut horâ tertiâ missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quò faciliùs intra horas competentes, ipso officio expedito, Sacerdotes possint ad vespertina officia, id est, in vespertino tempore convenire: quia Sacerdotem vespertinis officiis ab Ecclesia talibus prætereà diebus nec decet deesse, nec convenit.

CONC. TOLETANUM XII. *ann.* 681. *can.* 5. Relatum est nobis, quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in uno die videantur Deo offerre: sed in uno die si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à communicando suspendunt, et in sola tantùm extremi sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt; quasi non sit toties reus illius veri et singularis sacrificii, quoties participator corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi esse destiterit. Nam ecce Apostolus dicit: *onne qui edunt hostias participes sunt altaris?* (1. *Cor.* x. 18.) Si ergo qui edunt hostias participes sunt altaris, certum est, quòd hi qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti. Quicunque ergo Sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblaturus accesserit, et se à communione suspenderit, ab ipsa, quâ se indecenter privabit gratiâ communionis, anno uno repulsum se noverit. Nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans participasse cognoscitur? Ergo hoc modis omnibus est

brevitatis causâ prætermitto, de exteriori corporis et sanguinis Christi sacrificio in Ecclesia celebratos canones condunt.

2. His adjungi potest argumentum desumptum ex Anathematismo decimo S. Cyrilli adversùs Nestorium, lecto et probato in Concilio generali Ephesino ann. 431. (I) Item ex querimonia Episcoporum Libyæ adversùs Dioscorum in concilio Chalcedonensi ann. 451. quòd ille vinum ad sacrificii celebrationem necessarium præ avaritia diù non dederit; undè factum fuerat sacrosanctum Sacrificium non fuisse per id temporis in Libya celebratum; quæ quidem expostulatio admissa est in Concilio. (K)

3. Idem probatur ex libris Liturgicis omnium omninò Ecclesiarum. Exstat etiamnum Liturgia sancti Basilii, item sancti Chrysostomi; exstant et aliæ antiquiores, quarum auctor non ita certus est. Quæ viget in Occidente Liturgia non minus habet ex antiquitate ponderis. At ex libris illis Liturgicis patet, oblatum semper et ubique in Ecclesia fuisse sacrificium corporis et sanguinis Christi sub specie panis et vini.

4. Idem probatur ex nominibus *Altaris*, *Sacrificii*, *Oblationis*, *Immolationis mysticæ*, *Sacerdotum*, quorum jam à primis Ecclesiæ seculis solemnem usum fuisse nemo inficiabitur. (L)

5. Ex omnibus omninò Patribus qui de Eucharistia scripserunt, sufficiat proferre Justinum seculo primo, Irenæum et Tertullianum seculo secundo, Cyprianum tertio; quarto

tenendum, ut quotiescunque sacrificans corpus et sanguinem Jesu Christi Domini nostri in altario immolat, toties perceptioni corporis et sanguinis Christi se participem præbeat.

(I) S. CYRILL. *adversùs Nestorium anathemat.* 10. Confessionis nostræ Pontificem et Apostolum factum esse Christum, Scriptura divina docet: obtulisse quoque semetipsum pro nobis Deo et Patri in odorem suavitatis. Si quis ergo dixerit, Pontificem et Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum, posteàquam caro et homo nobis similis factum est: sed hominem illum qui ex muliere natus est, quasi alterum quempiam ab ipso diversum: aut si quis Christum pro se ipso quoque, et non potiùs pro nobis solis sacrificium obtulisse dixerit: (neque enim oblatione egebat, qui peccatum non novit:) anathema sit.

(K) CONC. CHALCEDON. *ann.* 451. *Libellus Ischyrionis Diaconi Alexandriæ sanctæ et œcumenicæ Synodo exhibitus adversùs Dioscorum....* Tanta autem contra omnes (non sicut decebat Episcopum, et maximè tantæ civitatis, et Evangelicæ illius sedis Præsulem constitutum) perpetrare ausus est, ut etiam et frumentum, quod à piissimis nostris Imperatoribus Ecclesiis Libyæ propter ariditatem illius provinciæ, et quia ibi omninò triticum non nascitur, præstitutum est; imprimis quidem ut incrementa ex ipso hostia offerantur, deindè ut et peregrini, nec non etiam et provinciales pauperes aliquod mereantur solatium, non permitteret suscipere sanctissimos Episcopos illius provinciæ, sed adærare, et coemeret memoratum frumentum largissimis pecuniis, ipsum verò in tempore famis gravissimis æstimationibus venundaret. Et ex hoc neque terribile et incruentum sacrificium celebratum est, neque (sicut dixi) peregrini aut provinciales hoc solatio fruiti sunt.

(L) *Lege de ea re illustrissimi* DD. EPISCOP. S. PONTII TOMERIARUM de Eucharistiæ Sacramento *doctissima Mandata.*

et quinto seculo Eusebium, Optatum, Cyrillum Jerosolymitanum, Hilarium, Basilium, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, Hieronymum, Angustinum. (M) Cæteros taceo; essent enim singuli appellandi.

(M) S. JUSTINUS Martyr *Dialogo cum Tryphone. Vide superiùs hocce §. litt.* (B)

S. IRENÆUS *lib. 4. contra hæreses, cap.* 18. *aliàs* 34. *n.* 1. Igitur Ecclesiæ oblatio, quam Dominus docuit offerri in universo mundo, purum sacrificium reputatum est apud Deum, et acceptum est ei: non quòd indigeat à nobis sacrificium, sed quoniam is qui offert, glorificatur ipse in eo quod offert, si acceptetur munus ejus. Per munus enim erga Regem, et honos et affectio ostenditur: quod in omni simplicitate et innocentia Dominus volens nos offerre, prædicavit dicens: (*Matth.* v. 23. *et* 24.) *Cùm igitur offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris, quoniam frater tuus habet aliquid adversùm te: dimitte munus tuum ante altare, et vade primùm reconciliari fratri tuo: et tunc reversus offeres munus tuum.* Offerre igitur oportet Deo primitias ejus creaturæ, sicut et Moyses ait: *Non apparebis vacuus ante conspectum Domini Dei tui* (*Deuter.* XVI. 16.): ut in quibus gratus exstitit homo, in his gratus eis deputatus, eum qui est ab eo percipiat honorem. Et non genus oblationum reprobatum est; oblationes enim et illic, oblationes autem et hîc: sacrificia in populo, sacrificia et in Ecclesia: sed species immutata est tantùm, quippè cùm jam non à servis, sed à liberis offerator. Unus enim et idem Dominus, proprius autem caracter servilis oblationis et proprius liberorum, uti et per oblationes ostendatur indicium libertatis. Nihil enim otiosum, nec sine signo, neque sine argumento apud eum. Et propter hoc illi quidem decimas suorum habebant consecratas (*Exod.* XXII. 29. *etc.*): qui autem perceperunt libertatem, omnia quæ sunt ipsorum ad dominicos decernunt usus, hilariter et liberè dantes ea, non quæ sunt minora, utpotè majorum spem habentes: viduà illà et paupere hîc totum victum suum mittente in gazophylacium Dei. (*Luc.* XXI. 2.) 3. Ab initio enim respexit Deus ad munera Abel, quoniam cum simplicitate et justitia offerebat: super sacrificium autem Caïn non respexit (*Gen.* IV. 4. *Hebr.* XI. 4.), quoniam cum zelo et malitia, quæ erat adversùs fratrem, divisionem habebat in corde; quemadmodùm occulta ejus arguens Deus ait: *Nonne si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccastis? Quiesce* (*Genes.* IV. 7.); quoniam non sacrificio placatur Deus. Si enim quis solummodò secundùm quod videtur, mundè, et rectè, et legitimè offerre tentaverit; secundùm autem suam animam non rectè dividat eam quæ est ad proximum communionem, neque timorem habeat Dei; non per id quod rectè foris oblatum est sacrificium, seducit Deum, intùs habens peccatum; nec oblatio talis proderit ei aliquid, sed cessatio mali, quod est intùs conceptum, ne per assimulatam operationem, magis autem peccatum ipsum, sibi homicidam faciat hominem.... Igitur non sacrificia sanctificant hominem; non enim indiget sacrificio Deus: sed conscientia ejus qui offert sanctificat sacrificium, pura existens, et præstat acceptare Deum quasi ab amico. *Peccator autem*, inquit, *qui occidit mihi vitulum, quasi qui occidat canem.* (*Isai.* LXVI. 3.) 4. Quoniam igitur cum simplicitate Ecclesia offert, justè munus ejus purum sacrificium apud Deum deputatum est. Quemadmodùm et Paulus Philippensibus ait: *Repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ à vobis missa sunt, odorem suavitatis, hostiam acceptabilem, placentem Deo.* (*Philipp.* IV. 18.) Oportet enim nos oblationem Deo facere, et in omnibus gratos inveniri fabricatori Deo, in sententia pura et fide sine hypocrisi, in spe firma, in dilectione fervenli; primitias earum quæ sunt ejus creaturarum offerentes. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione ex creatura ejus. Judæi autem non offerunt: Manus enim eorum sanguine plenæ sunt (*Isai.* I. 15.): non enim receperunt Verbum, quod offertur Deo. Sed neque omnes hæreticorum synagogæ. Alii enim alterum præter fabricatorem dicentes Patrem, ea quæ secundùm nos creata sunt, offerentes ei, cupidum alieni ostendunt eum, et aliena concupiscentem. Qui verò ex defectione, et ignorantia, et passione dicunt facta ea, quæ

sunt secundùm nos, ignorantiæ, passionis et defectionis fructus offerentes, peccant in Patrem suum, contumeliam facientes magis ei, quàm gratias agentes. Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sint, corpus esse Domini sui, et calicem sanguinis ejus, si non ipsum fabricatoris mundi Filium dicant, id est, Verbum ejus, per quod lignum fructificat, et defluunt fontes, et terra dat primùm quidem fenum, post deindè spicam, deindè plenum triticum in spica? 5. Quomodo autem rursùs dicunt carnem in corruptionem devenire, et non percipere vitam, quæ corpore Domini et sanguine alitur? Ergo aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo quæ prædicta sunt. Nostra autem consonans est sententia Eucharistiæ, et Eucharistia rursùs confirmat sententiam nostram. Offerimus enim ei quæ sunt ejus, congruenter communicationem et unitatem prædicantes carnis et spiritûs. Quemadmodùm enim qui est à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis panis est, sed Eucharistia, ex duabus rebus constans, terrenâ et cœlesti: sic et corpora nostra percipientia Eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. 6. Offerimus autem ei, non quasi indigenti, sed gratias agentes dominationi ejus, et sanctificantes creaturam. Quemadmodùm enim Deus non indiget eorum quæ à nobis sunt, sic nos indigemus offerre aliquid Deo, sicut Salomon ait: *Qui miseretur pauperi, fenerat Deo.* (*Prov.* XIX. 17.) Qui enim nullius indigens est Deus, in se assumit bonas operationes nostras, ad hoc ut præstet nobis retributionem bonorum suorum, sicut Dominus noster ait: (*Matth.* XXV. 34. *et seq.*) *Venite benedicti Patris mei, percipite præparatum vobis regnum. Esurivi enim, et dedistis mihi manducare: sitivi, et potastis me: hospes fui, et collegistis me: nudus, et cooperuistis me: infirmus, et visitastis me: in carcere, et venistis ad me.* Sicut igitur non his indigens, vult tamen à nobis propter nos fieri, ne simus infructuosi: ita id ipsum Verbum dedit populo præceptum faciendarum oblationum, quamvis non indigeret eis, ut discerent Deo servire; sic et ideò nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione. Est ergo altare in cœlis; (illùc enim preces nostræ, et oblationes nostræ diriguntur,) et templum, quemadmodùm Joannes in Apocalypsi ait: *Et apertum est templum Dei* (*Apoc.* XI. 19.); et tabernaculum, *Ecce enim*, inquit, *tabernaculum Dei, in quo habitabit cum hominibus.* (*Apoc.* XXI. 3.)

TERTUL. *lib.* 3. *contra Marcionem, cap.* 22. *Vide superiùs hocce* §. *litt.* (B)

S. CYPRIAN. *Epist.* 1. *aliàs* 66. *ad Clerum et plebem Furnit.* Graviter commoti sumus ego et collegæ mei qui præsentes aderant, et compresbyteri nostri qui nobis assidebant, fratres charissimi, cùm cognovissemus, quòd Geminius Victor frater noster de seculo excedens, Geminium Faustinum Presbyterum tutorem testamento suo nominaverit: cùm jam pridem in Concilio Episcoporum statutum sit, ne quis de Clericis, et Dei Ministris tutorem vel curatorem testamento suo constituat, quando singuli Divino sacerdotio honorati et in clerico ministerio constituti, non nisi altari et sacrificiis deservire, et precibus atque orationibus vacare debeant. Scriptum est enim: *Nemo militans Deo obligat se molestiis secularibus, ut possit placere ei qui se probavit.* (2. *Tim.* II. 4.) Quod cùm de omnibus scriptum sit, quantò magis Clerici molestiis et laqueis secularibus obligari non debent, qui Divinis rebus et spiritalibus occupati, ab Ecclesia recedere, et ad terrenos et seculares actus vacare non possunt?

Cujus ordinationis et religionis formam Levitæ priùs in lege tenuerunt, (*Num.* XVIII. 20.) ut cùm terram dividerent, et possessiones partirentur undecim Tribus, Levitica Tribus, quæ templo et altari et ministeriis Divinis vacabat, nihil de illa divisionis portione perciperet; sed aliis terram colentibus, illa tantùm Deum coleret, et ad victum atque alimentum ab undecim Tribubus de fructibus qui nascebantur, decimas reciperet. Quod totum fiebat de Auctoritate et dispositione Divina, ut qui operationibus Divinis insistebant, in nulla re avocarentur, nec cogitare aut agere secularia cogerentur. Quæ nunc ratio et forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia Domini, ordinatione clericâ promoventur, in nullo ab administratione Divina avocentur: nec molestiis et negotiis secularibus alligentur; sed in honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari et sacrificiis non recedant; sed die ac nocte cœlestibus rebus et spiritalibus serviant.

Quod Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes, et salubriter providentes, censuerunt ne quis frater excedens ad tutelam vel curam Clericum nominaret : ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur. Neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes et Ministros voluit avocare. Et ideò Victor cùm contra formam nuper in Concilio à Sacerdotibus datam, Geminium Faustinum Presbyterum ausus sit tutorem constituere, non est quod pro dormitione ejus apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine ejus in Ecclesia frequentetur. Ut Sacerdotum decretum religiosè et necessariè factum servetur à nobis, simul et cæteris fratribus detur exemplum, ne quis Sacerdotes et ministros Dei altari ejus et Ecclesiæ vacantes, ad seculares molestias devocet. Observari enim de cætero poterit, ne ultrà hoc fiat circa personam Clericorum, si quod nunc factum est, fuerit vindicatum.

EUSEBIUS *lib.* 5. *Demonstrat. Evang. cap.* 3. *Vide superiùs* §. 5. *hujusce Cap. litt.* (C) *et lib.* 1. *Demonstrat. Evang. cap.* 6. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

S. OPTATUS *lib.* 6. *de Donatist. schismate adversùs Parmen. n.* 1. Ut mihi videtur liquidò demonstratum est, in Divinis sacramentis quid nefariè feceritis. Jam illa ostendenda sunt, quæ crudeliter ac stultè vos fecisse, negare minimè poteritis. Quid enim tam sacrilegum, quàm altaria Dei, (in quibus et vos aliquando obtulistis) frangere, radere, removere ? In quibus et vota populi et membra Christi portata sunt : quò Deus omnipotens invocatus sit : quò postulatus descenderit Spiritus sanctus : undè à multis et pignus salutis æternæ, et tutela fidei, et spes resurrectionis accepta est. Altaria, inquam, in quibus fraternitatis munera non jussit Salvator imponi, nisi quæ essent de pace condita : *Depone*, inquit, *munus tuum ante altare, et redi priùs, concorda cum fratre tuo, ut possit pro te Sacerdos offerre.* (*Matth.* v. 24.) Quid est enim altare, nisi sedes corporis et sanguinis Christi ? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit. Hoc igitur inexpiabile nefas, si de aliqua ratione descendit, uno modo fieri debuit. Sed, ut æstimo, alio loco copia lignorum frangi jussit, aliis verò ut altaria raderent, lignorum inopia imperavit. Ut autem alii removerent, ex parte verecundia persuasit : ubique tamen nefas est, dùm tantæ rei manus sacrilegas et impias intulistis. Quid perditorum conductam referam multitudinem, et vinum in mercedem sceleris datum ? Quod ut immundo ore sacrilegis haustibus biberetur, calida de fragmentis altarium facta est. Si livoris judicio non vobis sordidi videbamur, quid vobis fecerat Deus, qui illic invocari consueverat ? Quid vos offenderat Christus, cujus illic per certa momenta corpus et sanguis habitabat ? Quid offendistis etiam vos ipsi, ut in illa altaria frangeretis, in quibus ante nos per longa temporum spatia sanctè ut arbitramini obtulistis. Dùm impiè persequimini manus nostras illic ubi corpus Christi habitabat, feristis et vestras. Hoc modo Judæos estis imitati : illi injecerunt manus Christo in cruce : à vobis percussus est in altari.

N. 2. Hoc tamen immane facinus à vobis geminatum est, dùm fregistis etiam calices, Christi sanguinis portatores : quorum species revocastis in massas, merces nefariis nundinis procurantes, ad quam mercem nec emptores eligere voluistis : avari, dùm venditis ; sacrilegi, dùm inconsideratè vendidistis.... eam rem cùm passim vendi jussistis, emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres, emerunt Pagani facturi vasa, in quibus incenderent idolis suis. O scelus nefarium ! ò facinus inauditum ! auferre Deo, quod idolis præstes ; subducere Christo, quod proficiat sacrilegio.

S. GREGOR. NAZIAN. *Orat.* 1. *pag.* 31. Quis est qui veritatis propugnatorem, unius dieculæ spatio, velut è luto statuam fingit : illum, inquam, qui cum Angelis stabit, cum Archangelis glorificabit, ad supernum altare sacrificia transmittet, cum Christo sacerdotio fungetur, figmentum instaurabit, imaginem exhibebit, superno mundo opificem aget, et, ut quod majus est dicam, Deus erit, aliosque Deos efficiet ?

Pag. 38. Hæc igitur cùm ego nossem, illudque insuper neminem magno, et Deo, et sacrificio, et Pontifice dignum esse, nisi qui priùs se ipsum Deo *hostiam viventem sanctam exhibuerit, et rationabile obsequium* (*Rom.* XII. 1.) gratum atque acceptum ostenderit, Deoque sacrificium laudis,

6. Certum est cùm Lutherus et Calvinus prodiêre ad tollendum de medio sacrosanctum hoc Sacrificium, tunc illud apud omnes omninò Christianos, etiam apud eos quos vel hæresis vel schisma sejungit ab Ecclesia Romana, oblatum toto terrarum orbe fuisse, sicut etiamnum ab omnibus offertur, si Protestantes excipias. Nec assignari potest ullum tempus, quo sacrificium hoc offerri cœperit : ergo ritus

ac spiritum obtulerit (quod solum sacrificium, is qui omnia dedit, à nobis exposcit ;) quo laudem modo externum illud sacrificium, illud magnorum mysteriorum antitypum ipsi offerre auderem, aut quo modo Sacerdotis habitum, et nomen subire, priusquàm sanctis operibus manus purificassem.

Orat. 4. contra Julian. 2. Mensam etiam habeo spiritalem hanc scilicet ac divinam, quam Dominus *paravit mihi in conspectu meo adversùs eos qui tribulant me* (*Ps.* XXII. 5.) : in qua refícior et delicior, nec propter saturitatem, petulantiâ efferor : quin potiùs omnem turbidarum animi permotionum impetum consopio.

S. CYRILL. HIEROSOLYM. *Cateches.* 5. *Mystag.* Postquam confectum est illud spirituale sacrificium, et ille cultus incruentus super ipsam propitiationis hostiam, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum salute. *Et paulò post.* Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus.

S. HIERONYM. *in cap.* 1. *Malachiæ. Vide suprà hocce* §. *litt.* (B)

S. AUG. *Epist.* 140. *aliàs* 120. *ad Honorat. seu de gratia novi Testamenti, cap.* 19. *n.* 48. Gratias agimus Domino Deo nostro, quòd est magnum sacramentum in sacrificio novi Testamenti, quod ubi, et quando, et quomodo offeratur, cùm fueris baptizatus invenies.

Cap. 24. *n.* 61. Vota verò sua sacrificium vult intelligi corporis sui, quod est fidelium sacramentum. Ideò cùm dixisset, *Vota meæ reddam coram timentibus eum ;* continuò subjunxit, *Edent pauperes et saturabuntur.* (*Ps.* XXI. 26. *et* 27.) Ipsi enim saturabuntur pane, qui de cœlo descendit, qui ei cohærentes, et ejus pacem dilectionemque servantes imitantur ejus humilitatem.

Lib. 9. *Confessionum, cap.* 13. *n.* 36. *Vide superiùs* §. 18. *Cap.* 5. *Sect.* 1. *hujusce Part. litt.* (L)

Lib. 10. *de Civit. Dei, cap.* 20. *Vide suprà* §. 3. *hujusce Cap. litt.* (A)

Serm. 2. *in Psal.* XXXIII. *n.* 2. Erat ibi sacrificium secundùm ordinem Aaron, (scilicet apud Judæos,) et posteà ipse (Christus) de corpore et sanguine suo instituit sacrificium secundùm ordinem Melchisedech.

S. JOAN. CHRYSOST. *lib.* 3. *de Sacerdot. cap.* 3. Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cœlestium classem ordinemque referendum est.... Idcircò necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cœlis collocatus inter cœlestes illas virtutes medius staret.... Nam dùm conspicis Dominum immolatum, et illic situm Sacerdotem sacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum verò turbam circumfusam pretioso illo sanguine intingi ac rubefieri, etiam ne te inter mortales versari, atque in terra consistere censes? an non potiùs è vestigio in cœlos transferris ?

Lib. 6. *cap.* 3. Cùm autem ille (Sacerdos) et Spiritum sanctum invocaverit, sacrificiumque illud horrore ac reverentiâ plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assiduè pertractato : quæro ex te, quoto illum in ordine collocabimus ? quantam autem ab eo integritatem exigemus ? quantam religionem ? Considera enim quales manus hæc administrantes esse oporteat : qualem linguam, quæ verba illa effundat ; quâ denique re non puriorem sanctioremve esse conveniat animam, quæ tantum illum tamque dignum spiritum receperit ? Per id tempus et Angeli Sacerdoti assident, et cœlestium potestatum universus ordo clamores excitat, et locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Id quod credere abundè licet vel ex tanto illo sacrificio, quod tum peragitur.

Vide etiam Auctoritates SS. Patrum à nobis suprà exscriptas tum §. 5. *litt.* (C) *tum hocce* §. *litt.* (B)

ille ex Apostolica traditione manat. Nam, ut probavimus Part. 2. hujus Operis (*Sect.* 1. *Cap.* 2. §. 4.), ubi de Traditionis auctoritate, certissimè tenenda est illa regula quam tradit sanctus Augustinus (*Lib.* 4. *de Bapt. adv. Donat. c.* 24.): *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolicâ traditum certissimè creditur.* Cujus regulæ veritatem nemo non sentit.

§. 8 De nominibus Liturgiæ et Missæ, quibus hoc sacrificium designatur.

I. Quibus nominibus appellatur hoc sacrificium?

R. Varia est, sive apud Orientales, sive apud Occidentales sacrificii hujus appellatio: hoc enim Græci Patres *Liturgiam*, *Mystagogiam*, *Synaxim*, *Anaphoram*, *Prosphoram*, appellant; Latini *Missam*, *Collectam*, *Dominicum*, *Agendam*, *Oblationem Communionem*. Sed mos jam invaluit ut apud Græcos *Liturgia*, apud Latinos *Missa* diceretur, omissis cæteris appellationibus.

I. Quid *Liturgiæ* nomine significatur?

R. Liturgia vox Græca est, quâ significatur quodlibet publicum munus et ministerium. Ab Ecclesiæ autem exordio consecratum est hoc nomen ad significandum sacrosanctum corporis et sanguinis Christi sacrificium: quia nullum est in Ecclesia ministerium magis solemne quàm actio Sacerdotis sacrificantis corpus et sanguinem Christi.

I. Cur SS. Patres hoc sacrificium appellavêre aliis nominibus suprà dictis?

R. Mystagogiam appellavêre, id est, mysticam actionem, introductionem ad Mysteria.

Synaxim, id est, fidelium congregationem ad celebranda Mysteria.

Anaphoram, id est, sursùm elationem, quia sursùm ad Deum fertur sacrificium hoc.

Prosphoram, id est, Oblationem.

Latini verò Patres et Concilia vocaverunt hoc sacrificium *Collectam*, id est, congregationem fidelium, sicut Græci *Synaxim*. (A)

Dominicum, id est, Domini sacrificium. (B)

Agendam, hoc est, sacram actionem.

Notum omnibus *Oblationis* et *Communionis* nomen.

(A) *Acta* S. Saturnini, Dativi, *etc. apud* Theod. Ruinart, *pag.* 415. Non quæro utrum Christianus sis, sed an Collectam feceris, vel scripturas aliquas habeas? O stulta Judicis et ridenda interrogatio! Christianus, inquit, utrum sis. tace. Et addidit: Si in Collecta fuisti, responde. Quasi Christianus sine Dominico esse possit, aut Dominicum sine Christiano celebrari? An nescis, satanas, in Dominico Christianum et in Christiano Dominicum constitutum, ut nec alterum sine altero valeat esse? Cùm nomen audieris, frequentiam Domini disce: et cùm Collectam audieris, nomen agnosce. Denique cognosceris à Martyre, et rideris. Tali responsione confunderis. Collectam, inquit, gloriosissimè celebravimus, ad Scripturas Dominicas legendas in Dominicum convenimus semper.

(B) *Vide litt. super. Acta SS. Saturnini, etc.*

I. Quid sibi vult *Missæ* nomen? Cur huic sacrificio inditum?

R. Variæ à variis afferuntur hujus nominis etymologiæ. Hoc quidam derivari asserunt à lingua Hebraïca, alii à lingua quæ vulgaris erat apud Septentrionales populos, qui se in Occidentem effuderunt, et partiti sunt inter se imperium Romanum Occidentis. Aliis alia origo magis arridet. Longè probabilius est Missæ nomen deducere à mittendo, adeò ut idem significet *Missa* quod *Missio* seu *Dimissio.* (C) Nimirùm

(C) Bona Cardinal. *lib.* 1. *rerum Liturg. cap.* 1. *n.* 1. De Missæ sacrificio clarè et strictim discepturo prima statim occurrit de nomine difficultas.... Quidam Doctores Hebraïcæ antiquitati nimiùm addicti Hebraïcum nomen esse putant, ex Deuter. xvi. 10. ubi vox *Missah* reperitur quæ oblationem significat. Quam sententiam mordicus sustinent Joannes Reuchlinus *lib.* 2. *Hebraïcar. eruditionum*, Claudius de Saincles *in præf. ad Liturgias Patrum*, Baronius *ann.* 34. *n.* 59. Genebrardus *de Liturgia Apostolica cap.* 7. Antonius Demochares *adversùs Misoliturgos*, *tom.* 2. *cap.* 1. et alii istorum asseclæ, qui nullo suffulti veterum testimonio asserunt Apostolos ab Hebræis, Latinos à Petro Principe Apostolorum *Missæ* vocabulum accepisse, ac si nihil antiquum, nihil Catholicum foret nisi Hebræo nomine insignitum. Sed ut optimè Bellarminus observat *lib.* 1 *de Missa c.* 1. si vox ista Hebraïca in usu Apostolis fuisset, eam certè retinuissent Græci et Syri, atque aliæ nationes, ut retinuerunt alias similes, ut *Amen*, *Alleluia*, *Sabaoth*, *Osanna*, *Satan*, *Sabbatum*, *Pascha.* Vocabula enim Hebraïca per Græcos ad nos devenerunt; cùm ipsi etiam Apostoli, et primi Ecclesiæ Doctores Græcè scripserint. Porrò apud Græcos nulla est mentio hujus vocis, neque apud Patres Hebraïcæ linguæ peritos, Origenem, Epiphanium, Justinum, Hieronymum: quod certè admirandum videri posset, si ex Hebræis ad Christianos illa vox emanasset.

N. 2. Aliam hujus nominis originem proponit Genebrardus *l. citati c.* 3. ex Græca voce *Myesis*, à verbo *Myeo*, quod est doceo, instituo, et spiritualiter initio: quod significat initiationem, seu mysticam doctrinam, quæ per divinam inspirationem in abdito mentis percipitur sine humano magisterio; ut docet Corderius *in Onomastico Dionysii:* hinc autem ait Genebrardus derivatum forsitan esse nomen Missæ mutatâ terminatione, quæ secundùm diversitatem linguarum variari solet. Nam Græci, inquit, hanc vocem sic pronuntiant *Myisis*, undè mutatâ terminatione *Missa* à Latinis deduci potuit. At hæc levissima Genebrardi conjectura est, tanti viri doctrinâ et eruditione prorsùs indigna. Neque obstat quod apud quosdam Græcos Scriptores aliquando vox *Missa* legatur, ut apud Constantinum *in Tacticis*, quem Joannes Meursius citat *in Glossario Græco-Barbaro:* hi enim recentiores sunt post annum Christi millesimum, et hanc vocem sicut et alias à Latinis acceperunt, et alio sensu usurpant, præsertim Scriptores Tactici, qui eâ passim utuntur pro precibus, quas in exercitu milites Christiani manè et vesperè recitabant.

N. 3. Tertia et singularis hac de re opinio et viri doctissimi Gabrielis Albaspinæi, qui *l.* 2. *de Sacram. Euchar. c.* 3. rejectis aliorum etymologiis Missam dici autumat à nomine *Mess*, quod apud gentes Septentrionales significat festum sive congregationem. Quia verò populi, ut sacrificio intersint, in unum adunantur, ideò Missæ nomen ipsi sacrificio inditum arbitratur. Ut autem probet Missæ nomen pro festo accipi, et pro populi adunatione, multa congerit ex Capitularibus et Conciliis Franciæ; sed ex illis potiùs deducitur Missæ nomen ad festum et conventum populi denotandum translatum fuisse.... Nec verisimile videtur quòd à gentibus Septentrionalibus Missæ nomen emanare potuerit, quia cùm seriùs ad eas Evangelii prædicatio pervenerit, illud potiùs ab illis acceperunt à quibus fidei mysteriis imbuti sunt.

N. 4. His explosis, quarta sententia, eaque vera et indubitata stabilienda est, Missæ vocabulum Latinum esse à mittendo dictum. Est enim Missa idem ac Missio, sicut *remissam* pro remissione dicebant antiqui. Tertull. l. 4. advers. Marcionem c. 18. *Diximus de remissa peccatorum.*

Cyprian. de bono patient. *Dominus baptizatur à servo, et remissàm peccatorum daturus ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere.* Optat. Milevit. l. 1. *Non potuit in remissam peccatorum tingi.* Victor Tunnunensis in Africa Episc. l. de pœnitentia c. ultimo, *Merebimur remissam omnium peccatorum.* Hujus autem appellationis causam non omnes eamdem tradunt. Quidam volunt Missam dictam à mittendo, quòd olim fieret ex donis à populo missis et in unum collatis; quæ expositio Sectariorum est, Missam cum Agape seu convivio Christianorum confundentium.

N. 5. Aliis placuit Missam dici quasi transmissam, eò quòd populus per ministerium Sacerdotis preces et oblationes ad Deum transmittat. Stephanus Eduensis l. de Sacram. altaris c. 8. *Hac salutatione, nempe,* Ite Missa est, *monentur adstantes recedere, quia Missa est hostia: propterea ministerium sacrosanctum Missa nuncupatur.* Petrus Cluniacensis l. 2. Miraculorum c. 28. *Sacrificium offertur, quod ex usu jam veteri tracto nomine, quia Deo mittitur, Missa vocatur.* Rupertus Abbas l. 2. de Divinis officiis c. 23. *Sacrosanctum altaris ministerium idcircò Missa dicitur, quia ad placationem inimicitiarum, quæ erant inter Deum et homines, sola valens et idonea mittitur legatio.* D. Thomas 3ª. part. quæst. 83. art. 4. ad 9. *In fine Missæ Diaconus populum licentiat dicens,* Ite Missa est, *sci icet, hostia ad Deum per Angelum; ut scilicet sit Deo accepta.* Alio sensu Magister sententiarum l. 4. Dist. 13. *Missam à mittendo dictam* asserit, *quòd Angelus à Deo mittatur, ut assistat sacrificio.* Nicolaus Beguinius Rhemensis l. 3. de Paschate cap. 3. *à mittendo derivatam* (ait), *eo sensu, quo Christus à Patre missus dicitur: quia hæc hostia et à Deo Patre primùm ad nos salutis nostræ causâ missa est, et eamdem ejus quoque causâ ad eumdem rursùs mittimus.* Alcuinus l. de Divinis officiis c. 40. aliam rationem commemorat, *quia nos mittit ad Deum.*

N. 6. Alii denique, quorum non ambigimus verissimam esse sententiam *à missione seu dimissione populi, Missæ nomen ortum esse* asseverant, ita ut Missa idem sit ac missio populi, et licentia discedendi. Audiendus primo loco Avitus Viennensis Archiepiscopus, qui circa finem quinti seculi et initio sexti floruit. Is Epist. 1. ad Gondobaldum Burgundionum Regem, « Non missum facitis, *inquit*, nihil est aliud quàm non dimitti- » tis. A cujus proprietate sermonis in Ecclesiis Palatiisque sive Prætoriis » Missa fieri pronuntiatur, cùm populus ab observatione dimittitur. Nam » genus hoc nominis etiam in secularibus Auctoribus, nisi memoriam » vestram per occupationes lectio desueta subterfugit, invenietis. » Hæc Avitus, qui non exprimit seculares Auctores, apud quos nomen Missæ hoc sensu reperitur. Mihi verò occurrunt, Cicero, qui in fine Philip. 5. placere dixit, *Legiones bello confecto missas fieri:* et Suetonius in Caligula c. 25. ubi agens de Lollia Paulina, quam in uxorem duxerat, *brevi*, ait, *missam fecit*, hoc est, dimisit. Porrò verbis Aviti nihil efficacius ad suprà memoratos Scriptores redarguendos, qui Missæ nomen exoticum fingunt, et aliundè derivant. Missio autem in veteri Ecclesia duplex erat: una post Evangelium et sermonem, quando Catechumeni, infideles, Pœnitentes, et alii quibus vetitum erat Sacramentorum participationi interesse, à Diacono dimittebantur hac voce: *Si quis est Catechumenus, exeat foràs:* vel ut dicit Gregor. lib. 2. Dialog. c. 23. *Si quis non communicat, det locum:* et hæc dicebatur Missa seu missio Catechumenorum... Altera erat initiatorum, cùm de re divinà peractà eos Diaconus dimittebat dicens; *Ite, Missa est:* et hæc Missa fidelium vocabatur. Isidorus l. 6. Orig. c. 19. *Missa tempore sacrificii est quando Catechumeni foràs mittuntur, clamante Levitâ,* Si quis Catechumenus remansit, exeat foràs: *et indè Missa.* Subscribit Isidoro iisdem verbis Rabanus Maurus *l. de Institut. Clericorum c.* 32. Florus Magister et Remigius Autissiodorensis in fine expositionis Missæ: *Missa*, inquiunt, *nihil aliud intelligitur quàm dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronuntiat, cùm populus à solemni observatione dimittitur:* quæ verba ab Alcuino transcripserunt. S. Gregor. in lib. Sacram. feriâ sextâ Paraseeves: *Deindè communicat ipse, et omnis Clerus, et fiant Missæ.* Ubi Pamelius ad marginem annotavit, *Ex postrema hac clausula colligere est cur Missa nuncupetur, nempe à dimittendo populo.* Menardus et Ordo Romanus ibidem sic

legunt : *Et communicant omnes sub silentio, et expleta sunt universa.* Cassianus l. 11. Institut. c. 15. vanitatem describens cujusdam Solitarii, qui in cella sua quasi in Ecclesia sacrum agebat, *Tum*, inquit, *quasi Diaconus Missam Catechumenis celebrabat.* Hugo Victorinus l. 2. de Eccles. officiis c. 11. *Dicit Diaconus*, Ite, Missa est, *quasi revertimini ad propria. Ab hac missione, id est, dimissione Missam dicunt appellari.* Bernoldus Presbyter Constantiensis in expositione Ordinis Romani apud Cassandrum in Liturgicis c. 26. « Missam ideò appellari dicimus, quia lecto » Evangelio foràs mittuntur ex pronuntiatione Diaconi, qui minimè offe- » rendo vel communicando non poterant interesse sacramentis divini » mysterii. » Cassianus (*lib. 3. Institut. c. 7.*) mores describens veterum Monachorum, ait illum qui ad diurnam orationem non occurrebat, priusquàm primus Psalmus finiretur, non audere Oratorium introïre, sed congregationis Missam pro foribus præstolari, hoc est, dimissionem Monachorum peracto officio. Et (*Ibidem c. 11.*) ait die Dominico unam tantùm Missam, hoc est, dimissionem ante prandium celebrari : quia nimirùm semel tantùm conveniebant, et officia quæ ante prandium dici consueverant, sine intervallo et dimissione uno contextu simul cum solemni sacrificio recitabant. Apud Goldastum (*Tom. 2. rerum Alamannicarum*) exstat interpretatio vocabulorum barbaricorum Keronis Monachi S. Galli, qui ait, *Missa, quia mittitur populus.*

Messire JACQUES BENIGNE BOSSUET Evêque de Meaux, *Explication de la Messe n.* 2. Pour ce qui regarde le nom de la Messe, je vous décide sans hésiter que l'origine en est Latine.... Le mot de *Missa* est un autre inflexion du mot *Missio.* On a dit *Missa*, congé, renvoi, pour *Missio*, comme on a dit *remissa* pour *remissio*, remission, pardon ; *oblata* pour *oblatio*, oblation ; *ascensa* pour *ascensio*, ascension ; et peut-être même *secreta* pour *secretio*, séparation. *Cætera vide infrà* §. 22. *hujusce Capitis.*

Quoi qu'il en soit de l'origine de la Secrète, celle de *Missa* est certaine ; et il est vrai que les Latins ont donné ce nom au Sacrifice, à cause que lorsqu'on venait à l'obligation, on renvoyait les Catéchumènes, les pénitens et les possédés, et à la fin tout le peuple par une solennelle proclamation.

Le renvoi des Catéchumènes et des autres se faisait aussi par une proclamation du Diacre, qui criait à haute voix, *Que les Catéchumènes sortent.* Ils venaient ensuite recevoir la bénédiction du Pontife, par l'imposition de ses mains, et une prière proportionnée à leur état. Ensuite ils se retiraient en grande humilité et en grand silence. Les pénitens en faisaient de même, après qu'on leur avait aussi dénoncé qu'ils eussent à se retirer. On éloignait aussi les possédés qu'on séparait du peuple fidèle, tant à cause que leur état, qui les soumettait au démon, avait quelque chose de trop ravalé ou de trop suspect pour mériter la vue des Mystères, qu'à cause aussi qu'on craignait qu'ils n'en troublassent la cérémonie et le silence par quelque cri, ou quelque action indécente.

Cette exclusion solennelle de ces trois sortes de personnes donnait au peuple une haute idée des saints Mystères ; parce qu'elle lui faisait voir quelle pureté il fallait avoir seulement pour y comparaître, et à plus forte raison pour y participer.

Le renvoi qu'on faisait du peuple fidèle après la solennité accomplie n'était pas moins vénérable, parce qu'il faisait entendre ce qui est aussi ordonné dans plusieurs Canons, qu'il n'était pas permis de sortir sans le congé de l'Eglise, qui ne renvoyait ses enfans qu'après les avoir remplis de vénération pour la majesté des Mystères et des grâces qui en accompagnaient la réception : de sorte qu'ils s'en retournaient à leurs occupations ordinaires, se souvenant que l'Eglise, qui les y avait renvoyés, les avertissait par ce moyen de les faire avec la religion que méritait leur vocation, et l'esprit dont ils étaient pleins.... Ce renvoi avait quelque chose d'auguste.... et il est certain qu'il n'y avait rien dans le Sacrifice qui frappât davantage les yeux du peuple. C'est lui qui donne les noms, et il le donne par ce qui le frappe davantage ; et parce qu'on dénonçait cette mission, ou ce renvoi solennellement par trois ou quatre fois, on n'appelait point le sacrifice *Missa* seulement au singulier, mais au pluriel *Missæ :* on disait *Missas facere, Missarum solemnia*, et ainsi du reste ;

solemniter olim post Orationes et Lectiones, et Sermones habitos dimittebantur Catechumeni, Infideles, Pœnitentes cæterique quibus vetitum erat interesse Sacrificio. Item peracto Sacrificio solemniter dimittebantur fideles, sicut dimittuntur etiamnum, per hæc verba : *Ite, Missa est.* Ex utraque illa dimissione vulgaris hæc loquendi ratio introducta est, *fit Missa catechumenis, fit Missa fidelibus :* id est, dimittuntur catechumeni, dimittuntur fideles. Hinc usu obtinuit ut *Missa catechumenorum* appellaretur corpus illud Orationum quibus poterant interesse catechumeni et pœnitentes ; et *Missa fidelium* sacrosanctum Sacrificium, cui interesse soli fideles poterant. Hinc solemnis illa loquendi formula in Conciliis : *Intra Missarum solemnia fient preces, fient denuntiationes, etc.* Sic frequenti populorum usu factum est ut Missæ nomine intelligeretur sacrosanctum corporis et sanguinis Christi Sacrificium oblatum in Ecclesia per manus Sacerdotis.

I. Antiquusne est hic usus ?

R. Antiquissimus ; à quarto siquidem ut minimùm seculo ad incruentum altaris Sacrificium designandum Missæ vocabulum usurpatum est. (D)

parce qu'il n'y avait pas pour un seul renvoi, et qu'après avoir renvoyé, ainsi qu'il a été dit, les Catechumènes, les possédés et les pénitens, on finissait l'action en renvoyant tout le peuple.

M. BOCQUILLOT, *Traité historique de la Liturgie l. 1. c. 1. Hunc vide infrà hujusce Cap. §. 21. litt.* (B)

(D) S. AMBROSIUS *Epist.* 20. *aliàs* 14. *aut* 33. *ad sororem Marcellin. n. 4.* Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum, dimissis catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam basilicæ. Illic nuntiatum est mihi comperto quòd ad Portianam basilicam de palatio decanos misissent, et vela suspenderent, populi partem eò pergere. Ego tamen mansi in munere, *Missam* facere cœpi.

N. 5. Dùm offero, raptum cognovi à populo Castulum quemdam, quem presbyterum dicerent Ariani. Hunc autem in platea offenderant transeuntes. Amarissimè flere, et orare in ipsa oblatione Deum cœpi, ut subveniret, ne cujus sanguis in causa Ecclesiæ fieret : certè ut meus sanguis pro salute non solùm populi, sed etiam pro ipsis impiis effunderetur.

S. LEO *Epist.* 11. *aliàs* 81. *ad Dioscor. Alexandr. Episc. c.* 2. Ut autem in omnibus observantia nostra concordet, illud quoque volumus custodiri : ut cùm solemnior quæque festivitas convenium populi numerosioris indixerit, et ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere basilica simul una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur : ne his tantùm admissis ad hanc devotionem, qui primi advenerint, videantur hi qui postmodum confluxerint, non recepti : cùm plenum pietatis atque rationis sit, ut quoties basilicam in qua agitur præsentia novæ plebis impleverit, toties sacrificium subsequens offeratur. Necesse est autem ut quædam pars populi suà devotione privetur, si unius tantùm Missæ more servato, Sacrificium offerre non possint, nisi qui primâ die parte convenerint.

BONA Cardinal. *lib. 1. Liturg. cap. 3. n. 1.* Exstat primo loco Epistola Pii ad Justum Episcopum Viennensem (quam recipiunt Orthodoxi, nec audent omninò reprobare Sectarii) scripta, ut Baronio visum est, anno Christi 166. Ejus initio sic loquitur S. Pontifex : *Soror nostra Euprepia, sicut benè recordaris, titulum domûs suæ pauperibus assignavit, ubi nunc commorantes Missas agimus.* Exstat etiam alia Cornelii Papæ ad Lupicinum ejusdem Viennensis Ecclesiæ Episcopum, in qua ait non licuisse

§. 9. Quid sit Missæ sacrificium.

I. Quid est strictè loquendo Missæ sacrificium ?

R. Est sacrificium corporis et sanguinis Christi, quod Christus et Ecclesia offerunt Deo per ministerium Sacerdotum sub specie panis et vini, ad continuandum et repræsentandum sacrificium crucis.

I. Quam tradidisti superiùs externi sacrificii strictè sumpti definitionem, convenitne Missæ sacrificio ?

R. Competit certè. Hoc enim sacrificium est oblatio rei externæ et sensibilis, Deo facta per Ministrum legitimum, cum immolatione aliaque mutatione rei oblatæ, idque ad exhibendum Deo quidquid supremo Numini debet creatura rationalis. Rem explico.

Est oblatio rei externæ et sensibilis, id est, corporis et sanguinis Christi sub specie externa et sensibili panis et vini.

Oblatio Deo facta, nam soli Deo offertur Missæ sacrificium, sicut et cætera sacrificia. Fit quidem in eo memoria Sanctorum, sed non offertur ipsis sacrificium, ait S. Augustinus. (*Lib.* 20. *contra Faustum*, *cap.* 21.) (A)

Per Ministrum legitimum ; nempè per Episcopos vel Presbyteros, qui eo in munere sunt Ministri, et Christi cujus vices gerunt, et populi pro cujus salute illud offerunt.

Cum immolatione aliaque mutatione rei oblatæ. Hæc immolatio reipsà facta est in cruce, in qua Christus mortuus est. Sed in altari Eucharistico exhibetur solùm et repræsentatur mors Christi ; nec necesse est ad sacrificii veritatem, ut sit in eo realis immolatio distincta ab ea quæ in cruce facta est ;

tunc Christianis, neque in cryptis notioribus publicè *Missas* agere, propter acerrimam persecutionem. Scripta est circa ann. 254. et inter pseudepigraphas, nec quidem ab Heterodoxis recensetur. Quarto seculo vixit Ambrosius, qui Epist. 13. ad Marcellinam sororem, et sermone 34. *Moneo vos, ut qui juxta Ecclesiam est, et sine gravi impedimento potest, quotidie audiat Missam.* In Oratione item præparatoria ad Missam inter genuinos ejus partus agnita à Casaubono ; Anselmo autem contra fidem veterum codicum à nupero Scriptore perperàm tributa : *Concede mihi*, ait, *hodiè et semper Missarum solemnia puro corde et purâ mente celebrare.* Augustinus Ambrosio æqualis serm. 91. de temp. *In lectione quæ nobis ad Missas legenda est.* Item serm. de temp. 237. *Ecce post sermonem fit Missa catechumenis, manebunt fideles.* Ruffinus Aquileiensis in Latina interpretatione Clementis Romani, Missæ nomine usus est, cùm in textu Græco nomen Liturgiæ, sive synaxis, invenit. Quinti seculi testis et assertior est S. Leo cognomento Magnus... Victor Africanus ejusdem temporis scriptor initio lib. 2. Wandalicæ persecutionis, *Liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris Missas agere.* Paulinus, non ille celebris Nolanus Episcopus, *sed* alius, qui paucis post illum annis vixit, in vita S. Martini l. 4.

Præcedat Missam miseratio, gratior hæc est
Hostia, mandatum faciens priùs oblege nudum.

Porrò Ambrosius, Augustinus et alii citati Auctores eo nomine usi sunt tanquam consuetudo et dudùm fidelibus usitato.

(A) S. Aug. *lib.* 20. *contra Faustum*, *cap.* 21. Quis enim Antistitum in locis sanctorum corporum assistens altari, aliquando dixit, Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane : sed quod offertur, offertur Deo qui Martyres coronavit. *Cætera vide suprà hujusce Operis Parte* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 3. *litt.* (H)

sacrificium enim Missæ aliud non est quoad substantiam à sacrificio crucis ; ex utroque unum constat. Cùm in veteri lege Pontifex offerebat Deo in sanctuario sanguinem victimæ juxta altare holocaustorum immolatæ, illumque sanguinem fundebat ad bases altaris thymiamatum, hac sanguinis oblatione et litatione verè sacrificabat Deo, non immolabatur tamen denuò victima.

Est tamen in Missa immolatio quædam mystica rei oblatæ, in eo posita quòd res oblata exhibeatur quasi immolata, quemadmodùm in Apocalypsi dicitur visum ab Apostolo Joanne *Agnum* fuisse *stantem tanquam occisum.* (*Apocal.* v. 6. *Vide suprà* §. 7. *hujusce Cap.*)

Primò enim consecratio separata corporis Christi sub specie panis, et sanguinis Christi sub specie vini exhibent separationem ejusdem corporis et sanguinis reipsâ factam in cruce.

Deindè verba consecrationis, quorum vi corpus Christi præsens sistitur sub specie panis, et sanguis sub specie vini, faciunt separationem quamdam mysticam corporis Christi ab ejus sanguine. Nam vi verborum corpus Christi reipsâ sub specie vini sisteretur separatum à sanguine, si aliundè corpus illud non esset vivens.

Adde quòd in hoc sacrificio materia sacrificii remota, quæ ex pane et vino constat, reipsâ transmutatur in corpus et sanguinem Christi, qui vera et sola est hujus tanti sacrificii hostia. Quemadmodùm olim in sacrificiis thymiamatum ideò solum incendebantur thymiamata, ut ex eorum consumptione prodiret fumus odoriferus, cujus oblatio unicus erat sacrificii scopus.

Tandem per sacrificium Missæ *exhibetur Deo quidquid exhiberi potest à creatura rationali :* nimirùm hoc sacrificium latreuticum est, propitiatorium, eucharisticum, et impetratorium ; quod patebit fusiùs ex infrà dicendis. (§. *seq.*)

I. Quâ ratione probatur in Missa offerri verè corpus et sanguinem Christi ?

R. Præcipuas hujus rei probationes exhibuimus superioribus paragraphis : cæteræ desumendæ ex iis quæ diximus Sectione primâ hujus Partis (*Cap.* 4. §. 2. 3. *et* 4), ubi de præsentia reali corporis et sanguinis Christi in Eucharistiæ sacramento disseruimus.

I. Cur ais in hoc sacrificio Episcopos et Presbyteros Christi vices agere, ejusque esse Ministros ?

R. Quia Christus est primus et præcipuus hujus sacrificii Sacerdos, ipse panem et vinum in suum corpus et sanguinem transmutat, ipse offert se Deo patri hostiam hâc ineffabili transmutatione.

I. Nunquid et Episcopi et Presbyteri hanc ineffabilem transmutationem operantur ?

R. Operantur quidem, sed ut organa Christi, ut instru-

menta viventia, quibus utitur Christus. Christus ipse per Episcoporum et Presbyterorum os loquitur, ipse per manus eorum agit, et offert se Deo. Hinc ubi venitur ad consecrationem, non jam suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi, et in ejus persona loquitur, *Hoc est corpus meum*, inquit, *Hic est calix sanguinis mei.* (B)

(B) S. AMBROS. *seu* AUCTOR *lib.* 4. *cap.* 4. *de Sacramentis*, *n.* 13. Ergo auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cœlo ista Sacramenta venerunt; consilium enim omne de cœlo est.

N. 14. Tu fortè dicis: Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quomodo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio autem quibus verbis est, et cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur in superioribus, à Sacerdote dicuntur, laudes Deo deferuntur, oratio petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus utitur Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum.

N. 15. Quis est sermo Christi? Nempè is quo facta sunt omnia. (*Genes.* 1. *et seq.*) Jussit Dominus, et factum est cœlum: jussit Dominus, et facta est terra; jussit Dominus, et facta sunt maria: jussit Dominus, et omnis creatura generata est. Vides ergo quàm operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant; quantò magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, sed audi dicentem David: *Ipse dixit, et facta sunt; ipse mandavit, et creata sunt.* (*Ps.* CXLVIII. 5.)

N. 16. Ergo tibi ut respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem: sed post consecrationem dico tibi quia jam corpus est Christi. Ipse dixit, et factum est: ipse mandavit, et creatum est. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: posteaquàm consecratus es, nova creatura esse cœpisti. Vis scire quàm nova creatura? *Omnis*, inquit, *in Christo nova creatura.* (2. *Cor.* V. 17.)

N. 17. Accipe ergo quemadmodùm sermo Christi creaturam omnem mutare consueverit, et mutet, cùm vult, instituta naturæ. Quomodò requiris? Accipe, et primò omnium de generatione ejus summus exemplum. Consuetudo est ut non generetur homo, nisi ex viro et muliere, et consuetudine conjugali: sed quia voluit Dominus, quia hoc elegit sacramentum, de Spiritu sancto et Virgine natus est Christus, hoc est, *Mediator Dei et hominum homo Christus Jesus.* (1. *Tim.* II. 9.) Vides ergo quia contra instituta et ordinem natus est, homo est natus ex Virgine?

N. 18. Accipe aliud. Urgebatur populus Judæorum ab Ægyptiis, interclusus erat mari: divino imperio virgâ Moyses letigit aquas, et se unda divisit (*Exod.* XIV. 21. *et seq.*); non utique secundùm suæ naturæ consuetudinem, sed secundùm gratiam cœlestis imperii. Accipe aliud. (*Exod.* XV. 23. *et seq.*) Sitiebat populus, venit ad fontem: amarus erat fons, misit lignum sanctus Moyses in fontem, et factus est dulcis fons, qui amarus erat; hoc est, mutavit consuetudinem naturæ suæ, accepit dulcedinem gratiæ. Accipe et quartum exemplum. (4. *Reg.* VI. 3.) Ceciderat ferrum securis in aquas, quasi ferrum suâ consuetudine demersum est: misit lignum Elisæus, statim ferrum elevatum est, et acvis supernatavit: utique contra consuetudinem ferri, est enim materies gravior quàm aquarum est elementum.

N. 19. Ex his igitur omnibus non intelligis quantùm operetur sermo cœlestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo cœlestis in aliis rebus, non operatur in cœlestibus Sacramentis? Ergo didicisti quòd ex pane corpus fiat Christi; et quòd vinum et aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis.

N. 20. Sed fortè dicis, Speciem sanguinis non video, sed habet similitudinem: sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis; ut nullus horror cruoris sit, et pretium

I. Id si ita est, Episcopi et Presbyteri dici debent solummodò Ministri Christi, non Sacerdotes : nomen quippè Sacerdotis solis sacrificis competit, qui immolant victimas?

R. Quamvis hæc quæstio videatur esse de solo nomine, cùm alioqui constet Christum esse unicum Sacerdotem illum æternum, qui se ipsum reipsâ in cruce immolavit, et sanguinem suum offert pro nobis jugiter sedens ad dexteram majestatis in excelsis ; tamen non immeritò Sacerdotum nomen Episcopis Presbyterisque tribuitur. Tum quia Christus fecit illos Sacerdotii sui participes, in quantum eorum linguâ et manu utitur ad sacrificii oblationem, cæteraque Sacerdotalia munia, qualis est remissio peccatorum, ut diximus : tum quia et ipsi verè sunt Sacerdotes et sacrificî, licèt Christo supremo Sacerdoti subjecti, in quantum verè offerunt Christum Deo, ipsumque mysticè immolant in altari Eucharistico, pronuntiando verba consecratoria, quæ eamdem non haberent efficaciam si ab homine non Sacerdote pronuntiarentur.

I. Cur ais Sacerdotes esse quoque Ministros Ecclesiæ?

R. Quia electi et delegati sunt ab Ecclesia ad offerendum Ecclesiæ nomine sacrificium. Rem explico.

In Missæ sacrificio Ecclesia Christum offert, simulque offert se cum Christo, et in Christo, et per Christum ; et id agit per ministerium Sacerdotum. (C) Est ergo Missa sacrificium Episcopi vel Presbyteri offerentis, sacrificium cujuscunque Christiani qui vel adest sacrificio, vel hoc pro se facit offerri.

Sacrificium Christi, qui solus est Sacerdos, cui propriè et absolutè nomen hoc competat, utpotè qui solus immolavit reipsâ victimam cujus oblatio fit.

Sacrificium Episcopi vel Presbyteri offerentis, quia Episcopi et Presbyteri sunt Sacerdotes, ut diximus (*hocce* §.), quorum ministerio Christus immolat se mysticè et offert in altari.

Sacrificium Ecclesiæ et fidelium, quia Ecclesia et fideles per manus Sacerdotis Christum et sese cum Christo offerunt sacrificium Deo. (D)

Dixi à Christo solo factam fuisse victimæ immolationem; quamvis enim Judæi et Gentiles Christum cruci affixerint, ipse se tamen solus immolavit in cruce ; tum quia carnifices Christum affigendo cruci nullatenùs cogitabant de oblatione sacrificii, tum quia ipse ait, *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso.* (*Joan.* X. 18.)

I. Cur ais Missæ sacrificium esse continuationem sacrificii in cruce oblati?

R. Quia in utroque sacrificio eadem victima, Sacerdos

tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo quia quod accipis, corpus est Christi.

(C) S. Aug. *lib.* 10. *de Civit. Dei. cap.* 6. *Vide superiùs* §. 1. *hujusce Cap. litt.* (A) *et cap.* 20. *Vide* §. 3. *ejusd. Cap. litt.* (A)

(D) S. August. *loco citato suprà litt. præced.* (C)

idem : nec differt alterum ab altero, nisi in oblationis modo. Rem explico.

In cruce et in altari Eucharistico Christus Sacerdos, ut diximus, Christus victima : sed offert se Christus in cruce, suum fundendo sanguinem; offert se in altari Eucharistico, sine sanguinis effusione.

Hæc varia et multiplex oblatio unum non multiplex sacrificium est. Offert enim se Christus Deo Patri in cœlo (E), ut docet Apostolus (*Hebr.* IX. 24.), in propitiationem peccatorum, *semper vivens ad interpellandum pro nobis.* (*Hebr.* VII. 25.) Quam facit in cœlo jugiter oblationem sanguinis sui in cruce effusi, nihil aliud est quàm quædam sacrificii in cruce litati continuatio; quam ergo facit per manus Sacerdotum ejusdem sanguinis oblationem in altari Eucharistico, est quoque continuatio sacrificii in cruce litati. Non multiplex oblatio ejusdem victimæ, multiplicitas autem victimarum immolatarum sacrificia multiplicat. Et certè licèt plures quotidiè Missæ celebrentur, certum est tamen unicum esse in Ecclesia sacrificium, nimirùm sacrificium Christi in cruce immolatum, et in altari Eucharistico continuatum et exhibitum. Cùm ergo quis, commendans se orationibus Episcopi vel Presbyteri, ait, *velim habeas me commendatum tuis sacrificiis*, sensus non est esse plura in Ecclesia sacrificia : idem Christi sacrificium intelligitur, cujus in qualibet Missa nova oblatio fit. Hujus rei typus exstat in sacrificio solemni quod Judæorum Pontifex singulis annis offerebat pro peccatorum expiatione. In eo quippè sacrificio offerebatur victima immolatione, deindè sanguis hujus victimæ offerebatur denuò in Sancto sanctorum, tum offerebatur tertiò in Sancto, fundebaturque circa altare thymiamatis : unum tamen erat sacrificium. (*De his vide hujusce Capitis* §. 4.)

I. Quandonam Christus instituit hoc sacrificium ?

R. Pridiè quàm pateretur, ut jam diximus, cùm accepto pane et calice ait (1. *Cor.* XI. 24. 25.) : *Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur; hic est calix sanguinis mei qui pro vobis effunditur : hoc facite in meam commemorationem.* (*Luc.* XXII. 19.) Hic verbis, *Hoc facite*, *etc.* Christus Apostolis eorumque successoribus dedit potestatem id faciendi, donec veniret judicaturus vivos et mortuos, quod ipse fecerat, et offerendi sacrificium quod ipse obtulerat. (F)

(E) HEBR. IX. 24. Non enim in manufacta Sancta Jesus introivit, exemplaria verorum : sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.

(F) CONC. XII. TOLETANUM *ann.* 681. *can.* 5. *Vide suprà* 2. 7. *hujusce Cap. litt.* (H)

CONC. TRIDENT. *sess.* 22. *cap.* 1. *de Missæ sacrificio.* Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo (*Hebr.* VII. IX. *et* X.), propter Sacerdotii Levitici imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo patre misericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedech surgere, Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare, et ad perfectum

§. 10. Cur et quem ad finem offeratur Missæ sacrificium.

I. Cur offertur Missæ sacrificium ? quem ad finem ?

R. Missæ sacrificium ex Christi instituto offertur ad eum omnem finem, propter quem poterant olim, ut diximus (§. 3. *hujusce Cap. et seq.*), offerri sacrificia quæcunque tandem illa essent : veterum enim omnium sacrificiorum Missa complementum est. (A)

adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis morte intercedente Deo patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur : quia tamen per mortem Sacerdotium ejus exstinguendum non erat ; in cœna novissima quâ nocte tradebatur (1. *Cor.* XI. 24.), ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur ; ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidiè committuntur, peccatorum applicaretur : Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans (*Ps.* CIX. 4.), corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit ; et iisdem eorumque in Sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII. 19. 1. *Cor.* XI. 25.), uti semper Ecclesia Catholica intellexit et docuit. Nam celebrato veteri Paschà, quod in memoriam exitûs de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat (*Exod.* XIII.), novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitûs sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, *eripuit que de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit.* (*Colos.* I. 13.) Et hæc quidem munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest : quam Dominus per Malachiam nomini suo quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit (*Malach.* I. 11.), et quam non obscurè innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cùm dicit non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri (1. *Cor.* X. 21.) ; per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum naturæ et legis tempore similitudines figurabatur (*Genes.* IV. 3. *et* 4. *Levit.* I. II. *et* III.) ; utpotè quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

Quæ de incruento altaris sacrificio dicta sunt hocce §. *maximè illustrantur auctoritate* S. JOAN. CHRYS. *in Ep. Pauli ad Hebr. cap.* VII. *homil.* 13. Hoc ergo id significat et magnitudinem Sacrificii, in eo quod suffecit, quamvis unum esset et semel oblatum, et tantùm prævaluit, quantùm omnia cætera non valebant.... Non est aliud sacrificium, unum nos purgavit.

In cap. X. *homil.* 17. Nonne per singulos dies offerimus ? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis ejus. Et una est hostia, non multæ. Quomodo una est et non multæ ? Quia semel oblata est, oblata est in Sancto sanctorum : hoc autem sacrificium exemplar est illius, idipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, crastinâ alium, sed semper eumdem ipsum. Proindè unum est hoc sacrificium, hac ratione. Alioqui quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt ? Nequaquam, sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens, et illic plenus, unum corpus. Sicut enim qui ubique offertur, unum corpus est, et non multa corpora : ita etiam et unum sacrificium. Pontifex autem noster ille est qui hostiam mundantem nos obtulit : ipsam offerimus et nunc, quæ tunc oblata quidem consumi non potest. Hoc autem quod facimus, in commemorationem quidem fit ejus quod factum est : *Hoc* enim *facite*, inquit, *in meam commemorationem.* Non aliud sacrificium, sicut Pontifex : sed idipsum semper facimus : magis autem recordationem sacrificii operamur.

(A) S. JOANN. CHRYSOST. *in Psal.* XCV. Ob hanc causam, Fratres,

Est ergo Missa holocaustum, id est, sacrificium latreuticum. Est sacrificium pro peccato, hoc est, propitiatorium. Est sacrificium gratiarum actionis, quod Eucharisticum dicitur. Est sacrificium hostiæ pacificæ ad impetrationem omnium omninò beneficiorum.

1. Est *Holocaustum*, quo defertur Deo supremus latriæ cultus. In eo quippè Christus offert se totum Deo Patri, quemadmodùm obtulit se semel in cruce, et offert se jugiter in cœlo. Nec possumus adorare Deum per actum religionis præstantiorem, et supremæ Majestati acceptiorem, quàm si Christum et nos cum Christo offeramus sanctissimæ Trinitati.

2. *Est sacrificium pro peccato; sacrificium propitiatorium.* Id patet ex verbis quibus institutum esse hoc sacrificium jam diximus. Sic enim in illius institutione loquitur Christus (1. *Cor.* XI. 24.): *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur. Hic est calix sanguinis mei, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* (*Matth.* XXVI. 28.) Id probatur quoque Traditione. Semper enim Ecclesia existimavit sacrificium hoc offerri in remissionem peccatorum: multas ea de re superiùs protulimus sanctorum Patrum auctoritates (*superiorib.* §§.), quibus sequentes addere licet ex S. Cyrillo (*S. Cyril. Catech.* 5. *Mystag.*), qui in altari Eucharistico ait offerri *hostiam propitiationis*: Eusebii, qui ait (*Euseb. Lib.* 1. *Demonstr. Evangel. cap.* 10.) ibidem offerri *pro toto mundo piaculum, pro anima cunctorum sacrificium, pro omni macula et peccato purissimam hostiam*: S. Chrysostomi asserentis

etiam canticum loco circumscriptum est, et altare loco definitum, et populus ille loco conclusus. At Ecclesia quæ ubique Christum in se circumfert, innumerosque Martyres immolavit ob charitatem quam gerit erga virum, à nullo prohibetur loco: sed in omni loco sunt altaria, in omni loco doctrina. Hæc prædicit Deus per prophetam: nam et Ecclesiasticam exprimens sinceritatem, et alterius populi ingratitudinem traducens, ad illos loquitur: (*Malach.* 1. 10. *et* 11.) *Non est mea voluntas in vobis, dicit Dominus omnipotens, nec accipiam hostias de manibus vestris: quoniam ab exortu solis usque ad occasum, nomen meum glorificatum est inter gentes, et in omni loco sacrificium offertur nomini meo, et sacrificium purum.* Vide quàm luculenter, quàmque dilucidè mysticam interpretatus est mensam, quæ est incruenta hostia. Thymiama verò purum appellat sacras preces, quæ post hostiam offeruntur: hic enim suffitus Deum refocillat, non is qui à terrenis radicibus sumitur, sed qui à puro corde exhalatur. *Dirigatur* igitur *oratio mea tanquam incensum in conspectu tuo.* (*Psal.* CXL.) Vides ubicunque concessum est angelicum illud sacrificium inclarescere? Vides nullis finibus circumscriptum, neque altare, neque canticum. *In omni loco thymiama offertur nomini meo.* (*Malach.* 1. 11.) Est igitur hostia pura, prima quidem, mystica mensa, cœleste summèque venerandum sacrificium. Est autem et in nobis varia sacrificiorum differentia. Posteaquàm enim lex in veteri Testamento multas habuit hostias, aliam pro peccatis, aliam quæ dicta est holocautoma, aliam vocatam laudis, aliam salutaris, aliam pro leprosis mundandis, breviter alias et multas et varias, pro his qui innumeris expiationibus censebantur, omninò magnus erat et modo carens numerus sacrificiorum in lege: quæ omnia nova gratia supervenions uno complectitur sacrificio, unam ac veram statuens hostiam.

S. Aug. *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 20. *n.* 2. *Vide superius* §. 3. *hujusce Cap. litt.* (A) *et lib.* 17. *cap.* 20. *n.* 2. *Vide ejusdem Cap.* §. 6. *litt.* (B)

(*S. Chrysost. Homil. 3. in Epist. ad Ephes.*) in altari offerri *hostiam salutarem, illibatam victimam pro peccatis, sacrificium pretii nostri, victimam sanctam, quâ deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, unicum sacrificium pro salute nostra.* Eadem ferè habet S. Hieronymus (*Cap. 1. Epist. ad Tit.*) et S. Augustinus (*Confess. lib. 9. cap. 2. 13. et lib. 1. contra Crescon. cap. 25.*), qui quæst. 57. in Leviticum sic loquitur : *Quid sibi vult quòd à sanguine sacrificiorum, quæ pro peccatis offerebantur, tantoperè populus prohibetur, si illis sacrificiis hoc unum sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum; à cujus tamen sacrificii sanguine in alimentum sumendo non solùm nemo prohibetur, sed ad bibendum potiùs omnes exhortantur qui volunt habere vitam.* Plurimæ aliæ possent auctoritates afferri, quas brevitatis causâ prætermitto. His accedit ratio in eo posita quòd nihil est quo placari Deus magis possit, et propitius nobis fieri, quàm si offeratur ipsi corpus et sanguis Christi, qui obtulit semetipsum Deo Patri semel propitiationem pro peccatis nostris. In veteri lege victimis immolatis in remissionem peccatorum placabatur Deus per virtutem sanguinis Christi cujus typus erant. Quantò magis in novo Testamento corpus et sanguis Christi non typicè sed reipsâ oblatus, ut probavimus (§. 4. *hujusce Cap.*), valet ad exhaurienda peccata. Ex solo Christi sacrificio in cruce oblato vim habebant et efficaciam vetera sacrificia, quæ Christi sacrificium exprimebant in typo. Ex solo Christi sacrificio in cruce oblato vim habet Missæ sacrificium, quod cruentum Christi sacrificium et continuat et exhibet. Nunquam nisi per sanguinem Christi in crucis ara fusum peccata deleri potuerunt. Fuerunt tamen vetera sacrificia suo modo propitiatoria, at multò magis propitiatorium est sacrificium novum. Vetera enim sacrificia non erant per se propitiatoria, quia crucis sacrificium adumbrabant solùm in typo : sacrificium autem Missæ per se propitiatorium est, quia non solùm exhibet in mysterio cruentum Christi sacrificium, sed etiam victimam ipsam, quâ *deletum est* in cruce *chirographum decreti quod erat contrarium nobis* (*Coloss. II. 14.*), reipsâ continet, et veritatem figuris expressam complectitur.

3. Missæ sacrificium *Eucharisticum* est, ideoque Eucharistia per antonomasiam appellatur. Nihil enim est efficacius ad reddendas Deo gratias pro acceptis beneficiis, quàm si offeratur ipsi fons gratiarum omnium Christus ipse, de cujus *plenitudine nos omnes accipimus.* (*Joan. I. 16.*) (B)

(B) S. CHRYSOST. *Hom. 18. in 2. ad Corinth. in morali.* Rursùs ea oratio, quâ Deo gratiæ aguntur, utrisque communis est. Neque enim ipse solus gratias agit : sed etiam plebs universa. Nam cùm priùs illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt, id dignè ac justè fieri, tunc demùm GRATIARUM ACTIONEM auspicatur.

S. AUG. *Ep. 140. aliàs 120. ad Honorat. cap. 19. Vide suprà §. 7. hujusce Cap. litt.* (M) *et Ep. 149. aliàs 59. ad Paulin. Vide hocce §. litt. seq.*

4. Tandem hoc sacrificium *impetratorium* est ; offertur enim ad impetrandum quidquid nobis ad salutem animæ et corporis necessarium est. Nihil possumus impetrare à Deo nisi per Christum ; at offerimus in hoc sacrificio Christum ipsum, qui solus est mediator *per quem habemus accessum ad Patrem.* (*Ephes.* II. 18.) Qui autem dat nobis Christum offerendum in hoc sacrificio, *quomodo non etiam cum illo omnia nobis donabit?* (*Rom.* VIII. 32.) (C)

I. Si Missæ sacrificium propitiatorium est, sufficit ergo illud offerri à Christianis cum fide et ex intimo cordis affectu, ut habeatur remissio peccatorum ; nec necesse est accedere ad sacramentum Pœnitentiæ ?

(C) S. AUGUST. *Epist.* 149. *alias* 59. *ad Paulin. cap.* 2. *n.* 16. Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel penè omnis frequentat Ecclesia, ut *Precationes* accipiamus dictas, quas facimus in celebratione Sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici : *Orationes* cùm benedicitur et sanctificatur, et ad distribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis Ecclesia Dominicâ oratione concludit.... Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maximè sancti altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur nostrum illud votum maximum, quo nos vovimus in Christo esse mansuros, utique in compage corporis Christi. Cujus rei sacramentum est, *quòd unus panis, unum corpus multi sumus.* (1. *Cor.* X. 17.) Ideò in hujus sanctificationis præparatione, existimo Apostolum jussisse propriè fieri *proseuchas*, id est, *Orationes*.... hoc est enim ad votum, quod usitatiùs in Scripturis nuncupatur *cuche. Interpellationes* autem, sive, ut vestri codices habent, *postulationes*, fiunt cùm populus benedicitur : tunc enim Antistites velut advocati, susceptos suos per manus impositionem misericordissimæ offerunt potestati. Quibus peractis, participato tanto Sacramento *gratiarum actio* cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apostolus.

N. 17. Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, ut his breviter perstrictis, atque significatis, non pateretur negligendum esse quod sequitur. *Pro omnibus hominibus, pro Regibus, et his qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et charitate* (1. *Tim.* II. 2.) : Ne quisquam, sicut se habet humanæ cogitationis infirmitas, existimaret non esse illa facienda pro his, à quibus persecutionem patiebatur Ecclesia, cùm membra Christi ex omni essent hominum genere colligenda. Undè adjungit et dicit (*Ibid.* 43.) : *Hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire.* Et ne quisquam diceret posse esse salutis viam in bona conversatione et unius Dei omnipotentis cultu, sine participatione corporis et sanguinis Christi : *Unus enim Deus*, inquit (*Ibid.* 5.), *et unus mediator Dei et hominum homo Christus Jesus :* ut illud quod dixerat, *Omnes homines vult salvos fieri*, nullo alio modo intelligatur præstari, nisi per mediatorem, non Deum, quod semper Verbum erat, sed hominem Christum Jesum, cùm *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* (*Joan.* I. 14.)

TERTULL. *ad Scapulam, cap.* 2. Itaque et sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius, sed quomodo præcipit Deus, purâ prece... Oramus pro salute Imperatoris, ab eo eam postulantes, qui præstare potest.

EUSEBIUS *de vita Constantini Magni, lib.* 4. *cap.* 45. Qui verò ad hæc adspirare non poterant, incruentis sacrificiis et mysticis immolationibus Deum placabant ; pro pace communi ; pro Ecclesia Dei ; pro Imperatore tot bonorum auctore, ejusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes.

S. CYRIL. HIEROSOLYMIT. *Cateches.* 5. *mystag.* *Vide infrà* §. 22. *hujusce cap. n.* 16.

R. Valet oblatum ex intimo cordis affectu Missæ sacrificium, ad peccatorum venialium remissionem, absque sacramento pœnitentiæ. Circa mortalia autem peccata id agit hoc sacrificium, ut per hoc placatus Deus det gratiam compunctionis, cæteraque necessaria ad sacramentum pœnitentiæ ritè suscipiendum.

Id ipsum ait Tridentina Synodus his verbis (*Concil. Trident. Sess.* 22. *de Missæ. sacrif. cap.* 2.) : *Docet sancta Synodus hoc* (Missæ) *sacrificium verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus*, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. (*Hebr.* IV. 16.) *Hujus quippè oblatione placatus Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata, etiam ingentia dimittit.*

Et certè non aliâ ratione propitiatorium est crucis sacrificium, undè vim suam omnem habet sacrificium Missæ; neque enim peccata delentur post sacrificium crucis, nisi per Sacramenta, juxta ea quæ superiùs exposita sunt, ubi de cujusque Sacramenti necessitate et efficacia. Sed sacramenta suam omnem habent efficaciam et virtutem à sacrificio crucis, cujus merito fit ut placatus Deus det gratiam compunctionis, cæteraque omnia necessaria ad Sacramenta ritè suscipienda.

§. 11. Cui Missæ sacrificium offeratur, et cur fiat in eo memoria Sanctorum.

I. Cui Missæ sacrificium offertur?

R. Soli Deo, ut diximus. (§. *super.*) Id patet ex ipso Missæ Canone quod sic incipit : *Te igitur clementissime Pater, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas et benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata, imprimis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, etc.*

Idem patet ex Liturgia Græca, in qua Sacrificii preces et oblationes omnes diriguntur ad Deum. (A)

Id quoque apertè profitetur Ecclesia in Concilio Tridentino his verbis : *Quamvis in honorem et memoriam Sanctorum nonnullas interdùm Missas Ecclesia celebrare consueverit; non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit. Undè nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, sed Deo de eorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* (*Sess.* 22. *cap.* 3. *de sacrif. Missæ.*)

I. Cur ergo usu invaluit hæc loquendi formula, Missa S. Petri, Missa S. Pauli, Missa B. Mariæ Virginis, Missa Mortuorum?

(A) S. Aug. *lib.* 20. *contra Faustam, cap.* 21. *lib.* 8. *de Civit. Dei, cap.* 27. *lib.* 22. *cap.* 10. *Vide superiùs Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 3. *litt.* (H) *et* (I) *et Serm.* 274. *aliàs de divers.* 101. *cap.* 4. *n.* 4. *et cap.* 7. *n.* 7. *Vide infrà hocce* §. *litt.* (D)

R. Hâc loquendi formulâ nunc intelligitur Missa celebrata in honorem et memoriam S. Petri, S. Pauli, B. M. Virginis, Missa celebrata pro defunctis.

Missæ nomen adhibitum quandoque fuit ad significationem festi, adeò ut *Missa sancti Martini* idem esset quod *festum S. Martini.* Nomine Missæ intellecta quoque fuêre aliquando omnia officia quæ publicè canuntur in Ecclesia. Jam usus invaluit ut Missæ nomen nihil aliud exprimeret quàm sacrosanctum Sacrificium altaris Eucharistici. Quo sensu Missa Sanctorum vel de Sanctis appellatur ea Missa, in qua publicæ preces et lectiones, quæ recitantur ante Sacrificium præcipuè ordinatæ sunt ad memoriam Sanctorum: et Missa defunctorum vel pro defunctis ea dicitur, quæ dicitur cum ornamentis et vestibus funebribus, et in qua orationes et lectiones quæ præcedunt Canonem spectant maximè defunctos fideles. Sed reipsà Missa quælibet offertur Deo soli, in memoriam Sanctorum pro vivis et defunctis. (B)

(B) Bona *de rebus Liturg. lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 5. Quia Missa actio præcipua est, quæ in die festo peragitur, ideò nomen Missæ pro ipsa festivitate à mediæ ætatis Scriptoribus passim usurpatur, apud quos Missa Sancti Martini, vel Sancti Joannis idem est ac festum S. Martini vel S. Joannis. Ivo Carnotensis in Decret. p. 15. c. 190. *Et si totam Quadragesimam ante Missam S. Joannis implere non potest, post Missam impleat, id est, post festum:* et infrà permittens in quibusdam festivitatibus aliquam publicè pœnitentibus indulgentiam, inter cæteras numerat *Missam S. Joannis Baptistæ, et S. Mariæ.* In Concilio Pistensi sub Nicolao I. c. 3. *Communi placito constituimus, ut usque ad Missam S. Remigii, id est, calendas Octobris, spatium habeant.* Heraldus Turonensis Archiepiscopus *in suo Capitulari, cap.* 61. agens de Festivitatibus anni, in quibus feriari oportet, *Missam* recenset *S. Joannis Baptistæ, Apostolorum Petri et Pauli, S. Martini, et S. Andreæ.* Eginardus Abbas Episc. 23. *Volumus circa Missam S. Martini ad palatium venire.* Frodoardus in Chronico an 921. *Factâ pactione usque ad Missam S. Martini:* et an 945. *Circa Missam S. Joannis Hugo Dux placitum cum Rege habuit.* Aimoinus l. 5, c. 34. refectiones commemorat *in Missa S. Germani.* Annales Bertiniani an. 877. *Richildis veniens ad Ludovicum in Missa S. Andreæ attulit ei præceptum.* Idem frequentiùs reperitur in Capitularibus Caroli Magni et Ludovici Pii, ut l. 2. c. 18. *Spatium usque ad Missam S. Martini dare decrevimus:* et c. 29. edicit, *ut pontes ad Missam S. Andreæ restaurati sint.* In Edicto quoque Pistensi in Capitulari Caroli Calvi sect. 31. l. 51. *Qui lucrum de vineis in illis partibus promeruerit, octo dies post Missam S. Remigii sibi provideat, et si necesse illi fuerit ad Missam S. Martini ad suum conductum redeat.* In Appendice tomi 2. Scriptorum historiæ Francorum Andreæ Duchêne exstat Epistola cujusdam Catrulphi ad Carolum magnum, in cujus fine eum hortatur, ut cum consilio Synodi Francorum celebrari constituat in regno suo *Missam S. Michaëlis et Passionem S. Petri.* Eamdem ob causam ad quemcunque populi cœtum, sive congregationem indicandam, Missæ nomen translatum legimus, quia populi multitudo nunquam frequentiùs solet in unum congregari, quàm ut Missæ sacrificio intersit. Hinc apud Baronium an. 519. in indiculo seu relatione de scelere Thessalonicensium, statuerunt Episcopi, *ne quis Missas foràs civitatem teneret, ut multitudo esset futuræ seditioni congregata.* Hinc etiam Germanis, teste Kiliano in Dictionario, *Francfurter Misse, Strasburger Misse*, idem est ac nundinæ Francofurti, et Argentorati: quæ nominatio, ut Joachimus Vadianus ait *lib. de veteribus Germaniæ Monasteriis*, indè nata videtur, quia nullis in locis statæ et annuæ nundinæ festis diebus annectuntur, idque ob populi frequentiam ad Missas celebriores confluentis.

I. Cur Missa quælibet offertur in memoriam Sanctorum, et pro vivis et defunctis ?

R. Quia Missa est sacrificium totius Ecclesiæ. Hoc Christus, totius Ecclesiæ caput, offert. Ecclesia militans jungit se Christo, simulque cum illo et in illo offert hoc sacrificium; jungit se ob eamdem rationem cum Ecclesia triumphante, quæ Christo capiti intimè adhæret, et unum cum eo corpus efficit. Et utraque Ecclesia tam triumphans quàm militans Divinam misericordiam per Christum implorat pro Ecclesia patiente. Hæc fusiùs tractabimus infrà in explicatione singularum orationum quibus Missa constat. (§. 22. *hujusce Cap. N.* 12. 17. 24.)

Neque ea sola ratio est cur in qualibet Missa agatur memoria de Angelis et de Sanctis. Id agimus quoque tum ut gratulemur ipsis, et gratias agamus Deo de eorum victoriis et triumphis; tum ut excitemur eorum exemplo et victoriâ ad eorum imitationem; tum ut eorum intercessione impetremus per Christum quæ nobis necessaria sunt ad salutem. (C)

I. Estne jam pridem in more positum, ut in Missæ sacrificio agatur memoria Sanctorum ?

R. Mos ille ex Apostolica traditione manavit, ut patet tum ex Liturgiis antiquissimis, tum ex scriptis Sanctorum qui primis Ecclesiæ seculis floruêre, quales sunt S. Justinus, S. Cyprianus, S. Cyrillus Hierosolymitanus, S. Chrysostomus, S. Augustinus, etc. (D)

N. 6. Tandem sumitur Missa pro tota divini Sacrificii celebratione, quatenùs utramque comprehendit catechumenorum et fidelium : quæ acceptio adeò in ore omnium communis est, ut recentiores vix agnoscant aliam hujus nominis significationem.

(C) Concil. Trident. *Sess.* 22. *cap.* 3. *de sacrificio Missæ. Vide superiùs in ipso Textu.*

(D) S. Justinus Martyr, *pro Christianis Apolog.* 2. *pag.* 56. Profitemur quidem nos talium qui habentur Deorum esse expertes et atheos : sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet justitiæ et castitatis et virtutum aliarum, et ab omni vitiositatis mixtione et labe alieni, expertes. Verùm hunc ipsum, et qui ab eo venit atque ista nos, et aliorum obsequentium exæqualorumque (ad voluntatem ejus) bonorum Angelorum exercitum docuit, Filium et Spiritum propheticum, colimus et adoramus; cum ratione et veritate venerantes, atque unicuique discere atque nosse volenti, pro eò atque edocti sumus, candidè (hæc) tradentes.

S. Cyprianus *Epist.* 39. *aliàs* 34. Avia ejus (Celerini Lectoris) Celerina jam pridem martyrio coronata est. Item patruus ejus et avunculus Laurentinus et Ignatius,... veri et spiritales Dei milites, dùm diabolum Christi congressione prosternunt, palmas Domini et coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quoties Martyrum passiones et dies anniversariâ commemoratione celebramus.

Epist. 12. *aliàs* 37. Denique et dies eorum quibus excedunt annotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus : quanquam Tertullus fidelissimus et devotissimus frater noster pro cætera sollicitudine et cura sua, quam fratribus in omni obsequio operationis impertit, (qui nec illic circa curam corporum deest,) scripserit et scribat, ac significet mihi dies quibus in carcere beati fratres nostri ad immortalitatem gloriosæ mortis exitu transeunt; et celebrentur hic à nobis oblationes et sacrificia ob commemorationes eorum, quæ citò vobiscum Domino protegente celebrabimus.

S. CYRIL. HIEROS. *Catech.* 5. *mystag. Vide inferiùs hujusce Cap.* §. 22. *n.* 17.

S. JOAN. CHRYS. *Homil.* 21. *in Acta Apostol. in morali.* Non temerè Diaconus clamat : Pro his qui defuncti sunt in Christo , et pro his qui illorum memoriam faciunt. Non Diaconus est qui talem vocem emittit , sed Spiritus : non sanctus , inquam , sed donum. Quid dicis ? In manibus est hostia , et omnia proposita sunt benè ordinata , adsunt Angeli , adsunt Archangeli , adest Filius Dei , cum tanto horrore adstant omnes , adstant illi clamantes omnibus silentibus , et putas temerè hæc fieri ? Igitur et alia temerè , et quæ pro Ecclesia , et quæ pro Sacerdotibus offeruntur , et quæ pro plenitudine ac universitate ? Absit. Sed omnia cum fide fiunt. Quid tibi videtur quòd pro Martyribus offertur , quòd invocantur in illa hora ? Licèt Martyres sint etiam pro Martyribus offertur. Magnus honor nominari Domino præsente , dùm mors illa celebratur , et horrendum sacrificium , et ineffabilia sacramenta. Sicut enim sedente Rege quæcunque quis voluerit perficit : ubi autem surrexerit , quæcunque dicit , frustrà dicit : ita et tunc quandiù proposita fuerint mysteria , omnibus honor maximus in memoria haberi. Vide enim : annuntiatur tunc sacramentum horrendum , quòd pro mundo dedit seipsum Deus , cum illo miraculo tempestivè memor est ille eorum qui peccarunt. Sicut enim quando Regum trophæa statuuntur , tunc celebrantur quidem et quicunque victoriæ socii fuerunt : dimittuntur autem qui sunt in vinculis per illud tempus : ubi autem transierit hoc tempus , qui nihil assecutus est , nihil obtinet : Ita sanè et hîc. Trophæorum et celebrandæ victoriæ tempus est. *Quoties enim* , inquit , *manducatis panem hunc , mortem Domini annuntiate.* (1. *Cor.* XI 26.) Itaque non simpliciter accedamus , neque fortuitò hæc fieri putemus. Et aliter : Martyrum memores sumus , in fidem quòd non mortuus adhuc est Dominus : idque quia devicit et occidit mortem , et hoc signum est illam esse mortuam.

S. AUGUST. *lib.* 8. *de Civit. Dei , cap.* 27. *lib.* 22. *cap.* 10. *et lib.* 20. *contra Faustum , cap.* 21. *Vide suprà hujusce Operis Part.* 2. *Sect.* 5. *Cap.* 2. §. 3. *litt.* (H) *et* (I)

Serm. 273. *aliàs de divers.* 101. *in natali Martyrum Fructuosi , etc. cap.* 4. *n.* 4. Templum autem solus Deus verus habere deberet , sacrificium soli Deo vero offerri debet.

Cap. 7. *n.* 7. Nos Martyres nostros.... pro Diis non habemus , non tanquam Deos colimus. Non eis templa , non eis altaria , non sacrificia exhibemus. Non eis Sacerdotes offerunt : absit. Deo præstantur. Immò Deo ista offeruntur , à quo nobis cuncta præstantur. Etiam apud memorias sanctorum Martyrum cùm offerimus , nonne Deo offerimus ? Habent honorabilem locum Martyres sancti. Advertite : in recitatione ad altare Christi loco meliore recitantur ; non tamen pro Christo adorantur. Quando audistis dici apud memoriam sancti Theogenis , à me vel ab aliquo fratre et collega meo , vel aliquo Presbytero , Offero tibi , sancte Theogenis ? aut offero tibi , Petre ? aut offero tibi , Paule ? Nunquam audistis. Non fit : non licet. Et si dicatur tibi , Nunquid tu Petrum colis ? Responde quod de Fructuoso respondit Eulogius : Ego Petrum non colo , sed Deum colo , quem colit et Petrus.

Serm. 159. *aliàs de verb. Apost. cap.* 1. *n.* 1. Ideoque habet Ecclesiastica disciplina , quod fideles noverunt , cùm Martyres eo loco recitantur ad altare Dei , ubi non pro ipsis oretur : pro cæteris autem commemoratis defunctis oratur. Injuria est enim pro Martyre orare , cujus nos debemus orationibus commendari.

Serm. 284. *alias* 1. *inter editos majoris Carthus.* MS. *n.* 5. Scitis quo loco Martyres recitentur ? Non pro illis orat Ecclesia. Nam meritò pro aliis defunctis dormientibus orat Ecclesia : pro Martyribus non orat , sed eorum potiùs orationibus se commendat.

Serm. 285 *aliàs* 4. *inter editos majoris Carthus.* MS. *n.* 5. Martyrum perfecta justitia est , quoniam in ipsa passione perfecti sunt. Ideò pro illis in Ecclesia non oratur. Pro aliis fidelibus defunctis oratur , pro Martyribus non oratur : tam enim perfecti exierunt , ut non sint susceptí nostri , sed advocati. Neque hoc in se , sed in illo cui capiti perfecta membra cohæserunt.

§. 12. Pro quibus Missæ Sacrificium offeratur.

I. Pro quibus offertur Missæ sacrificium ?

R. Pro omnibus hominibus viventibus, maximè pro fidelibus : et pro defunctis in pace Ecclesiæ quiescentibus. Explico responsionem.

In Ecclesiæ Romanæ Canone, quo utitur Occidentalis Ecclesia, nulla mentio fit infidelium : oratur expressè *pro* solis *et omnibus Orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus.* (*In Can. Missæ.*) Solà feriâ sextâ parasceves post lectionem Passionis Domini nostri Jesu Christi orat expressis nominibus Ecclesia Romana, pro *Schismaticis*, *Hæreticis*, *Paganis*, *Infidelibus*, *Judæis*. Quæ quidem orationes olim in singulis Missis, saltem in Missis Pontificalibus recitabantur. (A) Et

(A) S. Cælestinus *Epist.* 1. *ad Episcopos Galliæ*, *cap.* 11. *in Appendice tom.* 10. S. Aug. *edit. BB. pag.* 131. Observationum quoque Sacerdotalium sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Catholica Ecclesia uniformiter celebrantur ; ut legem credendi lex statuat supplicandi. Cùm enim sanctarum plebium Præsules mandatà sibimet legatione fungantur apud divinam clementiam, humani generis agunt causam, et totâ secum Ecclesiâ congemiscente postulant et precantur, ut infidelibus donetur fides, ut idololatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut hæretici Catholicæ fidei perceptione resipiscant, ut schismatici Spiritum redivivæ charitatis accipiant, ut lapsis pœnitentiæ remedia conferantur, ut denique Catechumenis ad regenerationis Sacramenta perductis cœlestis misericordiæ aula reseretur. Hæc autem non perfunctoriè, neque inaniter à Deo peti rerum ipsarum monstrat effectus : quandoquidem ex omni errorum genere plurimos Deus dignatur attrahere, quos erutos *de potestate tenebrarum transferat in regnum filii charitatis suæ* (*Coloss.* I. 13.), et ex vasis iræ faciat vasa misericordiæ. (*Rom.* IX. 22. *et* 23.) Quod adeò totum Divini operis esse sentitur, ut hæc efficienti Deo gratiarum semper actio laudisque confessio pro illuminatione talium vel correctione referantur.

Auctor *lib.* 1. *de vocat. Gentium. cap.* 12. *apud* S. Leonem. Scribens itaque ad Timotheum Paulus Apostolus ait (1. *Tim.* II. 1. *et seq.*) : « Obsecro » igitur primò omnium fieri obsecrationes, postulationes, gratiarum » actiones pro omnibus hominibus, et pro Regibus, et omnibus qui in » sublimitate sunt ; ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pie» tate et charitate. Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore » nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et in agnitionem veri» tatis venire. Unus enim Deus et unus mediator Dei et hominum, homo » Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. » De hac ergo doctrinæ Apostolicæ regula, quâ Ecclesia universalis imbuitur, ne in diversum intellectum nostro evagemur arbitrio, quid ipsa universalis Ecclesia sentiat, requiramus : quia nihil dubium esse poterit in præcepto, si obedientia concordet in studio. Præcepit itaque Apostolus, immò per Apostolum Dominus qui loquebatur in Apostolo, *fieri obsecrationes et postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus ac pro iis qui in sublimitate sunt.* Quam legem supplicationis ita omnium Sacerdotum et omnium fidelium devotio concorditer tenet, ut nulla pars mundi sit, in qua hujusmodi orationes non celebrentur à populis Christianis. Supplicat ergo ubique Ecclesia Deo non solùm pro Sanctis et in Christo jam regeneratis, sed etiam pro omnibus infidelibus et inimicis crucis Christi, pro omnibus idolorum cultoribus, pro omnibus qui Christum in membris ipsius persequuntur, pro Judæis quorum cæcitati lumen Evangelii non refulget, pro hæreticis et schismaticis qui ab unitate fidei et charitatis alieni sunt. Quid autem pro istis petit, nisi ut relictis erroribus suis convertantur ad Deum,

etiamnum in Belgio in singulis Ecclesiis orthodoxis additur quotidiè in Missa Collecta pro vocatione infidelium ad fidem. Orat saltem pro iis Ecclesia secretò. Hæc vota Ecclesiæ pro Infidelibus, Hæreticis, Schismaticis, Excommunicatis, continentur saltem implicitè in petitionibus orationis Dominicæ, ut suprà diximus, ubi egimus de Oratione Dominica. Adeoque orat pro iis Ecclesia saltem implicitè, dùm hanc in Missa recitat orationem. Et hæc quidem mens fuit Apostoli, qui in priore ad Timotheum Epistola sic loquitur (1. *Tim.* II. 1.) : *Obsecro fieri obsecrationes, orationes, postulationes pro omnibus hominibus....* (*Ibid.* 2. *et* 3.) *Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire.* (B)

accipiant fidem, accipiant charitatem, et de ignorantiæ tenebris liberati in agnitionem veniant veritatis? Quod quia ipsi præstare sibi nequeunt, malæ consuetudinis pondere oppressi, et diaboli vinculis alligati, neque deceptiones suas evincere valent, quibus tam pertinaciter inhæserunt, ut quantùm amanda est veritas, tantùm diligant falsitatem: misericors et justus Dominus pro omnibus sibi vult hominibus supplicari, ut cùm videmus de tam profundis malis innumeros erui, non ambigamus Deum præstitisse; quod ut præstaret oratus est: et gratias agentes pro his qui salvi facti sunt, speremus etiam eos qui necdum illuminati sunt, eodem divinæ gratiæ opere eximendos de potestate tenebrarum, et in regnum Dei priusquam de hac vita exeant, transferendos.

(B) TERTULLIANUS *Apologet. cap.* 30. *et* 31. *Vide superiùs hocce Sect. Cap.* 1. §. 3. *litt.* (B)

S. CHRYSOST. *Homil.* 6. *in Epist.* 1. *ad Timoth. cap.* 2. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus et pro omnibus qui in sublimitate sunt constituti.* (1. *Tim.* II. 1. *et* 2.) Quasi communis quidam totius orbis pater Sacerdos est: dignum igitur est ut omnium curam agat, omnibusque provideat: sicut et Deus, cujus ministerio servit, et fungitur vice. Idcircò ait: *obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes et orationes.* Duo enim hinc præcipua oriuntur bona, quòd odium omne quo alios prosequimur deponimus. Nemo enim adversùs eum inimico esse animo potest, pro quo obsecrationes facit; et illi ipsi meliores fiunt. Nihil enim ita doctrinam commendat, nihil magis ejus vires insinuat quàm hujusmodi charitas. Considera denique cujusmodi sit eos diligere, qui insidiis appetunt, qui flagellant, qui undique exagitant, qui denique necant, dùm hi qui ista patiuntur, Deum pro his ipsis qui se ita afficiunt intentissimis orationibus pulsant. Vides ut superiorem omnibus Christianum evadere velit? Quemadmodùm enim in infantibus pueris, cùm is qui à patre portatur infantulus, patris ceciderit faciem, nihil ex hoc obtunditur dilectionis affectus: ita et nos cùm ab his qui extrà sunt cædimur, nihil ex priore benevolentia remittere omninò debemus. Quid autem sibi vult quod ait *primùm omnium?* In obsequio scilicet quotidiano, perpetuoque divinæ religionis ritu. Atque id noverunt fideles, quomodo diebus singulis manè et vesperè orationes fundantur ad Dominum, quomodo pro *omni mundo, et Regibus, et omnibus qui in sublimitate sunt positi*, obsecrationes ab Ecclesia fiant. Sed fortè quis dixerit, *pro omnibus* quod ait, tantùm fideles intelligi voluisse. At id verum non esse quæ sequuntur ostendunt. Denique ait *pro Regibus*, neque enim tunc Reges Deum colebant, verùm multis posteà temporibus in infidelitate, quam per seriem successionis acceperant, perstiterunt. Deindè ut omnis assentationis suspicio tolleretur, cùm præmisisset, *pro omnibus*, tunc demùm *pro Regibus* addidit. Si enim tantùm *pro Regibus* dixisset, fortassis non deesset qui adulationis gratiâ illum ita scripsisse putaret. Quoniam verò consequens esse cernebat, ut Christiani animus ad ista torpesceret, neque hujusmodi admitteret monita, siquidem pro gentili Sacramento-

I. **Offerturne Sacrificium et pro omnibus hominibus mortuis ?**

R. **Non offertur pro mortuis reprobis et damnatis ; horum enim revocari sententia nequit : pœnis sunt æternis addicti, quæ nec minui, nec finem habere possunt.** (C)

rum tempore preces oporteret offerri, vide quid secutus adjunxit, ut ex consideratione lucri admonitionem faciliùs libentiusque susciperent : *Ut quietam et tranquillam degamus vitam* (1. *Tim.* II. 2.) ; ac si dicat, in illorum salute securitas nostra consistit. Quemadmodùm in Epistola ad Romanos, cùm eos hortaretur obedire Principibus, ait : *Non propter necessitatem, sed propter conscientiam.* (*Rom.* XIII. 5.) Deus enim pro utilitate communi hujusmodi principatus instituit. Quàm igitur absurdum est, cùm illi idcircò militent et arma circumferant, ut nos in tranquillitate atque otio simus, nos pro periclitantibus, ac nostri causâ labores subeuntibus, preces effundere detrectemus ?.... *Deprecationes*, *orationes*, *interpellationes*, *gratiarum actiones.* Deo quippè oportet referre gratias etiam pro successibus aliorum : quòd scilicet *Solem oriri facit super malos et bonos, et pluit super injustos et justos.* (*Matth.* V. 45.) Vides ut ille non modò per orationis studium, verùm etiam per gratiarum actiones nos conjungat, atque conglutinet ? Qui enim necessariò cogitur Deo referre gratias pro felicibus proximorum successibus, ipsum quoque amare compellitur, sibique familiariùs jungi : quòd si pro felicitatibus proximorum gratiæ agendæ sunt, quantò magis pro his quæ in nos sive clam sive manifestè proveniunt : pro his etiam quæ nobis inferuntur ad salutem nostram : etsi illa etiam tristia esse videantur ? Deus quippè ad utilitatem nostram cuncta dispensat.

Ex actis disput. S. ACHATII Episc. et Martyr. *an.* 201. *apud* THEODORIC. RUINART. *in actib. Martyr. sinceris, pag.* 139. Cui magis cordi est, vel à quo sic diligitur Imperator, quemadmodùm ab hominibus Christianis ? Assidua enim nobis est pro eo ac jugis oratio, ut prolixum ævum in hac luce conficiat, ac justâ populos potestate moderetur : et pacatum maximè imperii sui tempus accipiat. Deindè pro salute militum, et pro statu mundi et orbis.

S. AUG. *Epist.* 217. *aliàs* 107. *ad Vitalem, cap.* 1. *n.* 2. *Vide superiùs hacce Sect. Cap.* 1. §. 3. *litt.* (B)

S. THOMAS *in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *a.* 1. *ad* 1. Ecclesia orat pro eis qui extra Ecclesiam sunt, sicut pro hæreticis et paganis. Ergo etiam et pro excommunicatis, qui extra Ecclesiam sunt ; et sic eis suffragia Ecclesiæ valent.

Ad primum ergo dicendum, quòd pro infidelibus oratur ; sed ipsi fructum orationis non percipiunt, nisi ad fidem convertantur. Similiter et pro excommunicatis orari potest, quamvis non inter orationes quæ pro membris Ecclesiæ fiunt ; et tamen fructum non participant quandiù in excommunicatione manent ; sed oratur ut detur eis spiritus pœnitentiæ, ut ab excommunicatione solvantur.

(C) S. AUG. *lib.* 3. *de anima et ejus origine, cap.* 12. *n.* 18. Noli credere, nec dicere, nec docere, *Sacrificium Christianorum pro iis qui non baptizati de corpore exierint offerendum*, si vis esse Catholicus. Quia nec illud quod de Machabæorum libris commemorasti sacrificium Judæorum, (2. *Machab.* XII. 43.) pro iis qui non circumcisi de corpore exierant, ostendis oblatum. In qua sententia tam nova, et contra Ecclesiæ totius auctoritatem disciplinamque prolata, verbo etiam insolentissimo usus es, dicens, *Pro his sanè oblationes assiduas et offerenda jugiter sanctorum censeo sacrificia Sacerdotum :* ut te homo laïcus Sacerdotibus Dei nec discendo subderes, nec saltem simul quærendo misceres, sed censendo præponeres.

Enchirid. de fide, spe, et charitate, cap. 110. *n.* 29. *Vide superiùs hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 18. *litt.* (C)

De Civit. Dei, lib. 21. *cap.* 24. *n.* 1. Hæc igitur causa, quâ fit ut nunc Ecclesia non oret pro malis angelis, quos suos esse novit inimicos, eadem ipsa causa est, quâ fiet ut in illo tunc judicio etiam pro hominibus æterno igne cruciandis, quamvis perfecta sit sanctitate, non oret. Nunc enim

Pro cæteris hominibus mortuis offertur.

Pro Sanctis quidem cum Christo regnantibus, in gratiarum actionem de eorum felicitate.

Pro fidelibus autem in igne purgatorio detentis, ut *liberentur de profundo lacu, et locum refrigerii lucis et pacis obtineant....* (*In Missa pro defunct.*)

I. Quâ ratione probatur offerri Missæ sacrificium pro defunctis fidelibus ?

R. Id probatur ex continua seculorum et Ecclesiarum omnium traditione.

Probatur autem hæc traditio, 1° ex SS. Patribus, etiam antiquissimis, Tertulliano, Cypriano, Eusebio, Cyrillo Hierosolymitano, Innocentio I., Epiphanio qui inter Aërii hæreses recenset quòd vivorum preces, sacrificia, eleemosynas prodesse defunctis negaret, Ambrosio, Augustino. (D) Patres cæteros proferre superfluum est, essent enim omnes appellandi.

propterea pro eis orat, quos in genere humano habet inimicos, quia tempus est pœnitentiæ fructuosæ. Nam quid maximè pro eis orat, nisi ut *det illis Deus*, sicut dicit Apostolus (2. *Tim.* II. 25. *et* 26.), *pœnitentiam, ut resipiscant de diaboli laqueis, à quo captivi tenentur secundùm ipsius voluntatem* ? Denique si de aliquibus ita certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licèt adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo ; tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso. Sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis : nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim solis exauditur, qui etsi adversantur Ecclesiæ, ita tamen sunt prædestinati, ut pro eis exaudiatur Ecclesia, et filii efficiantur Ecclesiæ. Si qui autem usque ad mortem habebunt cor impœnitens, nec ex inimicis convertentur in filios, nunquid jam pro eis, id est, pro talium defunctorum spiritibus orat Ecclesia ? Quid ita, nisi quia jam in parte diaboli computatur, qui dùm esset in corpore, non est translatus ad Christum.

N. 2. Eadem itaque causa est, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igne puniendis, quæ causa est, ut, neque nunc, neque tunc oretur pro angelis malis : quæ illidem causa est, ut quamvis pro hominibus, tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiisque defunctis.

S. Joan. Chrysost. *homil.* 3. *in Epist. ad Philip. Vide infrà hocce* §. *litt.* (D)

Concilium Bracarense II. *an.* 563. *cap.* 16. Item placuit, ut hi qui sibi ipsis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur : multi enim sibi hoc per ignorantiam usurpaverunt. Similiter et de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur.

Cap 17. Item placuit, ut catechumenis sine redemptione baptismi defunctis, simili modo, neque oblationis commemoratio, neque psallendi impendatur officium : nam et hoc per ignorantiam usurpatum est.

Concilium Tiburiense *an.* 895. *can.* 31. Nos quæ Dominus diligit diligentes, et quæ odit odio habentes, statuimus et judicamus, ut si quis.... inventus fuerit furtum aut rapinam exercere, et in ipso diabolico actu mortem incurrere ; nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare. Et eleemosyna pro eo data in memoriam clericorum nec pauperum veniat, sed exsecrabilis sordescat.

(D) Tertullianus *de corona militis*, *cap.* 3. Oblationes pro defunctis, pro natalitiis annuâ die facimus.

De Exhortat. castit. cap. 11. In secundo matrimonio duæ uxores eumdem circumstant maritum, una spiritu, alia in carne. Neque enim pristinam poteris odisse, cui etiam religiosiorem reservas affectionem, ut jam receptæ

apud Dominum, pro cujus spiritu postulas, pro qua oblationes annuas reddis. Stabis ergo ad Dominum cum tot uxoribus quot in oratione commemoras? Et offeres pro duabus? et commendabis illas duas per Sacerdotem, etc.

Lib. de Monogam. cap. 10. Pro anima ejus orat, (*nempè uxor pro anima conjugis sui defuncti*,) et refrigerium interim adpostulat ei, et in prima resurrectione consortium, et offert annuis diebus dormitionis ejus.

S. CYPRIANUS. *Epist.* 1. *aliàs* 66. *Vide superiùs* §. 7. *hujusce Cap. litt.* (M)

EUSEBIUS *Lib.* 4. *de vita Constantini magni, cap.* 71. *vide suprà hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 18. *litt.* (L)

AUCTOR *Lib.* 6. *Constitut. Apost. cap.* 29. Sine ulla verò hujusmodi observatione convenite in cœmeteriis ad legendum sacros libros, et canendum Psalmos pro mortuis Martyribus, et sanctis omnibus, qui sunt à seculo defunctis, ac pro fratribus vestris, qui in Domino mortui sunt: et Eucharistiam Deo acceptam antitypon, id est, Sacramentum regalis corporis Christi offerte in Ecclesiis vestris, et in cœmeteriis.

S. CYRIL. HIEROSOLYM. *Cateches. Mystag.* 5. *Vide infrà hujusce Cap.* §. 22. *n.* 24. *litt.* (B)

S. EPIPHANIUS *hæres.* 75. *lib.* 3. *Tom.* 1. *n.* 3. Quæ ratio est, inquit, (Aërius,) post obitum mortuorum appellare nomina? Nam ut vivus oret, aut in pauperes bona sua dispenset; quid ex ea re tandem ad mortuum redit? Quòd si superstitum preces iis, qui ex hac vita discesserint, opitulari possunt; nemo piè deinceps agat aliquid, neque boni quidquam faciat: sed amicos sibi aliquos quacunque ratione velit adjungat: sive pecuniarum largitione, sive precibus hoc ab illis sub vitæ finem impetret, ut pro se Deum exorent, ut ne illic aliquid incommodi patiatur, nec immanium à se facinorum pœnæ repetantur.

N. 7. Quod verò spectat ad ritum illum, quo mortuorum nomina pronuntiantur, quid eo esse potest utilius.... nempè ut qui adsunt certissimè sibi persuadeant mortuos vivere, nec in nihilum redactos esse; sed existere adhuc, atque apud Dominum vivere: tum ut religiosissimum illud dogma prædicetur; quo qui pro fratribus precantur, benè de illis sperare constat, quasi peregrè profectis. Cæterùm quæ pro mortuis concipiuntur preces, iis utiles sunt, tametsi non omnes culpas exstinguant. Verùm ex eo prosunt, quòd plerumque, dùm adhuc in terra degimus, sponte aut inviti tilubemus: ut id quod perfectius est significetur. Nam et justorum pariter, et peccatorum mentionem facimus: peccatorum quidem, ut iis à Domino misericordiam imploremus: justorum autem et patrum, ac Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, Anachoretarum, ac cœtus illius universi, ut Dominum Jesum Christum singulari quodam honore prosequentes ab cæterorum hominum ordine segregemus, debitumque cultum illius majestati tribuamus.

N. 8. Necessariò facere illud Ecclesiam dico; quæ traditum sibi ritum illum à majoribus acceperit.

S. JOAN. CHRYSOST. *homil.* 3. *in Epist. ad Philipp.* Deplorato eos qui in divitiis mortui sunt, et nihil consolationis suis ipsorum animabus ex divitiis suis procurarunt, eos qui cùm potestatem abluendorum peccatorum habuissent, noluerunt: Hos defleamus et privatim et communiter omnes, sed cum modestiæ decoro, sed cum gravitate, sed non velut ludibrio nos ipsos exponentes. Hos, inquam, non unum aut alterum deploremus diem, sed omnem nostram vitam. Non sunt absurdi affectûs hæ lacrymæ, sed magni amoris. Aliæ verò absurdo et irrationabili affectu fiunt, atque ideò mox etiam desinunt. Quando verò ex timore Dei nascuntur, semper durant. Defleamus istos, juvemus eos pro viribus, procuremus illis aliquid auxilii, modici quidem, attamen juvemus eos. Quomodo, quave ratione? Precantes, adhortemur et alios ut pro illis orent, pauperibusque indesinenter pro illis eleemosynas demus: habet res ista nonnihil consolationis. Audi quippè quid Deus dicat: *Protegam civitatem istam propter me, et propter David servum meum.* (4. *Reg.* XIX. 34.) Si memoria duntaxat justi tantum valuit, quando et opera pro tali fiunt, quid non poterunt? Non frustrà ab Apostolis sancitum est ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum qui hinc discesse-

2° Ex Conciliis : Carthaginensi IV. Vasensi III. Bracarensi I. et II. Autissiodorensi, aliisque multis quæ brevitatis causâ prætermitto. (E) Nec proferri ullum potest quod Protestantibus ullâ ratione faveat.

3° Ex Liturgiis omnium seculorum. Nullam habemus quæ preces pro defunctis non contineat. Hæc est etiamnum Ecclesiarum omnium consuetudo, ut pro defunctis Sacrificium offeratur. Hanc fuisse Ecclesiarum omnium praxim tradit suo tempore S. Chrysostomus. (F) Idem ait S. Augus-

runt. Noverunt illis multùm hinc emolumenti fieri, multùm utilitatis. Stante siquidem universo populo, manus in cœlos extendente, cœtu item Sacerdotali, verendoque posito Sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro istis orantes? Verùm istud quidem de illis dicimus qui in fide abscesserunt, Catechumenos verò neque isto solatio dignamur, sed omni hujusmodi destituti sunt auxilio, uno quodam dempto. Quonam illo? Pauperibus illorum nomine dare licet, undè illis nonnihil refrigerii accedit. Nam ita vult Deus ut nos invicem multùm juvemus. Quâ namque aliâ ratione pro mundi nos pace et incolumitate precari jussit? Quamobrem pro omnibus hominibus? Tametsi hic, ubi omnes dicit, et latrones, et sacrilegi sepulcrorum spoliatores, ac fures, innumerisque malis aliis scatentes comprehendantur, nihilò tamen minùs pro omnibus oramus : erit fortè aliqua illorum conversio. Quemadmodùm itaque pro vivis istis oramus, qui tamen nihilò differunt à mortuis, ita et pro mortuis orari potest.

S. AMBROS. *Ep.* 39. *aliàs* 8. *aut* 61. *ad Faustinum de morte sororis, n.* 4. (Sororem) itaque non tam deplorandam, quàm prosequendam orationibus reor : nec mœstificandam lacrymis tuis, sed magis oblationibus animam ejus Domino commendandam arbitror.

S. AUG. *lib.* 9. *Confess. cap.* 12. *et alios Ecclesiæ* PATRES *vide superiùs* §. 18. *Cap.* 5. *Sect.* 1. *hujusce Partis, litt.* (L)

Enchiridii cap. 110. *n.* 29. *Vide suprà hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 18. *litt.* (C)

De cura pro mortuis gerenda, cap. 1. *et* 18. *Vide suprà* §. 18. *Cap.* 5. *Sect.* 1. *hujusce Part. litt.* (G)

Serm. 159. *aliàs.* 17. *de verbis Apostoli, cap.* 1. *n.* 1. *Vide* §. *super. litt.* (D)

(E) CONCIL. CARTHAGIN. IV. *an.* 398. *can.* 79. *Vide suprà* §. 17. *Cap.* 5. *Sect.* 1. *hujusce Partis, litt.* (L)

CONCIL. BRACARENSE II. *ann.* 563. *can.* 16. *et* 17. *Vide superiùs hocce* §. *litt.* (C)

CONCIL. VASENS. III. *an.* 529. *can.* 3. In omnibus Missis, seu in Matutinis, seu in Quadragesimalibus, seu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper *Sanctus, sanctus,* eo ordine, quo modò ad Missas publicas dicitur, dici debeat.

CONCIL. AURELIAN. II. *an.* 533. *can.* 15. Oblationes defunctorum qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus, si tamen non ipsi sibi mortem probentur propriis manibus intulisse.

CONCIL. AUTISSIOD. *an.* 578. *can.* 17. Quicunque se proprià voluntate in aquam jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percusserit, aut quâlibet occasione voluntariæ se morti tradiderit, istorum oblatio non recipiatur.

(F) S. JOAN. CHRYSOST. *ad populum Antiochen. Homil.* 70. Non temerè ab Apostolis hæc sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis indè multum contingere lucrum, utilitatem multam. Cùm enim totus constiterit populus extensis manibus, Sacerdotalis plenitudo, et tremendum proponatur Sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes? Sed hoc quidem de his qui cum fide migrarunt. Catechumeni verò nec hac digni consolatione censetur, sed omni sunt tali suffragio privati, præter unum solum. Quod autem illud? Dare licet pro eis pauperibus, et ex hoc aliquid eis præstare refrigerationis. Vult namque Deus nos alterum alteri prodesse. Nam quare

tinus. (G) Hanc per totum orbem nemine contradicente servabat Ecclesia, cùm Lutherus, et Calvinus eam Aërii exemplo abrogarunt; nec ullum tempus assignari potest quo in Ecclesiam de novo introducta fuerit. Ergo Apostolicâ traditione ad nos usque pervenisse certissimè tenendum est, ut toties post S. Augustinum observavimus. (*Hujusce Oper. Part.* 2. *Sect.* 2. *Cap.* 2. §. 4. *etc.*) (H)

I. Cur offert Ecclesia Sacrificium pro viventibus.

R. Ut infideles ad Deum convertantur, peccatores pœnitentiam agant, justi perseverent in justitia, omnes salutem consequantur. De reliquis offerendi Sacrificii causis et intentionibus satis superque suprà diximus. (§. 10. *hujusce Cap.*)

§. 13. Explicantur specialiùs multa pertinentia ad Missam pro Defunctis.

I. Quis Ecclesiæ scopus dùm offert sacrificium pro defunctis?

R. Is est, ut accipiant in igne purgatorio refrigerium, et indè educti ad cœlestem patriam perducantur.

I. Estne hæc Ecclesiæ fides, si certus quidam Missarum

pro pace, mundique tranquillitate nos jussit orare? Quare pro omnibus hominibus? Cùm hîc ubique sint latrones et fures, ac sacrilegi, et infinitis pleni facinoribus, et tamen pro omnibus precamur, forsitan aliqua fiet eorum commutatio. Sicut itaque pro viventibus precamur, qui nihil à mortuis differunt; ita pro illis quoque licet orare.

(G) S. Aug. *Serm.* 172. *aliàs* 32. *de verbis Apost. cap.* 2. *n.* 2. Orationibus verò sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari; ut cum eis misericordiùs agatur à Domino, quàm eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum universa observat Ecclesia, ut pro eis qui in corporis sanguinis Christi communione defuncti sunt, cùm ad ipsum Sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cùm verò eorum commendandorum causà opera misericordiæ celebrantur, quis eis dubitet suffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omninò ambigendum est, ista prodesse defunctis; sed talibus, qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. Nam qui sine fide quæ per dilectionem operatur, ejusque sacramentis, de corporibus exierunt, frustrà illis à suis hujusmodi pietatis impenduntur officia, cujus, dùm hîc essent, pignore caruerunt, vel non suscipientes, vel in vacuum suscipientes Dei gratiam, et sibi non misericordiam thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid operantur sui, sed eorum præcedentibus consequentia ista reddunturs. Non enim actum est, nisi cùm hîc viverent, ut eos hæc aliquid adjuvarent, cùm hîc vivere destitissent. Et ideò istam finiens quisque vitam, nisi quod meruit in ipsa, non poterit habere post ipsam.

Vide alias auctoritates SS. Patrum §. *super. litt.* (D)

(H) S. Aug. *lib.* 4. *de Baptismo contra Donatistas, cap.* 24. *n.* 31. Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.

S. Isidorus Hispal. *lib.* 1. *de Ecclesiast. officiis, cap.* 18. Sacrificium pro defunctorum fidelium requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum hoc orbem custoditur, credimus quòd ab ipsis Apostolis traditum sit. Hoc enim ubique Catholica tenet Ecclesia, quæ nisi crederet fidelibus defunctis dimitti peccata, non pro eorum spiritibus vel eleemosynam faceret, vel Deo sacrificium offerret. Nam et cùm Dominus dicit (*Matth.* xii. 32.), *Qui peccaverit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro:* demonstrat quibusdam illic dimittenda peccata, et quodam purgatorio igne pur-

numerus pro defunctis celebretur, vel si dicatur Missa super altare quod Privilegiatum vocant, mox animam certissimè liberari ab igne purgatorio?

R. Nullatenùs. Ubi de asserenda Ecclesia fide agitur, non ultrà progrediendum quàm Ecclesia definierit. Hoc autem unum ea de re Ecclesia definivit in Concilio Tridentino (*Sess.* 25. *Decreto de Purgatorio.*), juxta traditionem Apostolicam: *Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimùm verò acceptabili altaris sacrificio juvari.* Id ipsum tradiderat S. Augustinus his verbis (*Serm.* 172. *aliàs* 32. *de verb. Apost.*): *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, et sacrificio salutari, et eleemosynis quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adjuvari, sed tales qui ita vixerint ante mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem.*

Quidquid ultrà dici potest incertum est, nec pertinet ad fidem Ecclesiæ. Abstinendum hic à quæstionibus quæ plus habent ad curiositatem quàm ad pietatem fovendam utilitatis, et tenendus ea in re modus quem tenendum esse docet Tridentina Synodus his verbis (*Sess.* 25. *Decreto de Purgator.*): *Præcipit sancta Synodus Episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam, à SS. Patribus et sacris Conciliis traditam, à Christi fidelibus credi, teneri, doceri, et ubique prædicare studeant. Apud rudem verò plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio, à popularibus concionibus secludantur. Incerta autem, vel quæ specie falsi laborant, evulgari ac tractari non permittant. Ea verò, quæ ad curiositatem quamdam aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant.* (A)

I. Fuitne hoc olim in more positum, ut pro singulis defunctis, et nunc fit, offerretur Missæ sacrificium?

R. Quemadmodùm olim ita et nunc nunquam offertur Missæ sacrificium pro uno homine vivo vel defuncto, quin simul offeratur pro omnibus. Missa enim est et fuit semper sacrificium totius Ecclesiæ.

Sed præter generalem hanc vivorum et defunctorum memoriam, is prætercà mos fuit semper, ut specialis fieret memoria seu vivorum seu mortuorum, pro quibus nominatim Sacrificium offertur. Id patet tum ex Conciliis suprà laudatis (§. *super.*), tum ex SS. Patribus et Scriptoribus Ecclesiasticis, Tertulliano, S. Cypriano, Eusebio, S. Ambrosio, S. Augustino, S. Gregorio (B): tum ex omnibus Liturgiis antiquioribus.

(A) *De his omnibus vide quæ diximus suprà hujusce Partis Sect.* 1. *Cap.* 5. §. 21.

(B) TERTULL. *de Monogamia, cap.* 10. *Vide super.* §. *litt.* (9)
S. CYPRIAN. *Ep.* 1. *aliàs* 66. *ad Clerum et plebem Furnit. Vide suprà* §. 7. *hujusce Cap. litt.* (M)

I. Quibus maximè diebus offerri Sacrificium pro singulis defunctis mos olim fuit ?

R. 1. Ipsâ die obitûs, corpore præsente. (C)

2. Tertiâ post obitum die, quia Dominus tertiâ post mortem die resurrexit. (D)

EUSEB. *lib.* 4. *de vita Constantini*, *cap.* 71. *et* S. AMBROS. *de obitu Valentini consol. et de obitu Theodosii*, *et* S. AUGUST. *lib.* 9. *Confess. cap.* 12. *Vide superiùs hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 5. § 18. *litt.* (L)

S. GREGOR. MAGN. *in Sacramentario*, *pag.* 3. *Edit. Paris. in* 4. *ann.* 1642. *col.* 2. *super diptycha.* Memento etiam Domine, famulorum famularumque tuarum *ill.* qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis. Ipsis Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eumdem, etc.

HUGO MENARDUS Monach. Bened. Cong. S. Mauri, *Notâ* 69. *in S. Gregorii Sacramentar.* Diptycha sacra tabellæ sunt, in quibus scripta erant nomina vivorum et defunctorum fidelium, quorum commemoratio in Missa fiebat.

Notâ 70. Hæc autem defunctorum commemoratio habetur in omnibus Liturgiis, juxta antiquum morem Ecclesiæ, cui semper oratio pro fidelibus defunctis in hoc liturgico Sacrificio curæ fuit, ut videre in Catechesi S. Cyrilli,.... (*Mystag.* 5....) et apud S. Augustinum lib. de cura pro mortuis gerenda c. 1.... Et lib. 9. Confess. c. 11. S. Monica dicit : *Tantùm illud rogo, ut ad altare Domini memineritis mei, ubi fueritis.*

Notâ 71. *Et dormiunt in somno pacis.* Dicuntur animæ, pro quibus hic oratur, dormire in somno pacis, non quia exemptæ sint cruciatu Purgatorii : sed quia nullâ jam animi perturbatione vexantur, nullis vitiorum stimulis lancinantur, vitam æternam omni cum securitate exspectantes.

Notâ 72. *Et omnibus in Christo quiescentibus.* Superior memoria est eorum, quorum nomina de diptychis recitata sunt : hæc autem eorum est, quorum nulla est apud homines recordatio, parentum, aut amicorum defectu : de qua S. Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda c. 4.

Vide SS. PATRUM, *auctoritates suprà allatas* §§. 11. *et* 12. *litt.* (D)

(C) TERTULL. *de anima cap.* 51. Scio quamdam vernaculam Ecclesiæ, formâ et ætate integrâ functam : post unicum et breve matrimonium, cum in pace dormisset, et morante adhuc sepulturâ, interim oratione Presbyteri componeretur, ad primum halitum orationis manus à lateribus dimotas in habitum supplicem conformasse, rursumque conditâ pace, situi suo reddidisse.

EUSEB. *lib.* 4. *de Vita Constantini*, *cap.* 71. *et* S. AUG. *lib.* 9. *Confess. cap.* 12. *n.* 3. *Vide superiùs hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 5. § 18. *litt.* (L)

(D) S. CLEMENS *seu* AUCTOR *Constitut. Apostol. lib.* 8. *cap.* 42. Quod spectat ad mortuos ; celebretur dies tertius in Psalmis lectionibus, et precibus, ob eum qui tertiâ die resurrexit ; item dies nonus in recordationem superstitum et defunctorum ; atque etiam dies quadragesimus, juxta veterem typum, Mosen enim ita luxit populus ; denique anniversarius dies, pro memoria ipsius. Ex bonis verò ejusdem detur pauperibus ad illius commemorationem.

AMALARIUS *lib.* 3. *de Divinis officiis. Vide infrà hocce* §. *litt.* (E)

ALCUINUS *de Divinis officiis*, *cap.* 50. Pro nostris defunctis certare debemus, quatenùs possint participes fieri eorum quos Christus à claustris revocavit inferni. Simili etiam modo celebramus Officia pro ipsis, quomodo celebrantur in illis diebus, quando Christus descendit ad inferna, in quibus et creditur mortuus. Denique in aliquibus locis generaliter pro omnibus defunctis omni tempore, exceptis Pentecostes et festis diebus, oratur in officio vespertinali ; in aliquibus quotidiè pro eis Missa celebratur. In Kalendis etiam, seu diebus anniversariis, per novem Psalmos et Responsoria, seu lectiones, simili modo officia persolvuntur... Quapropter ritè celebrantur illi tres dies generaliter ab omnibus infra trigesimam ; qui vocantur tertius, septimus, atque tricesimus.... Offerimus sacrificium Deo tertiâ die.... In expiatione verò diei tertii commen-

3. Die septimâ, quia hac die requievit Deus ab operibus suis. (E)

4. Die trigesimâ, propter elapsum mensem à die obitûs. (F)

5. Die anniversario, propter elapsum annum. (G)

dati defuncti, possumus ad memoriam reducere tertiam diem Resurrectionis Domini, in qua devotiùs est generaliter supplicandum. De septimo verò die habemus auctoritatem in libro Geneseos; mortuo enim Jacob in Ægypto, et translato à Joseph trans Jordanem cum comitatu maximo, celebraverunt ibidem *exsequias cum planctu magno, et fecerunt septem dies* (*Genes.* L. 10.); et alibi, *luctus mortui septem dierum....* (*Eccli.* XXII. 13.) Sanè septimus dies in Scripturis auctoritatem habet, quia septenarius numerus propter sabbati sacramentum præcipuè quietis indicium est. Undè meritò mortuis tanquam quiescentibus exhibetur. De tricesima die scriptum est in libro Numerorum: *Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, flevit super eo triginta diebus.* (*Num.* XX. 30.) *Et Moysen flevérunt filii Israël in campestribus Moab triginta diebus....* (*Deut.* XXXIV. 8.) Sed et hoc notandum, quia quòd Missæ mortuorum absque *Gloria* et *Alleluia*, seu pacis osculo celebrantur, quod est indicium lætitiæ; ad imitationem agitur Officiorum, quæ aguntur in morte Domini.

Cap. ultimo. Tertia dies specialiter pro animæ absolutione celebratur... Dies septimus nihilominùs officiis deputatur eisdem.... Cæterùm de trigesima die in Dialogorum libris legimus B. Gregorium præcepisse diebus triginta continuis pro quodam Monacho nomine Justo..... quem ipse ob scelus rei peculiaris damnaverat, Missas et Orationes percelebrari. Quibus expletis, divinâ manifestatum est revelatione, communionem Sanctorumque societatem recepisse. Hæc ergo salutifera inolevit consuetudo, ut trigesima dies defunctorum devotis frequentetur officiis.

(E) S. AMBROS. *de fide resurrect. lib.* 2. *de excessu fratris Satyri, n.* 2. Die septimo ad sepulcrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est.

N. 5. Nos quoque ipsi natales dies defunctorum, et eum quo obierunt diem, celebri solemnitate renovamus.

AMALARIUS *lib.* 3. *de Divinis officiis, cap.* 44. Missa pro mortuis in hoc differt à consueta Missa, quòd sine *Gloria* et *Alleluia* et pacis osculo celebratur. *Gloria* et *Alleluia* suavitatem et lætitiam nostris mentibus inculcant.... Notandum est etiam quòd officium pro mortuis ad imitationem agitur Officiorum, quæ aguntur in morte Domini.... Solemus eorum memorias generaliter celebrare tertiâ et septimâ et tricesimâ die.... Triginta enim diebus completur mensis.... Quando studemus ut opera amicorum nostrorum sint plena coram Deo, triginta diebus pro eis sacrificamus. Non opinor ut aliquis velit dicere, quòd non liceat nobis orare quotidiè et sacrificare Deo pro mortuis. Sed quod agitur in tertia et septima et tricesima die, publicè agitur, et generaliter ab omnibus amicis, ac convenitur simul ad hoc in precibus Missarum, atque eleemosynis et cæteris bonis studiis.

(F) ALCUIN. *et* AMALAR. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (D) *et* (E)

(G) TERTULLIAN. *De Corona Militis, cap.* 3. *Vide super.* 2. *litt.* (D)

CONSTIT. APOSTOL. *lib.* 8. *cap.* 42. *Vide superiùs hocce* §. *litt.* (D)

AMALARIUS *de Ecclesiast. Officiis, lib.* 3. *cap.* 44. *in fine.* Anniversaria dies ideò repetitur pro defunctis, quoniam nescimus qualiter eorum causa habeatur in alia vita. Sicut Sanctorum anniversaria dies, in eorum honore ad memoriam nobis reducitur super utilitate nostra: ita defunctorum, ad utilitatem illorum et nostram devotionem implendam, credendo eos aliquando venturos ad consortium Sanctorum. Alioquin omni tempore bonum est orare pro defunctis, etiamsi dies nesciatur defuncti per oblivionem seu per ignorantiam, vel prætermittatur propter occupationem aliquam terrenam: agatur tamen eorum solemnitas juxta decretum devotissimarum mentium, credo apud eum, apud quem non est vicissitudinis obumbratio, acceptam esse quasi anniversaria sit.

ALCUINUS *de Divinis Officiis, cap.* 50. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (D)

Domn. JOAN. MABILLON Monach. Bened. Cong. S. Mauri *Liturg. Gallic. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 4. Itaque Missæ oblatio fiebat etiam pro requie eorum, qui sancti credebantur, ut in Mozarabico *pro spiritibus pausantium*, seu

I. In hac dierum observatione, vereor ne quid superstitionis esse videatur ?

R. Superstitio quidem est, si observentur dies absque ulla legitima ratione. Nihil autem superstitionis est, si dies observentur, ubi subest ratio legitima. Nunquid superstitiosam quis dixerit observationem dici Dominicæ, cæterorumque dierum, quibus vel Mysteria Christi, vel Sanctorum natalitia celebrantur ? Probandus itaque mos celebrandi Missam prò defunctis ipso die obitûs, itemque die tertio, septimo, tricesimo, et anniversario post obitum.

I. Putasne nullum irrepsisse abusum in Missarum celebratione pro defunctis ?

R. Irrepserant sanè non pauci, de quibus ita loquitur Tridentina Synodus (*Sess.* 22. *Decreto de observ. et evitand. in celebrat. Missæ*) : *Cùm multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuriâ et improbitate, irrepsisse videantur, quæ à tanti Sacrificii dignitate aliena sunt ; ut ei debitus honor et cultus ad Dei gloriam et fidelis populi ædificationem restituatur, decernit sancta Synodus, ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere atque è medio tollere sedulò curent ac teneantur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis imitatrix, induxit.*

I. Quosnam abusus ibi notat Tridentina Synodus ?

R. Superfluum est eos hìc recensere, qui jam Episcoporum vigilantiâ et auctoritate sublati sunt. Multi subindè in dies irrepunt, quibus Episcopi medentur quantùm in ipsis est : hos singulos referre nihil prodest. Id dixisse sufficiat, hanc esse Ecclesiæ mentem, ut in curandis exsequiis recedant fideles à sumptibus superfluis, et fugiant quidquid sapit vanitatem et pompam seculi. Cæterùm ritus omnes ab Ecclesia præscriptos servent et teneant : nihil enim aliud est abusus, quàm usus introductus contra vel Dei vel Ecclesiæ leges. Horum abusuum unum exemplum proferre sufficiat, qui reprehenditur ubique, et tamen multis adhuc in locis viget, quidquid moneant Episcopi.

Id præcipiunt Rubricæ Missalis, ut Missæ officium quantùm fieri potest cohæreat cum Officio canonico quod eâ die celebratur, nec dicantur in Festis, quæ duplicia appellantur, cæterisque diebus solemnioribus, Missæ votivæ pro defunctis, nisi corpore præsente, vel alia gravi de causa, ob exsequiarum solemnitatem. Uno verbo, quo die ritè dici possit Missa pro defunctis, quo die non possit, monent

Confessorum : nempè ut pro eorum requie Deo gratiæ agerentur.... Gregorius in l. de Gloria Confess. c. 65. utitur etiam verbo *celebrandi*, agendo de muliere quæ « per annum integrum assiduè orationi vacabat, cele» brans quotidiè Missarum solemnia, et offerens oblationem pro anima » viri, non diffisa de Domini misericordia, quòd haberet defunctus re» quiem, in die quâ Domino oblationem pro ejus anima delibasset : sem» per sextarium Gazeti vini præbuit in sacrificium basilicæ sanctæ. » Locus sanè insignis ad probandum sacrificium pro defunctis.

omnium Ecclesiarum Missalia. Tamen plebs rudis et ignara sæpè postulat sibi celebrari Missam pro defunctis parentibus et propinquis, eo die, quo id fieri non licet; nec desunt Presbyteri, qui ignaræ plebi nimiùm obsequentes dicant ferè quotidiè Missam votivam pro defunctis per fas et nefas. Hoc abusum appello. Is ut tollatur, docendi sunt à Parochis populi, nullam dici Missam, ut exposuimus (§. *super.*) quæ non prosit vivis et defunctis. In Missis quæ dicuntur de officio diei, non secùs ac in Missis quas pro defunctis vocant, fit specialis memoria defunctorum pro quibus nominatim sacrificium offertur. Non nisi ad solemnitatem exsequiarum, cæterorumque officiorum quæ pro defunctis celebrantur diebus suprà dictis, vel ad devotionem Sacerdotis Missam votivam die non impeditâ quandoque celebraturi, ordinatæ sunt Orationes et Lectiones, ex quibus constant Missæ quæ pro defunctis appellantur. Cæterùm has Missas singulis ferè diebus celebrari non licet. Ordinem Ecclesiæ pervertunt populi, qui id quandoque importuniùs efflagitant, falsò existimantes, quæ est eorum ignorantia, Missam ejusmodi esse suis ampliùs profuturam; quem etiam Presbyteri præ nimia facilitate fovent sæpiùs abusum, à quo verisimile est plebem, si edoceretur à Sacerdote, non ita difficulter esse recessuram.

I. Fuitne antiquitùs in more positum, ut in solemnioribus exsequiis haberentur ad populum Orationes, quas funebres vocant?

R. Fuit. Exstant etiamnum Orationes habitæ à S. Ambrosio in funere Valentiniani, in funere Theodosii, in funere Satyri fratris sui: item Oratio habita à S. Gregorio Nazianzeno in funere patris sui, S. Gregorii Episcopi Nazianzeni, in funere S. Basilii, etc.

Harum Orationum is scopus esse debet ex mente Ecclesiæ, ut excitetur Christiana plebs ad mundi contemptum, ad pœnitentiam, ad mortis meditationem; proponantur ei vel exempla virtutum ad imitationem, vel rationes propter quas specialiùs orandum sit pro defunctis, quorum exsequiæ celebrantur.

§. 14. De Missis Majoribus, de iis quæ Privatæ dicuntur, item de iis in quibus solus Sacerdos communicat.

I. Quot modis celebrari potest Missæ sacrificium?

R. Duobus modis: scilicet, vel solemniter et cum omni cæremoniarum Ecclesiasticarum apparatu; vel sine solemnitate, sine cantu, sine Diaconi et Subdiaconi ministerio. Missa primo modo celebrata dicitur Missa major vel solemnis; altero modo, dicitur Missa minor vel privata; non quòd reipsà privata sit, omnes enim Missæ publicæ sunt, ut dicemus infrà: sed tamen ut Missa sine cantu celebrata privata diceretur usus obtinuit.

I. Exstantne antiquitùs exempla utriusque Missæ ?

R. Exstant plurima. Ordo Missæ solemnis habetur apud S. Justinum Martyrem, in Apologia secunda pro Christiana religione (A) : item in libro Constitutionum Apostolicarum, qui S. Clementi tribuitur, et quem constat esse primæ antiquitatis. (B) Hujus et vestigia exstant apud Ter-

(A) S. JUSTINUS Martyr. *Apolog.* 2. *paulò ante finem.* Nos autem postquam eum qui credidit et assensum præbuit sic baptizavimus, ad fratres, qui dicuntur, adducimus, ubi illi congregati sunt, communes preces, cùm pro se ipsis, tum pro illuminato, et aliis ubique gentium omnibus, animo intento fusuri : ut digni simus, qui veritate agnitâ, per opera etiam boni rerum administratores et mandatorum custodes inveniamur, quò salute servemur sempiternâ. Precibus finitis mutuo nos invicem osculo salutamus. Deindè ei qui fratribus præest offertur panis et poculum aquæ et vini : quibus ille acceptis, laudem et gloriam rerum universarum Patri per nomen Filii et Spiritûs sancti offert : et gratiarum actionem pro eo, quòd nos donis suis hisce dignatus sit, prolixè exsequitur. Qui ubi Eucharistiam perfecit, populus qui adest omnis acclamat *Amen* dicens : *Amen* autem voce Hebræâ, *Fiat* significat. Postquàm verò Præsidens gratiarum actionem absolvit, et populus universus acclamavit, qui apud nos vocantur *Diaconi* distribuunt unicuique præsentium, ut participet eum, in quo gratiæ actæ sunt, panem, vinum et aquam, et ad absentes perferunt.

Paulò post. Atque in omnibus quas offerimus oblationibus, benedicendo laudamus factorem omnium, per Filium ejus Jesum Christum, et Spiritum sanctum : et Solis, qui dicitur, die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eumdem locum conventus fit : et commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deindè Lectore quiescente, Præsidens orationem, quâ populum instruit, et ad imitationem tam pulcherarum rerum cohortatur, habet. Sub hæc consurgimus omnes, et precationes profundimus : et, sicuti retulimus, precibus peractis panis offertur, et vinum, et aqua : et Præpositus ilidem, quantùm pro viribi sua potest, preces et gratiarum actiones fundit ; et populus faustè acclamat, dicens : *Amen.* Et distributio communicatioque fit eorum in quibus gratiæ sunt actæ, cuique præsenti : absentibus autem per Diaconos mittitur.

(B) S. CLEMENS *seu* AUCTOR *Constit. quæ tribuuntur Apost. lib.* 8. *cap.* 5. Post lectionem legis, et Prophetarum, et Epistolarum nostrarum, et Actorum, atque Evangeliorum, salutet Ecclesiam ordinatus, dicens, *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei Patris, et communicatio Spiritûs sancti cum omnibus vobis* ; et omnes respondeant : *et cum spiritu tuo :* et post salutationem alloquatur populum sermone hortatorio. Quo sermone habito ad docendum, statuo ego Andreas frater Petri, ut cunctis consurgentibus, edicat Diaconus ex loco alto, *Ne quis adsit audientium, ne quis infidelium.* Et silentio facto, dicat, *Orate catechumeni.* Et omnes fideles attentè pro ipsis orent, dicentes, *Kyrie eleyson.* Ministret verò pro eis Diaconus, dicens : *Omnes pro catechumenis Deum obsecremus, etc.*

Cap. 6. *Adhuc intentis mentibus pro eis supplicemus, ut adepti per Baptismum veniam peccatorum, habeantur digni sanctis Mysteriis Eucharistiæ, et cum sanctis commorari ac permanere. Surgite Catechumeni, petite pacem Dei per Christum ejus, ac diem quietum et à peccato vacuum, immò omne tempus vitæ vestræ : petite ut vitam Christianè finiatis, ut propitius et benevolus sit vobis Deus ; et ut peccata remittat. Commendate vos soli ingenito Deo per Christum ejus ; inclinate, et accipite benedictionem.* In singulis horum, quæ Diaconus dicit, ut antè diximus, respondeat populus, *Kyrie eleyson*, et ante omnes respondeant pueri, et inclinantibus eis capita, benedicat Episcopus ordinatus hujusmodi benedictione : *Deus omnipotens, etc....* Et posteà dicat Diaconus, *Exite catechumeni in pace :* et postquam exierint, dicat, *Energumeni, quos spiritus immundi agunt, adhibete cuncti preces Deo. Intentè pro eis precemur, ut summâ in homines charitate Deus increpet per Christum immundos et malos spiritus.... Deprecemur adhuc*

intentè pro ipsis, libera et suscita eos Deus tuâ potentiâ. Inclinate energumeni, et accipite benedictionem. Et Episcopus precetur illis dicens: *Qui fortem ligasti, etc.*

Cap. 7. Et dicat Diaconus, *Exite energumeni:* ac post egressum eorum dicat, *Orate, qui Baptismum petitis. Omnes fideles intentè pro eis oremus, ut Dominus faciat eos dignos, ut baptizati in mortem Christi, cum ipso resurgant....* Deindè postquam se signaverint in nomine Dei Patris per Christum ejus, seque inclinaverint, accipiant ab Episcopo hanc benedictionem: *Qui per tuos sanctos Prophetas, etc.*

Cap. 8. Et dicat Diaconus, *Exite qui illuminamini.* Et posteà dicat, *Precamini intentè, qui in pœnitentia estis. Omnes pro fratribus qui in pœnitentia sunt preces adhibeamus, ut misericors Deus ostendat eis viam pœnitentiæ.... Deprecemur adhuc intentius pro eis, quoniam gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente* (**Luc** XV. 7.): *Deprecemur, inquam, ut aversi ab omni opere illicito, applicent se ad omne opus bonum.... Adhuc intentè omnes pro ipsis dicamus, Kyrie eleyson. Salva eos Deus, et misericordiâ tuâ suscita. Qui suscitati estis Deo per Christum ejus inclinate, et accipite benedictionem.* Precetur igitur Episcopus in hunc modum: *Omnipotens Deus æterne, etc.*

Cap. 9. Et dicat Diaconus, *Exite, qui in pœnitentia estis:* et adjiciat: *Nemo eorum, quibus non licet, exeat. Omnes fideles flectamus genu, oremus Deum per Christum ejus, omnes intentè obsecremus Deum per Christum ejus.*

Cap. 10. *Oremus pro pace, et pro tranquillitate mundi, et sanctarum Ecclesiarum, ut Deus universi pacem suam perpetuam, et quæ tolli non possit, nobis tribuat, ut conservet nos perseverantes in plenitudine virtutis ex pietate erga Deum. Oremus pro Catholica et Apostolica cuncti orbis Ecclesia, ut custodiat eam Dominus, ac conservet à motibus et turbulentis fluctibus liberam, fundatam usque ad consummationem seculi super petram. Oremus etiam pro hac sancta paræcia, ut Dominus universorum benignè nobis tribuat, ut spem ejus cœlestem non remissè insequamur, et perpetuum precationis debitum ei solvamus. Oremus etiam pro omni Episcopatu totius orbis eorum qui rectè tractant verbum tuæ veritatis, et pro Episcopo nostro Jacobo, et pro paræciis ejus; item pro Episcopo nostro Clemente, et pro paræciis ejus; item pro Episcopo nostro Evodio, et pro paræciis ejus, ut Deus miserationum concedat Ecclesiis suis sanctis, ut salvi, honorati, et diuturnâ vitâ sint, tribuatque eis honoratam senectutem in pietate et justitia. Oremus præterea pro Presbyteris nostris, ut Dominus liberet eos ab omni re fœda et prava; atque eis honoratum Presbyteris gradum. Oremus item pro omnibus Diaconis, et Ministris, ut tribuat eis Dominus ministerium sine quereta ullius. Oremus quoque pro lectoribus, anctoribus, virginibus, viduis, et orphanis. Oremus etiam pro iis qui sunt in conjugio, et liberorum procreationi operam dant, ut tribuat eis Dominus misericordiam. Oremus pro Eunuchis sanctè ambulantibus. Oremus pro iis qui vivunt in continentia, et reverentia erga Deum. Oremus pro iis qui in Ecclesia oblationes faciunt, et pauperibus largiuntur elecmosynas. Oremus pro iis qui sacrificia et primitias offerunt Domino Deo nostro, ut qui est undique bonus Dominus, suis cœlestibus donis eos remuneret, detque eis in hoc seculo centuplum, et in futuro vitam sempiternam, largiaturque eis pro caducis æterna, et pro terrenis cœlestia. Oremus pro fratribus nostris recèns baptizatis, ut firmet stabilitatque eos Dominus. Oremus pro fratribus nostris, qui morbis conflictantur, ut Dominus liberet eos ab omni morbo, et omni invaletudine, et restituat sanos Ecclesiæ suæ sanctæ. Oremus pro navigantibus, et iter facientibus. Oremus pro iis qui sunt propter nomen Domini in metallis, et exiliis, et custodiis, et vinculis. Oremus pro iis, qui durâ servitute premuntur. Oremus pro inimicis, et qui nos oderunt. Oremus pro iis, qui nos propter nomen Domini persequuntur, ut mitigato eorum furore, eorum adversùs nos iram dissipet. Oremus pro iis, qui foris sunt, et in erroribus versantur, ut Dominus convertat eos. Recordemur etiam infantum Ecclesiæ, ut eos Dominus perfectos in timore suo reddat, et admensuram ætatis perducat. Oremus pro nobis mutuò, ut nos Dominus gratiâ suâ usque ad finem custodiat, ac nos ab omni malo omnibusque scandalis operantium iniquitatem eripiat, et salvos in regnum suum cœleste servet. Oremus pro omni anima Christiana: salva et suscita nos Deus misericordiâ tuâ. Surgamus intente*

orantes, nosque ipsi, et alii alios Deo viventi per Christum ejus commendemus. Oret Episcopus, et dicat: *Domine omnipotens, celsissime, etc.*

Cap. 11. Ac postcà dicat Diaconus, *Attendamus*, et salutet Episcopus Ecclesiam et dicat: *Pax Dei cum omnibus vobis;* et respondeat populus, *et cum spiritu tuo.* Et Diaconus dicat omnibus, *Osculamini vos mutuò, osculo sancto*, et Clerici osculentur Episcopum, et viri laïcos, et feminæ feminas. Pueri stent apud suggestum, et præsit eis alius Diaconus, ne turbent ordinem. Alii item Diaconi deambulent, et contemplentur viros et mulieres, ne quis fiat strepitus, ne quis nutus faciat, aut mussitet, aut dormitet. Diaconi autem stent ad januas, quibus viri in templum ingrediuntur; et Hypodiaconi ad januas, quibus mulieres, ne quis egrediatur, neve aperiatur janua tempore oblationis, quamvis sit aliquis fidelis: unus autem Hypodiaconus ministret aquam Sacerdotibus ad lavandum manus, quod est signum puritatis animarum, quæ Deo dicatæ sunt.

Cap. 12. Statim edicat Diaconus: *Ne quis ex catechumenis: ne quis ex audientibus: ne quis ex infidelibus; ne quis ex hæreticis. Qui primam precationem fecistis, exite. Quæ matres estis, pueros assumite. Ne quis contra quempiam. Ne quis in hypocrisi: Stemus erecti Domino cum metu et tremore, ad offerendum.* His peractis adhibeant Diaconi dona ad altare Episcopo, et Presbyteri ad dextram et lævam ejus, ut discipuli magistro assistant. Duo verò Diaconi ex utraque parte altaris teneant flabella ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, ut parva animalia volitantia abigant, ne in calicem incidant. Igitur Episcopus precationem silentio faciens unà cum Sacerdotibus, et splendidam vestem indutus, et stans ad altare, et facto manu in fronte trophæo crucis, dicat: *Gratia omnipotentis Dei, et charitas Domini nostri Jesu Christi, et communicatio sancti Spiritûs sit cum omnibus vobis.* Et omnes unà voce respondeant, *Et cum spiritu tuo.* Ac rursùm Episcopus, *Sursùm mentem*, respondeant omnes, *Habemus ad Dominum.* Et Episcopus, *Gratias agamus Domino:* et omnes, *Dignum et justum est.* Deinceps dicat Episcopus, *Verè dignum et justum est, laudare ante omnia te Deum verum: te, qui ex æternitate ante conditum universum existis: ex quo omnis paternitas in cœlo et in terra nominatur* (*Ephes.* III. 5.) *te solum ingenitum, etc....* Et omnis populus dicat, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, plenum est cœlum et terra gloriâ ejus, benedictus in secula, Amen.* Et dicat postèà Episcopus: *Sanctus enim verè es, et ex omni parte sanctus: excelsus, et supraquam excelsus in secula. Sanctus autem unigenitus tuus Filius Dominus noster et Deus Jesus Christus, qui.... excitatusque est à mortuis die tertio: et cum discipulis quadraginta diebus commoratus, assumptus est in cœlos, et sedet ad dextram tuam, qui Deus, et Pater ejus es. Memores igitur eorum, quæ causâ nostrâ sustinuit, gratias agimus tibi, Deus omnipotens, non quas debemus, sed quas possumus. Constitutionemque ejus implemus.* (1. *Cor.* XI. 23.): *in qua enim nocte tradebatur, cùm accepisset panem sanctis et ab omni labe puris manibus suis, sustulissetque oculos ad te Deum suum, ac Patrem, ac fregisset, dedit discipulis suis, dicens, Hoc est Mysterium novi Testamenti* (*Ibid* 24. *et seq. Matth.* XXVI. 28.): *Accipite ex eo, comedite: hoc est corpus meum, quod pro multis frangitur in remissionem peccatorum. Similiter et calicem postquam miscuit ex vino et aqua et sanctificavit, dedit eisdem, dicens: Bibite ex eo omnes; hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc facite in meam commemorationem: quotiescunque enim manducabitis panem, et biberitis calicem hunc, mortem meam annuntiabitis, donec veniam; Quare memores passionis ejus, et mortis, ejusque resurrectionis à mortuis, et reditûs in cœlum, atque adventûs ejus secundi, qui futurus est cùm veniet cum gloria et potestate, ad judicandos vivos et mortuos, et reddendum unicuique secundùm opera ejus, offerimus tibi Regi et Deo, sicut ipse constituit panem hunc et calicem hunc, gratias agentes tibi per eum, quia à te dignati sumus stare in conspectu tuo, et tibi fungi Sacerdotio. Ac te precamur, ut in hæc munera coram proposita benevolè aspicias tu Deus nullius indigens, et benè placeas in eis in honorem Christi tui: et mittas super hoc sacrificium sanctum tuum Spiritum testem passionum Domini Jesu ut efficias panem hunc corpus Christi tui, et calicem hunc sanguinem Christi tui: ut qui cum participarint, ad pietatem firmentur; remissionem peccatorum consequantur; à fallaciis diaboli liberentur; Spiritu sancto im-*

pleantur ; digni Christo tuo fiant, vitamque sempiternam adipiscantur, te illis reconciliato Domine omnipotens. Adhuc precamur te Domine, pro Ecclesia tua sancta à finibus usque ad fines propagata, quam pretioso sanguine Christi tui acquisivisti, ut eam extra motus, et fluctus, ac tempestates usque ad consummationem seculi conserves; et pro omni Episcopatu rectè tractante verbum veritatis. Adhuc obsecramur te, Domine, pro me qui sum nihili, qui tibi oblationem facio, et pro universo Presbyterio, pro Diaconis, et toto Clero, ut omnes sapientiam doceas, et Spiritu sancto impleas. Adhuc obsecramus te, Domine, pro Rege, et omnibus qui in sublimitate sunt, et pro toto exercitu, ut pacem habeant nobiscum : ut totum vitæ nostræ tempus in quiete et concordia traducentes, glorificemus te per Jesum Christum, qui est spes nostra. Adhuc offerimus tibi pro omnibus Sanctis, qui à seculo tibi placuerunt, Patriarchis, Prophetis, Justis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus, Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis, Lectoribus, Cantoribus, Virginibus, Viduis, Laïcis : et pro omnibus quorum tu nosti nomina. Adhuc offerimus tibi pro populo hoc, ut in laudem Christi tui declares eum regale Sacerdotium, gentem sanctam : pro virginibus et castis, pro viduis Ecclesiæ, pro iis qui sunt in conjugio honesto, et dant operam liberis, pro infantibus populi tui, ut nullum nostrûm repudies. Adhuc rogamus te pro hac urbe, et incolis ejus ; pro ægrotis, pro dura servitute pressis, pro exulibus, pro proscriptis, pro navigantibus, et iter facientibus, ut sis auxiliator, omnium adjutor et susceptor. Adhuc obsecramus te etiam pro iis qui oderunt nos. et nos propter nomen tuum insectantur : pro iis qui sunt foris, et errant, ut convertas ad id quod bonum est, et eorum furorem mitiges. Adhuc obsecramus te pro Catechumenis Ecclesiæ, et pro iis qui vexantur ab alieno spiritu, et pro iis qui sunt in pœnitentia : ut catechumenos in fide perficias, energumenos expulso actu mali dæmonis repurges : pœnitentes recipias, et delicta tum eis, tum nobis nostra remittas. Adhuc offerimus tibi pro temperatione aëris, et frugum ubertate, ut bonis tuis sine penuria fruentes, sine intermissione laudemus eum, qui dat pastum omnibus animantibus. Obsecramus te quoque pro iis qui sunt absentes, qui scilicet habent absentiæ suæ causam probabilem : ut nos omnes in pietate conserves, et congreges in regno Christi tui.... Et omnis populus respondeat, *Amen.* Et dicat Episcopus, *Pax Dei sit cum omnibus vobis.* Et cunctus populus respondeat, *Et cum Spiritu tuo.* Ac rursùs dicat Diaconus :

Cap. 13. *Etiam atque etiam deprecemur Deum per Christum ejus pro munere oblato Domino Deo : ut Deus, qui bonus est, suscipiat illud per mediatorem Christum in cœleste suum altare in odorem suavitatis : item pro hac Ecclesia, et populo ; item pro omni Episcopatu, pro cunctis Presbyteris, et pro omni ministerio cum Christo, et pro famulatu totius cœtûs Ecclesiæ : ut universos conservet ac custodiat Dominus ; pro Regibus, et iis qui in sublimitate sunt, ut sit illis nobiscum pax : ut quietam et tranquillam vitam degentes, in omni pietate et honestate vivamus. Memoremus Martyres sanctos, ut mereamur certaminis eorum participes fieri. Precemur quoque pro iis qui in fide requieverunt : item pro cœli temperatione, et maturitate frugum. Precemur etiam pro recenter baptizatis, ut omnes in fide stabiliantur, cuncti se mutuò exhortentur ; suscita nos Deus in gratia tua ; et suscitati per Christum ipsum commendemus nos Deo.* Et dicat Episcopus, *Magne....* Et postquam omnes responderint, *Amen*, Diaconus dicat, *Attendemus*, et Episcopus edicat populo in hunc modum, *Sancta sanctis.* Et populus subaudiat, *Unus sanctus, unus Dominus, unus Christus in gloriam Dei Patris benedictus in secula, Amen. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax : in hominibus bona voluntas : Osanna filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et apparuit nobis : osanna in altissimis.* Et posteà sumat Episcopus, deindè Presbyteri, et Diaconi, et Hypodiaconi, et Lectores, et Cantores, et Ascetici, et ex feminis Diaconissæ, ac Virgines, et Viduæ : postea pueri, et deindè cunctus populus ordine cum pudore et reverentia, sine tumultu et strepitu. Atque Episcopus quidem tribuat oblationem dicens : *Corpus Christi.* Et qui accipit, dicat, *Amen.* Diaconus verò retineat calicem ; et tribuens aliis, dicat, *Sanguis Christi calix vitæ* : et qui bibit, dicat, *Amen.* Recitetur verò Psalmus trigesimus tertius, dùm cæteri omnes communicant. Et post communionem omnium tum virorum, tum mulierum, sumant Diaconi reliquias, et inferant in tabernaculum ; et

tullianum in Apologetico. (C) Uno verbo de hoc tota antiquitas.

Nec recentior est usus Missarum quæ privatæ dicuntur : ut constat ex Tertulliano, S. Cypriano, Eusebio, Sozomeno, S. Gregorio Nazianzeno, Paulino in Vita S. Ambrosii, S. Augustino, S. Gregorio magno. (D) Item ex Conciliis, Agathensi

Diaconus, postquam finem fecerit qui psallit, dicat : *Qui pretiosum corpus, etc.*

Cap. 14. *Surgamus in gratia Christi ; et nos ipsi Deo soli, ingenito Deo, et Christo ejus commendemus.* Et Episcopus agit gratias : *Domine Deus omnipotens, etc.*

Cap. 15. Et dicat Diaconus : *Deo per Christum ipsius inclinate ; et accipite benedictionem :* et Episcopus precetur, dicens : *Deus omnipotens, etc.* Et Diaconus dicat, *Ite in pace.*

Vide ejusdem Auctoris lib. 2. *cap.* 57. *infrà hujusce Cap.* §. 21. *litt.* (C)

(C) Tertullian. *Apolog. cap.* 39. Corpus sumus de conscientia religionis, et disciplinæ unitate, et spei fœdere. Coimus ad Deum, quasi manufacta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Ministris eorum, ac Potestatibus, pro statu seculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad Litterarum divinarum commemorationem ; si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominùs inculcationibus densamus. Ibidem etiam exhortationes, castigationes, et censura divina. Nam et judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu : summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, et conventûs, et omnis sancti commercii relegetur. Præsident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti, neque enim pretio illa res Dei constat.... Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit. Id vocatur quod dilectio penès Græcos. Quantiscunque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum. Siquidem inopes quosque refrigerio isto juvamus, non quà penès vos parasiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis sub auctoramento ventris inter contumelias saginandi ; sed quà penès Deum major est contemplatio mediocrium. Si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinæ æstimate, qui sit de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodestiæ admittit. Non priùs discumbitur, quàm oratio ad Deum prægustetur. Editur quantùm esurientes cupiunt : bibitur quantùm pudicis est utile : ita saturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse : ita fabulantur, ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem et lumina, ut quisque de Scripturis sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. Indè discedituur non in catervas cæsionum, neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quàm disciplinam. *Hæc Tertullianus de Agapis quæ ante vel post sacrificium suo tempore fiebant.*

(D) Tertullian. *De fuga in persecut. cap.* 14. Quomodo colligemus, inquit, quomodo Dominica solemnia celebrabimus? Utique quomodo Apostoli ; fide, non pecuniâ tuti... Esto sapientiâ, non præmio cautus... Postremò, si colligere interdiù non potes, habes noctem, luce Christi luminosam. Non potes discurrere per singulos, sit tibi et in tribus Ecclesia.

S. Cyprian. *Epist.* 5. *Presbyt. et Diacon.* Peto quoque ad procurandam quietem solertia et sollicitudo vestra non desinat : nam et si fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conveniendum et visitandum Confessores bonos.... tamen cautè hoc, et non glomeratim, nec per multitudinem simul junctam puto esse faciendum : ne ex hoc ipso invidia conciletur, et introeundi aditus denegetur, et dùm insatiabiles multum volumus, totum perdamus. Consulite ergo et providete, ut cum temperamento hoc

agi tutiùs possit: ita ut Presbyteri quoque, qui illic apud Confessores offerunt, singuli cum singulis Diaconis per vices alternent: quia et mutatio personarum, et vicissitudo convenientium minuit invidiam. Circa omnia enim mites et humiles, ut servis Dei congruit, temporibus servire, et quieti prospicere, et plebi providere debemus.

EUSEBIUS *lib.* 4. *de vita Constant. cap.* 17. *Vide* §. *seq. litt.* (E) *Et cap.* 45. *Vide suprà* §. 10. *hujusce Cap. litt.* (C)

SOZOMENUS *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 8. Constantinus in palatio Ecclesiam ædificavit: et quoties ad bellum proficisceretur, tabernaculum ad Ecclesiæ similitudinem fabricatum circumferre consueverat: ita ut ne quidem in solitudine constitutus, tam ipse, quàm exercitus ejus, sacrâ æde careret, in qua Deum laudare, ac preces fundere, et sacra mysteria percipere possent. Sequebantur enim Sacerdotes et Diaconi tabernaculo assidentes, qui juxta Ecclesiæ ritum ejusmodi officia obirent. Atque ex eo tempore, Romanorum legiones quæ nunc Numeri vocantur, singulæ proprium sibi tabernaculum facere cœperunt, et Sacerdotes ac Diaconos proprios ac peculiares habere. Prætereà die Dominico, quem Hebræi quidem primum Sabbati appellant, gentiles verò Soli consecraverunt: et eo qui Sabbatum antecedit, cunctos à judiciis aliisque negotiis feriari præcepit, precibusque ac supplicationibus Deum colere: ac Dominicum quidem diem ideò honoravit, quòd Christus eo die à mortuis surrexisset: diem verùm, qui Sabbatum antecedit, eò quòd Christus crucifixus tùm fuisset.

S. GREGOR. NAZIANZ. *Orat.* 19. *funebr. in laudem patris sui mortui, n.* 32. (Paschalis) mysterii tempus aderat, et veneranda statio, atque ordo, ad ea quæ celebrantur, quietem et silentium tenens, cùm ille ab eo qui mortuos ad vitam revocat, et à nocte sacrosancta excitatur. Primò paulùm se movet, deindè firmiùs: mox exiguâ admodùm et obscurâ voce famulum quemdam ex iis, qui ei assistebant, nominatim accitum præstò esse, ac vestem porrigere, manumque subjicere jubet. Qui cùm non sine stupore adesset, promptèque obsequeretur, ipse manu tanquam baculo ductus, Mosem illum in monte orantem imitatur. Fractis ac debilitatis manibus ad orationem compositis, alacri animo cum populo, vel ante populum mysteria peragit, paucis quidem, et quibus poterat, verbis, mente autem, ut mihi videtur, perquàm integrâ (rem miram!) sine sacrario in sacrario, sine altari sacrificus, Sacerdos è mysteriis procul remotus.... Posteà cùm Eucharistiæ verba ita ut consuetudo fert, effatus esset, ac populum benedixisset, in lectulum rursùm se conjicit..... In templum se confert, ac cum omni Ecclesiæ agmine salutis incænia celebrat, atque in grati animi significationem sacrificium offert.

N. 41. Nam cùm nunquam non dolore premeretur, et quidem persæpè singulis diebus, atque interdùm etiam horis, ex sola Liturgia robur concipiebat, et morbus tanquam ex edicto et imperio fugatus, se subducebat.

Oratio II. *in laudem sororis suæ Gorgoniæ, n.* 22. Desperatis omnibus aliis auxiliis, ad mortalium omnium medicum confugit, atque intempestâ nocte captatâ, cùm morbus nonnihil remisisset, ad altare cum fide procumbit, eumque, qui super ipso honoratur, cum ingenti clamore invocans.... eam, quæ Christi fimbriâ sanguinis profluvium compresserat imitatur.... Cùm caput suum pari cum clamore, lacrymisque, quibus abundabat.... (mulierculæ illius instar, quæ olim Christi pedes rigavit) altari admovisset, nec se priùs illud dimissuram esse denuntiasset, quàm sanitatem obtinuisset, ac deindè hoc suo pharmaco corpus totum perfudisset, et si quid uspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset; (ò rem admirandam!) statim liberatam se morbo sentit, atque et corpore, et animo, et mente levis discedit, pro spei mercede, id, quod spectaverat, consecuta, et per animæ robur, corporis robur accipiens.

PAULINUS Diac. *in vita S. Ambrosii in append. tom.* 2. *Operum* S. AMBROS. *edit. BB. n.* 10. Per idem tempus cùm trans Tiberim apud quamdam clarissimam invitatus, sacrificium in domo offerret, quædam balneatrix quæ paralytica in lecto jacebat, cùm cognovisset ibidem esse Domini Sacerdotem, in sellula se ad eamdem domum, ad quam ille invitatus

venerat, portari fecit, atque orantis et imponentis manus vestimenta attigit : quæ cùm oscularetur, statim sanitate receptâ, ambulare cœpit.

S. Aug. *de Civit. Dei*, *lib.* 22. *cap.* 8. *n.* 6. Vir Tribunitius Hesperius apud nos est, habet in territorio Fussalensi fundum Zubedi appellatum, ubi cùm afflictione animalium et servorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogavit nostros, me absente, Presbyteros, ut aliquis eorum illò pergeret, cujus orationibus cederent. Perrexit unus, oblulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantùm potuit, ut cessaret illa vexatio : Deo protinùs miserante cessavit.

S. Gregor. Magn. *Homil.* 37. *in Evang. n.* 7. Mittamus ad hunc (ad Christum).... legationem nostram, flendo, tribuendo, sacras hostias offerendo. Singulariter namque ad absolutionem nostram, oblata cum lacrymis et benignitate mentis, sacri altaris hostia suffragatur : quia is qui in se resurgens à mortuis jam non moritur, adhuc per hanc in suo mysterio pro nobis iterùm patitur. Nam quoties ei hostiam passionis offerimus, toties nobis ad absolutionem nostram, passionem illius reparamus.

N. 8. Non longè à nostris fertur temporibus factum, quòd quidam ab hostibus captus longè transductus est : cumque diù teneretur in vinculis, cum uxor suà cùm ex eadem captivitate non reciperet, exstinctum putavit. Pro quo jam velut mortuo hostias hebdomadibus singulis curabat offerre. Cujus toties vincula solvebantur in captivitate, quoties ab ejus conjuge oblatæ fuissent hostiæ pro animæ ejus absolutione. Nam longa post tempora reversus, admirans valdè suæ indicavit uxori, quòd diebus certis, hebdomadibus singulis, ejus vincula solvebantur. Quos videlicet dies ejus uxor atque horas discutiens, tunc eum recognovit absolutum, cùm pro eò sacrificium meminerat oblatum. Hinc ergo, fratres charissimi, hinc certà considerationè colligite, oblata à nobis hostia sacra quantùm in nobis solvere valeat ligaturam cordis, si oblata ab altero potuit in altero solvere vincula corporis.

N. 9. Multi vestrûm, fratres charissimi, Cassium Narniensis urbis Episcopum noverunt : cui mos erat quotidianas Deo hostias offerre, ita ut nullus dies vitæ ejus abscederet, quo non omnipotenti Deo hostiam placationis immolaret. Cui cum sacrificio valdè concordabat vita. Nam cuncta quæ habebat in elcemosynis tribuens, cùm ad horam offerendi sacrificii venisset, velut totus in lacrymis defluens, semetipsum cum magna cordis contritione mactabat..... Levis hunc (*Episcopum Cassium*) in vigiliis calor attigit, atque ipso die natalitio filiis suis se exspectantibus, Missarum solemnia implere se posse recusavit. Illi verò qui de ejus erant pariter egressione suspecti, simul ad eum omnes venerunt, sese unanimiter adstringentes, ut die eodem nequaquam acquiescerent Missarum solemnia celebrari, nisi pro eis apud Dominum idem Antistes suus intercessor accederet. Tunc ille compulsus, in Episcopii oratorio Missas fecit, et manu suâ corpus Dominicum pacemque omnibus tribuit. Qui cuncto ministerio oblati sacrificii peracto, ad lectulum rediit, ibique jacens, dùm Sacerdotes suos ac ministros circumstetisse cerneret, quasi vale ultimum dicens, de servando eos vinculo charitatis admonebat, et quantà debuissent concordià inter se uniri prædicabat.

Epist. 43. *lib.* 6. *aliàs* 42. *lib.* 5. *ad Venantium Patritium.* Nos tamen ut hoc eo scribente comperimus, illicò illi scripsimus (*Joanni Episc. Syrac.*), admonentes ut et oblationes vestras sicut antè susciperet, et Missas in domo vestra non solùm celebrari permitteret, sed si velitis ipse peragueret.

Epist. 44. *lib.* 6. *aliàs* 43. *lib.* 5. *ad Joann. Epis. Syrac.* Quamvis causa fuerit, quæ fraternitatis vestræ animos ad iracundiam non immeritò provocaret, ut nec oblationes Domini Venantii voluisselis suscipere, nec in domo ipsius sacra Missarum sinceris solemnia celebrari : tamen quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullum nos jurgium à charitatis valeat connexione disjungere : proindè sanctitatem vestram adhortamur, quatenùs et oblationes antedicti viri omnimodò in dulcedine et Deo placità debeatis sinceritate suscipere : et in domo ipsius Missarum peragi mysteria permittatis.... (Et) si fortassè voluerit, per vos debeatis accedere, et celebrando apud eum Missas priorem gratiam reformare.

Uranium *in vita S. Paulini vide* 2. *seq. litt.* (C)

an. 506. Aurelianensi I. an. 511. Vasionensi an. 529. (E) Quid plura ex venerabiliori antiquitate, ex seculis purioribus, ut cum Protestantibus loquar. (F)

(E) CONCIL. AGATHENS. *ann.* 506. *can.* 21. Si quis etiam extra parochias, in quibus legitimus est ordinariusque conventus, Oratorium in agro habere voluerit; reliquis festivitatibus, ut ibi Missas teneat propter fatigationem familiæ, justâ ordinatione permittimus: Pascha verò, Natale Domini, Epiphania, Ascensionem Domini, Pentecosten, et Natalem S. Joannis Baptistæ, vel si qui maximi dies in festivitatem habentur, non nisi in civitatibus aut in Parochiis teneant. Clerici verò, si qui in festivitatibus quas suprà diximus, in Oratoriis, nisi jubente aut permittente Episcopo, Missas facere aut tenere voluerint, à communione pellantur.

CONCIL. AURELIANENSE I. *ann.* 511. *Can.* 25. Ut nulli civium Paschæ, Natalis Domini, vel Quinquagesimæ solemnitatem in villa liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

CONCIL. VASENSE II. *ann.* 529. *can.* 3. Placuit etiam nobis ut.... et in omnibus Missis, seu in matutinis, seu in quadragesimalibus, seu in illis quæ pro defunctorum commemoratione fiunt, semper *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* eo ordine, quomodo ad Missas publicas dicitur, dici debeat.

(F) BONA Cardinal. *Liturg. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 1. Semper viguit in Ecclesia privatæ Missæ, uno saltem præsente et ministrante, laudabilis consuetudo.... Sive enim dicatur privata à loco, quia in privato aliquo Oratorio agitur: sive à tempore, quia non festis, sed privatis diebus fit: sive ab assistentibus, quia vel unus duntaxat, vel pauci ei intersunt: sive ex eo quòd solus in ea communicet: sive alia quacunque ex causa; semper eam licitam semperque in usu fuisse probatissimis veterum Patrum testimoniis et exemplis demonstrabo. Nam 1°. Apostoli circa domos panem frangebant, Eucharisticum videlicet, ut illorum Acta testantur. Viros deindè Apostolicos, qui eos proximè secuti sunt, sæpè privatim celebrasse in domibus, in carceribus, in cryptis, in cœmeteriis, in tuguriis, ex his quæ hîc.... dicemus manifestum erit. Tertull. *lib. de fuga in persecut. cap.* 14. (*Vide suprà hocce* §. *litt.* (D))... ac si diceret, Si die lucescente, atque omnibus congregatis celebrari non potes, noctu celebra et privatim, etiam si vel tres soli præsentes sint.... Scribit Eusebius *in vita Constantini lib.* 4. *cap.* 17. (*Vide* §. *seq. litt.* (E)) cum statim post baptismum Oratorium in palatio exstruxisse: quin et ambulatoriam Ecclesiam sive motorium templum habuisse, cùm in castra proficiscebatur, cujus exemplum nobiles Palatinos posteà secutos esse narrat Sozomenus *lib.* 1. *cap.* 8. (*Vide suprà hocce* §. *litt.* (D)) ne Missæ Sacrificio etiam in castris carerent.... Marcellum Papam sæpè in domo Lucinæ celebrasse acta ejus commemorant. Gregorius Nazianz. *orat.* 19. *in laudem patris*, (*Vide suprà ibi l.*) cum in cubiculo suo sacrum egisse asseverat, et *in encomio sororis suæ Gorgoniæ* domesticum ei altare fuisse testatur. Meminit etiam Oratorii privati Avitus Viennensis *Epist.* 6. *ad Victorium Episc.* Paulinus Nolanus ante lectulum suum parari sibi altare jussit, ibique Sacrificium obtulit, Uranio teste *in ejus vita* (*Vide* §. *seq. litt.* (C)), paucis horis antequàm moreretur. De Ambrosio hoc refert Paulinus Presbyter qui gesta ejus conscripsit.... S. Aug. *lib.* 22. *de Civit. cap.* 8. (*Vide suprà hocce* §. *litt.* (D)) missum fuisse ait unum ex Presbyteris in domum cujusdam Hesperii à malignis spiritibus vexatam, qui obtulit ibi sacrificium corporis Christi, et cessavit vexatio. « Cabades Rex Persarum (*Vide ibid.*), » *ut Theophanes scribit ann. Christi* 508. audiens ingentium pecuniarium » et pretiosi lapidis congeriem in quodam castro repositam esse, eum » occupare conabatur. Dæmones autem ipsum thesaurum custodientes » impedimento illi erant; quare admotâ Magorum et Judæorum arte, » nec eo potitus, Episcopum Christianum præcepit adduci, qui peractâ » synaxi et particeps factus divinorum mysteriorum dæmones expulit. »... Chrysostomus *Homil.* 3. *in Epist. ad Ephes. et* 17. *ad Hebræos*, quotidianam oblationem suo tempore fieri solitam affirmat; idemque Hieronymus asserit *in Cap.* 1. *Epist. ad Titum.* Conc. Agathen. *can.* 21. (*Vide suprà hocce* §. *litt.* (E))... S. Gregor. Magn. *lib.* 5. *Epist.* 43. ut et *Homil.* 37. *in Evangel.* Joannes Eleemosynarius, ut Leontius narrat in ejus vita cap. 42. (*Ibid.*

litt. (D)).... *Ego propter vos descendo in sanctam Ecclesiam, nam Missas poteram mihimet facere in Episcopio.* Barlaam Presbyter, ut ex Joannis Damasceni narratione didicimus, in cubiculo Josaphat, ipso solo præsente, sacrum peregit. Vener. Beda *lib.* 4. *histor. Anglorum, cap.* 14. pestiferam mortalitatem intercessione Oswaldi Regis sublatam describens, Missas ait celebratas fuisse per cuncta monasterii Oratoria pro gratiarum actione. Plura autem Oratoria loco et situ separata in Monasteriis exstruere usus antiquissimus fuit; nam S. Benedictus, teste Gregor. Magn. (*l.* 2. *dialog. c.* 8.) in montis Cassini summitate duo ædificavit, unum S. Joannis-Baptistæ, alterum S. Martini : et Maurus ejus discipulus, teste Fausto *in vita ipsius*, qualuor in suo monasterio construxit, in honorem sanctorum Petri Aposloli, Martini, Severini, et Michaelis Archangeli. Concil. Toletan. XVI. *cap.* 8. quotidiè Missas peculiares pro Rege et filiis celebrari præcepit. Exstat et rescriptum Zachariæ Papæ ad Pipinum Regem, mandans nullum Oratorium pro Missis privatis, nisi priùs dotatum, ab Episcopo consecrari. Theodulphus Aurelianens. (*in suo Capitulari cap.* 45.) decrevit ut Missæ quæ per dies Dominicos, peculiares à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, ut per eas populus à publicis Missarum solemnibus, quæ horâ tertiâ canonicè fiunt abstrahatur. In Chronico Centulensi *Tom.* 4. *Spicilegii lib.* 2. *c.* 11. exstat Constitutio Angelberti Abbatis, quâ præcipit singulis diebus triginta saltem Missas in diversis altaribus à Monachis agi, in quibus memoria haberetur Adriani Papæ et Caroli Magni qui tunc vivebant : Grodegandus Metensis Episcopus, qui tempore Pipini vixit *in Regula Canonicorum Tom.* 1. *Spicilegii edita c.* 42. meminit eleemosynæ datæ Sacerdotibus pro Missis privatis.... Jonas Aurelianens. *l.* 1. *Institut. Laical. c.* 11. *Tom.* 1. *Spicil.* ait Sacerdotes tunc solitos fuisse Sacrificium Deo offerre in ædiculis extra templum ædificatis. *Cætera vide apud Auctorem, et n.* 3. *infrà* §. 16. *litt.* (K)

BOCQUILLOT, *Traité histor. de la Liturg. liv.* 2. *ch.* 7. Quoiqu'il soit vrai que la Messe ait été instituée pour être célébrée publiquement dans une assemblée de fidèles, il ne s'ensuit pas de là qu'elle ne puisse être célébrée en particulier par un Prêtre, sans solennité, et accompagné seulement d'un Clerc pour lui répondre. Nous ne voyons aucune défense de le faire, ni dans l'Ecriture, ni dans la Tradition, ni dans les Conciles. Au contraire, nous y voyons de quoi appuyer cette pratique. *Si deux d'entre vous*, dit Notre Seigneur J. C. (*Matth.* XVIII. 19. *et* 20.) *s'unissent ensemble sur la terre, quelque chose qu'ils demandent, elle leur sera accordée par mon Père qui est dans le Ciel : car en quelque lieu que se trouvent deux ou trois personnes assemblées en mon nom, je m'y trouve au milieu d'eux.* Il était fort naturel de tirer de là cette conséquence raisonnable, qu'un Prêtre se trouvant seul avec un ou deux fidèles, pouvait bien les assembler au nom de J. C. pour offrir au Père céleste le sacrifice dont J. C. est lui-même le Prêtre et la victime. Aussi n'a-t-on jamais fait difficulté de célébrer ainsi dès les premiers siècles dans plusieurs occasions où la nécessité le demandait, ou même par la seule utilité de quelques particuliers qui le désiraient. Il est certain que pendant les persécutions l'on offrait le sacrifice dans les prisons pour la consolation des Confesseurs qui y étaient détenus pour J. C. : et il est aisé de comprendre que l'on ne pouvait observer là toutes les solennités d'une grande Messe.

Ce n'est pas seulement dans les cas de nécessité, tel que celui dont je viens de parler, que l'on disait la Messe en particulier : la seule dévotion de quelque fidèle qui le demandait obtenait cette faveur d'un Prêtre et même d'un Evêque. *Paulin. in vita S. Ambrosii, etc.* (*Vide suprà hocce* §. *litt.* (D)

Voici une autre preuve de cette pratique, que saint Augustin nous fournit, où elle est même autorisée par un miracle. *Lib.* 22. *de Civit. Dei, etc.* (*Ibid.*)

Dans l'Epître du Pape Saint Innocent à Décentius, nous voyons des Chapelles particulières qui avaient leurs Prêtres pour y célébrer la Messe, quoiqu'ils n'eussent point de peuples qui s'assemblassent avec eux. C'est en parlant de l'Eucharistie qu'il avait accoutumé d'envoyer tous les Dimanches aux Prêtres qui desservaient les Eglises titulaires de Rome, c'est-à-dire, les Paroisses, qui pour lors étaient toutes dans la Ville. Il

distingue ces Prêtres ou Curés de ceux qui étaient attachés aux Chapelles des Cimetières situés dans les environs de Rome ; en ce que les premiers avaient une assemblée qui leur était commise, et que les autres n'en avaient point, quoiqu'ils eussent les uns et les autres le pouvoir de célébrer les saints Mystères. Ainsi les Prêtres de ces Chapelles disaient leur Messe particulière, accompagnés seulement de quelques Clercs, et sans assemblées de fidèles ; si ce n'est par occasion, et dans les visites qu'ils faisaient par dévotion aux tombeaux des Martyrs.

Le Concile de Chalcédoine parlant de l'ordination des Prêtres, veut qu'on les ordonnant, on les attache à une Eglise de la ville ou de la campagne, ou à une Chapelle des Martyrs, ou à celle d'un Monastère, ou à un Hôpital. Il y avait donc des Prêtres dans tous ces lieux, et sans doute que dans tous ces lieux il n'y avait pas d'assemblée publique toutes les fois qu'ils célébraient les saints Mystères. Le saint Evêque Cassius, selon le rapport de saint Grégoire Pape, célébrait tous les jours la Messe, et ce n'était pas toujours dans une assemblée publique : *In Episcopii Oratorio Missas fecit, etc.* (*S. Greg. Hom.* 37. *in Evang. n.* 9. *suprà hocce* §. *litt.* (D)

Rien n'est plus clair pour les chapelles domestiques des Seigneurs dans leurs terres, que le Canon 21. du Concile d'Agde. (*Vide suprà hocce* §. *litt.* (E)

Cinq ans après on fit la même defense dans le Concile d'Orléans, dont le canon est inséré dans le Décret de Gratien, *dist.* 1. *de Consecrat. cap. Nulli civium.* Et cette défense est une preuve qu'il y avait des chapelles à la campagne, où il était permis de dire la Messe les jours de Fêtes, autres que celles qui sont exprimées dans la défense, et que c'était pour épargner la peine et la fatigue d'une famille.

Nous voyons la même pratique dans le sixième siècle, et saint Grégoire nous en fournit une preuve bien claire. *Lib.* 5. *Ep.* 42. *et* 43. (*Vide suprà litt.* (D) *hocce* §.)

Le Concile de Vaison, dès le commencement de ce siècle avait déjà distingué bien clairement les Messes particulières des solennelles ou publiques (*Canon.* 3. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (E)) ; mais il ne voulait pas que l'on omît dans les Messes particulières rien de ce qui se disait dans les Messes publiques. Apparemment que quelques Prêtres en disant leurs Messes en particulier, et sans assemblées de peuples, omettaient le *Sanctus*, parce que c'était le peuple qui le chantait dans les grandes Messes.

Il me semble que l'on peut rapporter l'usage de plusieurs autels dans une même Eglise comme une preuve, ou pour le moins comme un fort indice des Messes basses ou particulières qui s'y disaient. Saint Grégoire de Tours parlant de lui-même dit (*Lib.* 5. *c.* 50.), qu'il célébra la Messe sur trois autels différens qui étaient dans une même Eglise paroissiale du Diocèse de Soissons ; et parlant de l'Eglise de saint Pierre de Bourdeaux, il dit qu'il y avait deux autels. Palladius, Evêque de Xaintes, avait fait élever jusqu'à treize autels dans une même Eglise ; et c'est saint Grégoire le grand qui nous atteste ce fait dans une lettre qu'il a écrite à cet Evêque. (*Lib.* 5. *Ep.* 50.) Mais il y a bien de l'apparence que ces autels étaient dans des chapelles particulières attachées au corps de l'Eglise, puisque ce saint Pape veut qu'il soit pourvu à la subsistance des Chapelains qui devaient desservir ces chapelles. *Provisuri ante omnia, ut servientibus ibidem non debeant alimoniarum deesse suffragia.* C'était néanmoins une chose rare en ce temps-là que cette quantité d'autels dans une même Eglise. Saint Filibert Abbé, dans le septième siècle, se contenta de trois autels dans son Eglise, dont deux étaient aux deux côtés du grand autel, sous les noms de saint Jean et de saint Colomban. Et dans le neuvième, où l'on commençait d'en bâtir un trop grand nombre, Charlemagne ordonna de n'en plus souffrir de superflus.

Dom Marienne rapporte quelques exemples de saints Abbés ou Moines du sept, du huit et du neuvième siècle, qui disaient la Messe tous les jours : il conclut de là, ce me semble avec raison, qu'une partie de ces Messes étaient ce que nous appelons Messes basses ou particulières.

Les Messes basses commençaient d'être communes parmi les Prêtres dans le huitième siècle. Quelques-uns d'entre eux ne faisaient même aucun scrupule de la célébrer dans des lieux non consacrés, comme en

pleine campagne, en des maisons particulières, etc. Cet abus choqua le zèle de Charlemagne, dès le commencement de son règne en France, et il le défendit en ces termes (*Capitul. ann.* 769. *C.* 14.) : « Qu'aucun » Prêtre ne soit assez osé pour dire la Messe ailleurs qu'en des lieux » consacrés à Dieu, ou dans un voyage sous une tente, et sur une table » de pierre consacrée par l'Evêque. Que si quelqu'un a la témérité de le » faire, il sera déposé : » *Gradûs sui periculo subjacebit.* Le même Empereur réitéra cette défense en 801. ce qui marque que l'abus continuait encore. Elle a été rapportée depuis dans le livre cinquième des Capitulaires *Ch.* 178. *et* 183. et insérée par Gratien dans son Décret, *Dist.* 1. *de Consecrat. cap.* 15. *Nullus.* Apparemment que quelques Prêtres s'imaginèrent après ces défenses, qu'en faisant dans leurs propres maisons un Oratoire, et le consacrant à Dieu eux-mêmes par la prière, ils pouvaient y dire la Messe. Ce retranchement leur fut encore ôté par un Capitulaire exprès (*Capitul. addit.* 3. *cap.* 75.), qui en leur laissant la liberté de prier dans leur Oratoire, leur défend d'y dire la Messe sans la permission de leur propre Evêque.

Les personnes riches ou de qualité se faisaient aussi depuis long-temps des Oratoires en leurs maisons dans les villes mêmes, pour s'épargner la peine d'aller à l'Eglise entendre une Messe solennelle, qui durait trop à leur gré. L'Empereur Justinien avait déjà défendu de dire la Messe dans ces Oratoires ou Chapelles domestiques, par sa Novelle 58. au milieu du sixième siècle. Charlemagne voyant le même abus dans ce Royaume, le défendit par son Capitulaire de l'an 789. en ces termes : « Que tout le » monde vienne à l'Eglise les Dimanches et les Fêtes entendre la Messe, » et que personne n'invite les Prêtres à venir la dire dans sa maison. » Malgré cette défense, l'abus ne laissa pas de continuer en quelques lieux, ou du moins il se renouvela sous le règne de Charles le Chauve : il le défendit de nouveau dans son Capitulaire de 876. et ordonna à tous les fidèles des villes d'assister aux stations ou Messes publiques des Fêtes, et à ceux des villages d'assister à l'office public dans leurs Eglises. Il réitéra aussi en même temps la défense faite aux Prêtres de dire la Messe dans leurs propres maisons sans permission de leur Evêque : et il appelle les Messes de ces Prêtres, *latibulosa Missarum solemnia*, des Messes dites en cachette.

Cependant les Evêques ne voulaient pas que les Prêtres dissent leurs Messes basses les Fêtes en public, de peur que les peuples qui venaient en foule à ces Messes, quand ils en étaient avertis, ne voulussent plus entendre la Messe solennelle qui se disait pour eux. Théodulphe Evêque d'Orléans permet bien à ces Prêtres de dire leurs Messes particulières les Dimanches (*Capitul. Theodul. Aurel. c.* 45. *etc.*) ; mais c'est à condition de n'avertir le peuple par aucun signal, afin qu'il ne soit point détourné de la grande Messe : et dans le chapitre suivant, il veut que les Prêtres, tant de la ville que des fauxbourgs, y assistent eux-mêmes, quoiqu'ils aient déjà dit leur Messe en particulier. Nous voyons dans le Capitulaire de cet Evêque, que c'était le matin que les Prêtres disaient leurs Messes particulières, puisqu'après l'avoir dite ils devaient assister à la Messe solennelle qu'on célébrait à l'heure de Tierce.

Cet Evêque en exigeant des Prêtres de ne pas dire en public leurs Messes basses, n'entend pas néanmoins qu'ils fussent seuls pour la célébrer ; au contraire il le défend *c.* 7. « Il faut, (dit-il,) qu'il y ait quel- » qu'un qui y assiste, qu'il salue et qui lui réponde, et tout Prêtre doit » se souvenir de cette parole (*Matth.* XVIII. 20.) : *En quelque lieu que se* » *trouvent deux ou trois personnes assemblées en mon nom, je m'y trouve au* » *milieu d'eux.* » Cette défense nous fait voir un autre abus de ce temps-là : savoir qu'un Prêtre célébrait la Messe seul sans aucun assistant. Et il faut croire qu'il a duré assez long-temps, puisque l'Eglise a souvent et long-temps réitéré la même défense. On la voit dans les Capitulaires de nos Rois (*Lib.* 5. *c.* 159.), dans Reginon (*L.* 1. *c.* 191. et 339.), et dans d'autres Auteurs. (*Burchard lib.* 3. *c.* 68. *Spicil. tom.* 9. *c.* 49. Théodore Evêque de Cantorbie, croyait néanmoins qu'un Prêtre pouvait dire la Messe seul, lorsque la nécessité l'exigeait ; et il le permit à ses Prêtres en ce cas dans le Capitulaire qu'il fit pour eux. Etienne Evêque d'Autun

I. Licetne celebrare Missam cui nemo sacramentaliter communicet ?

R. Sacerdos Missam celebrans debet sacramentaliter communicare sacrificio. Populus adstans sacrificio, tenetur huic communicare saltem spiritualiter. Quin et optaret Ecclesia fieri posse, ut in Missis singulis fideles adstantes, aut saltem eorum aliquis sacramentaliter communicaret. Nec propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos communicat, damnat Ecclesia ut illicitas ; immò eas et probat et commendat. (G)

I. Cur Sacerdos Missam celebrans tenetur sacramentaliter communicare sacrificio ?

R. Quia communio Sacerdotis necessaria est saltem ad integritatem sacrificii. Hinc in omnibus omninò Liturgiis tum Græcis tum Latinis, iisque antiquissimis, communio Sacerdotis celebrantis ut necessaria præcipitur. Et si quando Sacerdotes celebrantes voluerunt alicubi abstinere à communione sacramentali, hoc statim Ecclesia repressit et fieri prohibuit, ut patet ex canone 5. Concilii Toletani XII. (H)

I. Cur populus adstans sacrificio tenetur huic communicare modo saltem spirituali ?

R. Quia Missa, ut diximus, sacrificium est populi non secùs ac Sacerdotis, tametsi ratione diversâ. Hoc Christiana plebs per manus Sacerdotis offert. Debet ergo sacrificii particeps esse, si non quantùm ad communionem corporalem, quod Ecclesia vehementer optaret fieri posse, saltem quantùm ad communionem spiritualem.

I. Cur optaret Ecclesia fieri posse, ut fideles adstantes sacrificio communicarent sacramentaliter ?

R. Tum quia uberior ad eos sanctissimis hujus sacrificii fructus proveniret, si non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent sacrificio, ut loquitur Tridentina Synodus. (*Sess.* 22. *Cap.* 6. *de sacrif. Missæ.*) Tum quia modo perfectiori participes essent sacrificii, quod utique ipsi simul cum Sacerdote modo suo offerunt.

I. Si Missa sacrificium est populi non secùs ac Sacerdo-

semble le permettre aussi vers le douzième siècle. (*Stephanus Æduens. de sacris altar. cap.* 16.)

(G) Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 6. *de Missæ sacrificio.* Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut singulis Missis fideles adstantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quò ad eos sanctissimi hujus sacrificii fructus uberior proveniret; nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat, atque adeò commendat. Siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent, partim quòd in eis populus spiritualiter communicet; partim verò quòd à publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

(H) Concil. Toletan. XII. *an.* 681. *can.* 5. *Vide supèriùs* §. 7. *hujusce Cap. litt.* (H)

tis, nec licet Sacerdoti Missam offerre quin ipse sacramentaliter communicet, videtur populi communio necessaria non minùs quàm communio Sacerdotis, adeóque improbandæ essent Missæ in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat ?

R. Missæ in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat probandæ sunt et commendandæ. *Siquidem illæ quoque Missæ verè communes censeri debent : partim quòd in eis populus spiritualiter communicet, partim verò quòd à publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.* Verba sunt Concilii Tridentini. (*ubi suprà.*)

Et certè Missæ hujusmodi veram habent et omnimodam sacrificii rationem non secùs ac sacrificia legis Mosaïcæ, in quibus solus Sacerdos comedebat de hostiis immolatis. Sunt sacrificium verè latreuticum, propitiatorium, eucharísticum, impetratorium. Ad varios hos sacrificii fines neutiquam necessaria est sacramentalis communia populi.

Nec nova est illa celebrandæ Missæ ratio. Exstant illius exempla non pauca, eaque antiquissima ; nec legimus reprehensam unquam ab Ecclesia fuisse hanc offerendi sacrificii rationem. Cujus initium undè sumi debeat non video, nisi ex traditione Apostolica, secundùm ea quæ superiùs dicta sunt (§. 12. *litt.* (H), ad traditionem Apostolicam pertinere quidquid ubique videmus observatum, nec ab ulla Episcoporum Synodo præscriptum. (I)

§. 15. De locis in quibus celebrari Missam oporteat ; et de privatis et domesticis Oratoriis.

I. Quo loco debet Missa celebrari ?

R. Hanc primitùs Apostoli ut plurimùm celebrabant privatis in domibus. *Frangentes circa domos panem*, inquit Lucas in Actibus Apostolorum. (*Act.* II. 46.) Quod de oblatione Sacrificii intelligendum esse constat, juxta id quod eodem Actuum capite superiùs dicitur : *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* (*Ibid.* 42.)

Fuère tamen tunc temporis loca Deo dicata, in quibus solebat populus orare, synaxim agere, audire verbum Dei ; illaque loca Ecclesiæ dicebantur, ut colligitur ex Apostolo ad Corinthios scribente (1. *Cor.* XI. 22.) *Convenientibus vobis in unum, audio scissuras esse inter vos.* Et paulò post, *Nunquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut* ECCLESIAM *Dei contemnitis* ?

Sævientibus persecutionibus, ubicunque posset conven-

(I) BONA *Liturg. lib.* 1. *cap.* 14. *Vide suprà hocce* 2. *litt.* (F) *ut et* ROCQUILLOT *Hist. Liturg. lib.* 2. *cap.* 7. *Vide si lubet librum Gallicè scriptum, cui titulus :* Collationes Lucionensis Diœcesis, *Collatione* 25. *in qua eadem iisdem ferè Auctoribus probantur.*

tus fidelium fieri, ibi Sacrificium celebratur, in carceribus, in diversoriis, in cryptis, etc. (A)

Sed quandiù licuit Christianis simul ad sacra faciendа convenire, habuerunt semper Oratoria publica ad sacram synaxim faciendam, quæ Ecclesiæ dicebantur: nec alibi licuit publicum conventum agere. (B) Quanquam et in pri-

(A) EUSEB. *Eccles. Hist. lib.* 7. *cap.* 22. Cumque soli ab omnibus fugaremur atque opprimeremur, nihilominùs tunc quoque Festos egimus dies. Quivis denique locus in quo varias ærumnas sigillatim pertulimus: ager, inquam, solitudo, navis, stabulum, carcer, instar Templi ad sacros conventus peragendos fuit.

Lib. 9. *cap.* 2. Primùm quidem nostros à conventibus qui in cœmeteriis fieri solebant, nescio quo prætextu arcere aggressus est (Maximinus).

DOMN. THEOD. RUINART *in Act. Martyr. sincer. in* S. LUCIAN. Presb. Antioch. *ann.* 312. *pag.* 562. *in notis.* Die Theophaniorum beatus Martyr dicitur in actis supra pectus suum, cùm altare deficeret, sacra mysteria in carcere peregisse paulò ante suam ipsius passionem, cùm jam ita vulneribus esset attritus, ut vix posset moveri. Idem asserit Philostorgius *lib.* 2. *Hist. Eccles. num.* 14. Quod videtur imitatus fuisse Theodoritus Cyri Episcopus, qui ut ipsemet narrat *in Hist. religiosæ cap.* 20. in cella Maris monachi Sacrificium mysticum peregit, Diaconorum manibus pro altari utens.

S. GREGOR. TURON. Episc. *Hist. Franc. lib.* 1. *cap.* 43. *et ultim.* Qui Christiani eo tempore videbantur, occultè et per latebras Divinum officium celebrabant.

Lib. 10. *cap.* 31. Per cryptas et latibula cum paucis Christianis, ut diximus, per eumdem conversis, mysterium solemnitatis diei Dominici clanculò celebrabat (S. Gallianus Turon. Episc.)

(B) TERTULL. *de pudicitia, cap.* 4. Idcò penès nos occultæ quoque conjunctiones, id est, non priùs apud Ecclesiam professæ juxtà mœchiam et fornicationem judicari periclitantur.... Reliquas autem libidinum furias impias et in corpora et in sexus ultra jura naturæ non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submovemus; quia non sunt delicta, sed monstra.

EUSEB. *Hist. Eccles. lib.* 8. *cap.* 1. Jam verò quis innumerabilem hominum quotidiè ad fidem Christi confugientium turbam, quis numerum Ecclesiarum in singulis urbibus, quis illustres populorum concursus in ædibus sacris, cumulatè possit describere? Quo factum est ut priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent Ecclesias.

Lib. 10. *cap.* 2. Divina quædam hilaritas in omnium vultu emicabat; cùm loca cuncta quæ tyrannorum impietas paulò antè subruerat, tanquam ex diuturna ac pestifera labe reviviscere videremus: templaque rursùs à solo in immensam altitudinem erigi, et longè majore cultu ac splendore quàm illa quæ priùs expugnata fuissent nitescere.

Cap. 3. *Vide infrà Cap.* 8. *hujusce Sect.* §. 7. *litt.* (A)

S. IRENÆUS *lib.* 4. *advers. hæres. cap.* 20. Sacerdotes autem sunt omnes Domini Apostoli, qui neque agros, neque domos hæreditant hic, sed semper altari et Deo serviunt.

Cap. 18. *aliàs* 34. *vide suprà* §. 7. *hujusce Cap. litt.* (M)

ORIGEN. *Hom.* 11. *in Numerorum cap.* XVIII. *pag.* 131. *col.* 1. *edit. Paris. in fol. an.* 1619. Indecens et indignum existimo et impium, ut is qui Deum colit, et ingreditur Ecclesiam Dei, qui scit Sacerdotes et ministros assistere altari, et aut verbo Dei aut ministerio Ecclesiæ deservire, ut de fructibus terræ quos dat Deus solem suum producendo, et pluvias suas ministrando, non offerat primitias Sacerdotibus.

S. OPTATUS Milevit. *de schismate Donatist. lib.* 1. Post persecutionem apud Cirtam civitatem, (quia Basilicæ necdum fuerant restitutæ) in domum Urbani Carisii consederunt (Episcopi catholici.) Conventus non leves patiebatur angustias. Erant enim Ecclesiæ ex auro et argento quàm plurima ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare pote-

vatis quandoque cubiculis Missam ob speciales quasdam rationes celebratam fuisse constat. (C)

Si speciales illas rationes exceperis, quæ extra ordinem sunt, et probari semper debuerunt Episcopo, non licuit unquam nec licet etiamnum Missam celebrare extra Ecclesias vel Oratoria speciali benedictione ad id consecrata. (D) Agemus infrà de consecratione Ecclesiarum. (*Cap.* 8. *hujus Sect.* §. 7. *et* 8.)

rat. Quas fidelibus seniòribus commendavit (Mensurius Episc.).... Intereà ad basilicam, ubi cum Cæciliano tota civitas in frequentia fuerat, nullus de supradictis accessit.... Conferta erat Ecclesia populis plena: erat cathedra Episcopalis: erat altare suo loco, in quo pacifici Episcopi retrò temporis obtulerunt, Cyprianus, Lucianus et cæteri.

Lib. 2. *n.* 19. Donatistarum Episcopi (Donatistæ) jusserunt Eucharistiam canibus fundi, non sine signo Divini judicii: nam iidem canes accensi rabie, ipsos dominos suos, quasi latrones, sancti corporis reos, dente vindice, tanquam ignotos et inimicos laniaverunt. Ampullam quoque chrismatis per fenestram, ut frangerent, jaclaverunt, et cùm casum adjuvaret abjectio, non defuit manus angelica quæ ampullam spiritali subvectione deduceret: projecta casum sentire non potuit; et Deo muniente, illæsa inter saxa consedit.

N. 21. Quid iniquius quàm exorcizare Spiritum sanctum, altaria frangere, Eucharistiam animalibus projicere?

Lib. 6. *n.* 1. In altaribus et vota populi et membra Christi portata sunt, quò Deus omnipotens invocatus sit: quò postulatus descenderit Spiritus sanctus: undè à multis et pignus salutis æternæ, et tutela fidei et spes resurrectionis accepta est.... Quid est enim altare nisi sedes et corporis et sanguinis Christi? Hæc omnia furor vester aut rasit, aut fregit, aut removit. *Cætera vide superiùs* §. 7. *hujusce Cap. litt.* (N)

(C) S. AUGUST. *Lib.* 22. *de Civit. Dei, cap.* 8. *n.* 6. *Vide super.* §. (D) *uti et* S. GREG. NAZIANZ. *orat.* 19. *in laudem patris sui, n.* 32. *et* PAULIN. *in vita* S. *Ambros. n.* 10. *et alios.*

URANIUS *in Vita S. Paulini Episc. Nolan. epist. ad Pacatum, n.* 1. *Reperitur pag.* 143. *ad calcem edit. operum.* S. PAULIN. *in* 4. Quasi profecturus ad Dominum, jubet sibi ante lectulum suum sacra ministeria exhiberi: scilicet ut unà cum sanctis episcopis (Symmacho et Benedicto Acindyno) oblato Sacrificio animam suam Domino commendaret.

(D) CONCIL. TRIDENT. *Sess.* 22. *decret. de observand. et evitand. in celebrat. Missæ.* Deindè, ut irreverentia vitetur, singuli in suis diœcesibus interdicant, ne cui vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat: neminem prætereà, qui publicè et notoriè criminosus sit, aut sancto altari ministrare, aut sacris interesse permittant: neve patiantur privatis in domibus atque omninò extra Ecclesiam, et ad Divinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium à secularibus aut regularibus quibuscunque peragi: ac nisi priùs qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solùm corpore adesse.

BOCHELL. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 1. *tit.* 6. *cap.* 32. *ex* SYNOD. LINGON. *ann.* 1404. In Ecclesiis Missæ sunt celebrandæ, non in Oratoriis sive Capellis non dedicatis quæ sunt in domibus, neque super altari portatili in villis, domibus, neque super campis, nisi de licentia procederet Superioris.

Cap. 42. *ex* CONCIL. BITUR. *ann.* 1584. Missa neque in profanis locis, neque in privatis domibus celebretur.

Cap. 70. *ex* CONCIL. RHEM. *ann.* 1583. At extra Ecclesiam, et Oratoria Divino cultui dicata, nemini rem sacram facere liceat.

Cap. 122. *ex* SYNOD. ROTHOM. *ann.* 1581. Neminem prætereà, qui publicè et notoriè criminosus sit, præsertim per sententiam declaratus, altari ministrare permittant: neve patiantur parœci privatis in domibus, atque omninò extra Ecclesiam, aut ad Divinum tantùm cultum dedicata Ora-

I. Privatorum Oratoriorum usus antiquusne est, et laudabilis, et probandus ?

R. Oratorium in palatio suo ædificandum curavit Constantinus Imperator, teste Eusebio. (E) Jampridem facultatem eamdem concedunt Episcopi viris Principibus et Primariis, ut constat ex Concilio sexto Parisiensi. (*lib.* 1. *cap.* 4. (F)

toria, ab Ordinariis visitanda, sanctum hoc sacrificium Missæ à quovis Sacerdote peragi.

Lib. 4. *tit.* 1. *cap.* 12. *ex* CAROLI MAGN. *lib.* 1. *Capitul.* Ut Ecclesiæ vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur.

Cap. 19. *ex* CONCIL. BITUR. *ann.* 1584. In parochiis ubi Ecclesiæ dirutæ sunt, nec est exercendis sacris locus, ematur aut conducatur sumptu populi, aut eorum ad quos pertinebit, domus congrua : in qua cum licentia Episcopi super altari portatili Missæ Divinum officium celebretur: donec locus idoneus perpetuò Ecclesiæ destinetur, aut Ecclesia antiqua ædificetur.

Cap. 22. *ex eod. Concil.* Altaria diruta restituantur, nova et polluta consecrentur et benedicantur.

Cap. 33. *ex lib.* 5. *Capitul.* CAROLI MAGNI. Ecclesiam in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet: sed si apta videtur ad consecrandum, indè evulsis corporibus, et rasis vel lotis lignis ejus reædificetur. Si hæc consecrata priùs fuit, Missas in ea celebrare licet, si tamen fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.

Cap. 99. *ex* CONCIL. TOLOSAN. *ann.* 1590. Altare, sive sacro sive profano loco, injussu Episcopi nemo exstruat; hic verò locum adeat, crucem figat, atrium designet, diligenterque provideat, ut qui ædificationi fundationique census adscribitur, luminarium sumptibus custodumque alimentis sufficiat.

Cap. 100. *ex eod. Concil.* Qui intra Ecclesiam loco non consecrato Sacerdos celebrarit, quique non impetratâ Episcopi veniâ, altare temerè laïcus exstruendum curaverit, sacris Canonum sanctionibus puniendi subjiciantur.

Cap. 101. *ex eod. Concil.* Quæ consecratæ capellæ altaria vel non fuerint, ea ab Episcopis consecrentur, eorumque jura et privilegia, licèt auctoritates interciderint, aut etiam nullæ unquam fuerint, recepti probatorum virorum testimoniis, conserventur et constituantur.

Cap. 115. *ex eod. Concil.* Sancta in sanctis locis tractanda sunt. Quæ igitur templa, altariave nondùm consecrata sunt, ea saltem intra biennium consecrentur.

S. CAROLUS *in* CONCIL. PROVINC. MEDIOL. I. *part.* 2. *tit. de his quæ pertinent ad celebrationem Missæ.* Nullus Sacerdos, quemadmodùm à Tridentina Synodo statutum est, in privatis ædibus, et omninò extra Ecclesiam, et Oratoria quæ Divino tantùm cultui dicata, et à locorum Episcopis designata, ac visitata sint, Missam celebret.

(E) EUSEB. *de vita Constantin. magn. lib.* 4. *cap.* 17. Verùm his longè augustiora perspiciet quicunque attendere voluerit, qualiter ille in palatio quamdam velut Ecclesiam Dei constituit. Ac diligentiâ quidem et alacritate præibat cunctis qui in Ecclesiam illam erant adscripti: et sacros codices in manus sumens, oracula à Deo edita attento animo meditabatur. Posthac solemnes preces cum universo aulicorum cœtu recitabat.

SOZOMEN. *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 8. *Vide superiùs* §. 14. *hujusce Cap. litt.* (D)

(F) CAROL. MAGN. *lib.* 6. *Capitul. cap.* 102. Quì in domo sua Oratorium habuerit, orare ibidem potest; Missas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat sine permissu vel dedicatione Episcopi loci illius. Quòd si fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Comes verò qui hoc cognovit, et non prohibuit, publicâ pœnitentiâ muletetur, vel honore privetur. *Ex* CAPIT. 6. INGILENHEIMENSI *ann.* 826. *Habetur etiam in Canon.* ISAACI Episc. Lingon. *can.* 15.

Lib. 5. *cap.* 383. Qui in domo sua Oratorium habuerit, orare ibi potest.

Quin et aliis passim concedi solet urgente necessitate, verbi gratiâ, si parochialis Ecclesia nimiùm distet, si propter difficultatem itinerum aliasve causas instantes vix possit ad publicam Ecclesiam familia convenire. (G) Sed in privato-

Tamen non audeat in eo sacras facere Missas sine permissu Episcopi loci illius. Quòd si fecerit, domus illius fisci viribus addicatur. Comes et missi ejus qui hoc cognovit et non prohibuit, librâ auri mulctabitur, et ab Episcopo loci illius canonicam suscipiat excommunicationem, vel exclusionem. *Habetur etiam in addit.* 3. *estque cap.* 75.

BOCQUILLOT *Traité Histor. de la Liturgie*, *liv.* 2. *chap.* 7. Il y a bien de l'apparence que les gens de qualité qui avaient des terres à la campagne, et qui y passaient une partie de l'année, pensèrent de bonne heure à faire dans leur château une chapelle domestique, et à entretenir un Chapelain pour leur dire la Messe les Dimanches et les Fêtes. Les bons Evêques approuvaient leur conduite en cela, bien loin de la condamner. Nous avons déjà vu saint Ambroise célébrer la Messe dans une de ces chapelles; et nous allons voir comment saint Chrysostôme exhortait les personnes riches et de qualité à entrer dans cette pieuse pratique. « Je vous » en prie, je vous en conjure, *dit cet éloquent Père* (*Homil.* 18. *in Act. Apost.*); je vous le demande en grâce, et s'il est nécessaire je vous » l'ordonne, que chaque Seigneur ait une Eglise dans son village. Ne me » dites point, Il y en a une près de moi, dans le voisinage; la dépense » serait trop forte, et je n'en tirerai pas une grande commodité. Si vous » avez destiné quelque somme pour les pauvres, employez-la à ceci; cet » emploi sera meilleur que le premier. Aimez l'Eglise comme vous aimez » votre épouse, et dotez-la: et votre terre en deviendra meilleure par la » bénédiction que Dieu lui donnera. Il y viendra ensuite un Prêtre vé- » nérable qui conduira ce petit troupeau pour la sûreté de vos fonds. Là » on priera Dieu perpétuellement pour vous, on chantera ses louanges, » on y fera les assemblées à cause de vous, on y offrira le Sacrifice tous » les Dimanches. » J'avoue que les paroles de saint Chrysostôme représentent mieux une Paroisse de la campagne qu'une chapelle domestique, et par conséquent plutôt des grandes Messes que des Messes basses. Mais ayons patience, et nous verrons qu'il se contente en attendant de quelque chose de moins que ce qu'il vient de dire. « Vous craignez une dépense » qui vous incommoderait: eh bien; au lieu d'un temple faites une Cha- » pelle: un autre qui viendra après vous y fera faire un portique; d'au- » tres y ajouteront encore autre chose dans la suite, et vous aurez l'hon- » neur du tout. »

Il est évident que c'est de cette sorte que se sont bâties et formées la plupart des Eglises Paroissiales de la campagne. Un Seigneur, ou des particuliers riches ont commencé par faire bâtir une petite Chapelle; un Prêtre du voisinage y venait dire la Messe sans solennité les Dimanches; et quand ces Eglises ont été plus grandes, et que les habitans ou les Seigneurs sont parvenus à y faire un fonds suffisant pour l'entretien d'un Prêtre, l'Evêque y a mis un Prêtre pour les conduire. On voit encore dans ce passage de ce saint Docteur l'origine du Droit honorifique des Patrons et des Seigneurs dans leurs Eglises, qui est que l'on prie Dieu nommément pour eux dans les saints mystères. *Preces illic perpetuæ pro te*, dit-il. *L'on y priera Dieu perpétuellement pour vous. Dites-moi, je vous prie, est-ce peu que votre nom soit toujours célébré dans les saints Mystères?* Ainsi je ne sais sur quoi se fondent certains jeunes Curés, qui refusent opiniâtrément de nommer les Seigneurs de leurs Paroisses à leurs Prônes, et de prier Dieu pour eux expressément: mais je sais bien que les plus saints et les plus savans Evêques n'ont jamais fait ce refus à aucun Patron ou Seigneur, et qu'actuellement il n'y a point de Prêtre éclairé qui s'avise de le faire. *Vide et alia super.* 2. *litt.* (F)

Vide et alia super §. *litt.* (F)

(G) CAROLUS MAGN. *lib.* 5. *Capitul. cap.* 334. Placuit nobis ut sicut ab Episcopis et reliquis Sacerdotibus ac Dei servis admoniti fuimus, nec Capellæ in palatio nostro vel alicubi, absque illa nostra, sive permissu vel jussu Episcopi in cujus est Parochia, fiant; et ut omnes per dies

rum Oratoriorum concessione adhiberi solent cautiones quædam, ne iis fortè fideles abutantur.

1. Non licet in iis sacra facere diebus solemnioribus, sed eundum ad parochialem Ecclesiam. (H)

2. Nefas in iis quemquam Presbyterum ignotum et extraneum celebrare sine licentia Episcopi, alteriusve vices agentis hac in parte Episcopi. (I)

3. Non sic uti licet illâ facultate, ut propterea existimetur fas esse abesse à Missa parochiali tribus continuis Dominicis, si commodè ad eam convenire quis possit. Imò singulis Dominicis ad eam accedere tenentur qui commodè possunt. (K)

4. Servanda religiosè statuta Synodalia Episcoporum circa privata Oratoria, quas Capellas domesticas vocant.

5. Curandum ut vasa sacra, lintea, libri, ornamenta nitidè et decenter habeantur, nec quidquam desit eorum quæ ad tanti sacrificii decentiam necessaria sunt.

6. Tenentur Parochi singula domestica Oratoria intra suæ Parochiæ fines subindè visitare; et si quid fortè in iis indecens vel contra Canones esse vel fieri deprehenderint, monere Episcopum, et curare ut omnia ritè et secundùm ordinem in iis fiant.

Hæc et alia passim statuunt Episcopi in suis Synodis circa Oratoria domestica. (L)

Dominicos vel Festivitates præclaras sacræ Eucharistiæ communicent, nisi quibus abstinere præceptum est. Et ut observatio omnium dierum Dominicorum à mane usque ad vesperam secundùm canonicam auctoritatem ab omnibus fiat.

Idem legere est in CONCIL. PARIS. VI. *lib.* 3. *cap.* 19.

(H) CONCIL. AGATHENSE *ann.* 506. *can.* 21. *Vide superiùs* §. 14. *hujusce Cap. litt.* (E)

(I) CONCIL. PARIS. *ann.* 1212. *part.* 1. *can.* 9. Ad hæc inhibemus districtiùs, ne Sacerdotes ignoti, de quorum Ordinatione non constat, ad Divinorum celebrationem admittantur, sine litteris testimonialibus, vel testimonio bonorum virorum: et eos qui contra hæc venerint, decernimus puniendos arbitrio Prælatorum.

CONCIL. TRIDENT. *Vide suprà hocce* §. *litt.* (D)

(K) CONCIL. ELIBERIT. *can.* 21. *et* CONCIL. SARDIC. *ann.* 374. *can.* 11. *Vide suprà Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 3. *litt.* (G) *cum plurimis aliis sacrorum Concil. sanctionibus.*

CONCIL. VAURENSE *in Gallia ann.* 1368. *can.* 84. Ut honor debitus parochialibus Ecclesiis observetur, et animarum periculis obvietur, salubriter duximus statuendum: quòd Parochiani diebus Dominicis et festivis ad suam parochialem Ecclesiam veniant Missas integras audituri. Et si per duos Dominicos dies continuos Missas in dictis Ecclesiis, legitimâ causâ cessante, non audierint: ex tunc habeant parochiales Presbyteri commonere non venientes, se revelaturos in Ecclesiis nominatos, posteà excommunicandos.

(L) CONCIL. TRIDENT. *Vide suprà hocce* 2. *litt.* (D)

CONCIL. MEDIOL. Provinc. I. *part.* 2. *Quæ pertinent ad celebrationem Missæ.* Oratoriorum autem ædificationem, aut usum, ne facilè, sed magna de causa permittant iidem Episcopi.

In eis autem designandis vel probandis hæc servent:

Ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus domini vel familia frequentiùs versentur: sed commodo et honesto loco, à cubiculis, triclinniis, et ab aula separato, ad templi formam et regulam propiùs accedant.

§. 16. De Altari in quo Missa celebratur ; itemque de sacris linteis, vasis , et ornamentis altarium.

I. Altarium usus ad Sacrificii celebrationem vigetne jam pridem in Ecclesia ?

R. Hunc ex Apostolica traditione manasse constat. De eo loquitur Apostolus in suis ad Corinthios et ad Hebræos Epistolis , ut suprà probavimus. (A) Mentionem altaris ad sacrificii nostri celebrationem fac unt Tertullianus , Irenæus , Cyprianus, Optatus , Chrysostomus , Augustinus , etc. (B)

I. Qua ex materia constabant olim altaria ?

R. Nihil fuit tribus quatuorve prioribus Ecclesiæ seculis ea de re definitum , maximè persecutionum tempore , quo sacra fiebant indiscriminatim ubicunque possent Christiani simul colligi. Nec introductus tum temporis erat portatilium , ut vocant , altarium usus. Quarto seculo altaria lignea an lapidea forent perindè erat. Mentionem facit S. Gregorius Nyssenus altaris lapidei (C) , S. Athanasius lignei. (D) Fuerunt et altaria ex auro vel argento conflata. Jampridem id Ecclesiæ lege sancitum est , ut altaria lapidea solùm erigerentur. Decretum illud quidam sancto Sylvestro tribuunt, qui seculo quarto tempore Constantini Imperatoris Romanæ

Nec ita angusta sint , ut qui Missam audierint ad ostium aut fenestram stare cogantur ; aut denique ibi sacris interesse , ubi promiscuè profanum aliquod exercealur ; quod fieri omninò prohibemus.

Cui autem id permissum fuerit , is eo rariùs utatur ; ne distracti homines illâ commoditate , Ecclesiam Dei minùs frequentent : quod exemplo etiam noceat aliis.

Ornamenta et instrumenta altarium pro celebratione Missæ , pura ac munda sint ; præsertim Corporalia ac Purificatoria.

(A) 1. Cor. x. 21. Non potestis mensæ Domini participes esse et mensæ dæmoniorum.

Hebr. xiii. 10. Habemus altare , de quo edere non habent potestatem , qui tabernaculo deserviunt.

(B) Tertull. *lib. de orat. cap.* 14. Nonne solemnior erit statio tua , si et ad aram Dei steteris.

Lib. 1. *ad uxorem* , *cap.* 7. Aram enim Dei mundam proponi oportet. Tota illa Ecclesiæ candida de sanctitate conscribitur.

S. Irenæus *lib.* 4. *advers. Hæres. cap.* 34. *novæ edit.* 18. *in fine.* (Christus) nos quoque offerre vult munus ad altare frequenter sine intermissione.

S. Cyprian. *Epist.* 1. *aliàs* 66. *ad Clerum et pop. Furn. Vide superiùs* §. 7. *hujusce Cap. litt.* (M)

S. Athanas. *in Epist. ad Episc. encyclica* , *n.* 3. *pag.* 113. *tom.* 1. *edit. BB.* In sacram mensam quanta impietas iniquitasque commissa ! Aves strobilosque sacrificabant , idola quidem sua laudibus efferentes ; Dominum autem Salvatorem nostrum Jesum Christum Filium Dei viventis , in ipsis Ecclesiis maledictis insectantes.

S. Optatus *lib.* 6. *Vide superiùs* §. 7. *hujusce Cap. litt.* (M)

S. Chrysost. *lib.* 6. *de Sacerdotio* , *cap.* 4. Locus altari vicinus in illius honorem qui immolatur , Angelorum choris plenus est , etc.

S. August. *lib.* 9. *Confess. cap.* 11. *n.* 27. Ad Domini altare memineritis mei ubi fueritis.

(C) S. Gregorius. Nyssen. *Orat. in Christi baptisma. Vide inferiùs* §. 7. *Cap.* 8. *hujusce Sect. litt.* (C)

(D) S. Athanas. *in Hist. Arianor. ad Monachos* , *n.* 56. Cùm rapuissent subsellia , et cathedram et mensam , erat enim lignea , et vela Ecclesiæ , etc.

præerat Ecclesiæ, sed hujus Sylvestrini decreti vestigium nullum exstat apud veteres Scriptores. Quidquid sit, certum est antiquissimo usu Ecclesiæ id esse in more positum, ut altaria non nisi ex lapide fierent. Quanquam et ligneum sit etiamnum altare Ecclesiæ Lateranensis, in quo solus summus Pontifex solemniter celebrat, et ex speciali summorum Pontificum concessione vigeat quoque nunc fortè alicubi lignei altaris usus. (E)

(E) CÆREM. PARIS. *pag.* 8. Altaria olim aliquando ligneа, ut Romæ altare basilicæ Lateranensis, in quo nunc solus Pontifex, aut Cardinalis, rem sacram facit: et in Gallis apud Compendium altare majus abbatialis Ecclesiæ sancti Cornelii à Joanne octavo Papa consecratum anno 877. 5. die maii. Ita fert traditio hujus civitatis.

BOCQUILLOT *Traité hist. de la Liturgie, liv.* 1. *chap.* 5. Les Evangélistes en racontant l'histoire de l'Eucharistie, nous apprennent que Notre-Seigneur Jésus-Christ se servit de la table commune sur laquelle on lui avait servi à souper: ainsi le premier autel de la nouvelle Loi a été certainement une table commune, et apparemment de bois comme les autres. Ce que saint Luc dit de l'institution des Diacres (*Act.* VI. 2.), qu'ils furent établis pour servir aux tables, donne lieu de croire que les Apôtres célébraient aussi les saints Mystères sur des tables, semblables à celles dont ils se servaient pour manger. Mais cette table, quoique commune par sa forme et sa matière, ne laissait pas d'être appelée autel par Saint Paul; *Nous avons*, dit-il (*Hebr.* XIII. 10.), *un autel, dont ceux qui rendent encore un culte au tabernacle Judaïque n'ont pas pouvoir de manger.* Lors même que ce saint Apôtre donne à l'autel du Seigneur le nom de table, il le donne aussi en même temps aux autels des démons: *Vous ne pouvez*, dit-il (1. *Cor.* X. 21.), *participer à la table du Seigneur et à la table des démons.* Et pour montrer que les tables dont il parle en cet endroit, sont des autels, il n'y a qu'à voir ce qu'il venait de dire auparavant: (*ibid.* 18.) *ceux qui mangent de la victime immolée, ne prennent-ils pas ainsi part à l'autel?* Et c'est de là qu'il conclut avec raison, qu'on ne peut donc participer à la table du Seigneur et à la table des démons.

Il y a beaucoup d'apparence que durant les persécutions, les Evêques et les Prêtres ont imité la simplicité des Apôtres, en prenant pour autel une table commune de bois ou de pierre, telle qu'ils la trouvaient sur les lieux où ils voulaient célébrer les saints Mystères. On put bien en dresser partout où l'on bâtit des Eglises dans le troisième siècle; mais l'on ne sait si ces premiers autels érigés à l'honneur de Jésus-Christ étaient de bois ou de pierre, ni même s'ils étaient fixes. Les reproches que les Païens faisaient aux fidèles, et l'aveu de ceux-ci, qu'ils n'avaient point d'autels, donne lieu de croire que nos autels alors n'étaient point fixes; mais que ce pouvait être des tables de bois que l'on pouvait transporter facilement d'un lieu dans un autre. Ce n'est donc que depuis la paix de l'Eglise, et sous Constantin, que l'on peut assurer que nos autels ont été fixes dans nos Eglises. Alors on les faisait de toutes sortes de matières indifféremment, d'or, d'argent, de marbre, de jaspe, de pierre ou de bois. On dit que le Pape saint Sylvestre ordonna dès lors qu'ils seraient de pierre; mais on le dit sans preuves, aucun ancien Auteur n'ayant jamais fait mention de ce prétendu Décret. L'Auteur du livre Pontifical, qui parle tant de saint Sylvestre, ne dit pas un seul mot de ce Décret; ce n'est pas manque d'occasion d'en parler, puisqu'il dit que Constantin fit faire plusieurs tables d'autels d'argent. (*Ex lib. Pontif. in Sylvestro.*) A quoi bon cette dépense, s'il eût été défendu de se servir d'autel d'argent ou de toute autre matière que de pierre? Près de cent ans après saint Sylvestre, les Papes Sixte III. et Hilaire firent faire chacun un autel d'argent. Anastase le Bibliothécaire, qui rapporte ces faits, (*In Sixto* III) ignorait donc encore dans le neuvième siècle le prétendu Décret de saint Sylvestre.

Dans les Eglises d'Afrique les autels étaient communément de bois, comme nous l'apprennent Saint Optat et Saint Augustin. (*S. Aug. lib.* 3.

I. Cur decrevit Ecclesia ut altaria lapidea essent?

R. Quia altare figuram exprimit Domini nostri Jesu Christi,

contra Crescon. cap. 43.) Ce dernier racontant les cruautés que les Donatistes exercèrent de son temps contre un Evêque Catholique nommé Maximien, dit qu'ils brisèrent sur lui l'autel de son Eglise, dans lequel il s'était caché, et que des morceaux de bois de cet autel ils le battirent si cruellement qu'il remplit de sang le lieu où il était. J'avoue qu'il n'est fait mention que d'un seul autel en ce passage de Saint Augustin; mais Saint Optat va parler en général du grand nombre d'autels brisés par la fureur impie des Donatistes, comme s'il n'y en avait point eu d'autres que de bois. Après avoir demandé à ces furieux, pourquoi ils avaient rompu les uns, raclé les autres, et emporté les autres, il répond lui-même par cette espèce d'ironie : *Pour moi*, dit-il, *je crois que vous avez brisé les autels dans les lieux où vous aviez abondance de bois, et que dans ceux où le bois était rare, vous vous êtes contenté de les racler.* (*S. Optat. lib. 6. init.*)

Le passage de Saint Augustin marque visiblement que les Autels de bois étaient creux, et qu'ils s'ouvraient et se fermaient; puisqu'un homme pouvait se cacher dedans. C'était comme un espèce de coffre : aussi Gregoire de Tours lui donne-t-il ce nom, en parlant de l'Autel de bois de Sainte-Croix de Poitiers. (*Lib. 10. Hist. Franc. cap. 15.*) Les Autels de pierre et d'autre matière étaient aussi creux, et non de maçonnerie solide comme les nôtres. L'Autel de l'Eglise d'Irène à Constantinople était creux, puisque saint Alexandre Evêque de cette Ville, se prosterna contre terre sous cet Autel, pour demander à Dieu qu'Arius fût puni du scandale qu'il avait excité. (*Socrates Hist. Eccles. lib. 1. cap. 37.*) Ce vide des Autels servit dans la suite à enfermer les Reliques des Saints, et elles y étaient disposées de manière qu'on pouvait les voir par une petite ouverture qui était ou derrière l'Autel, ou par les côtés : Celui qu'Angelbert Evêque de Milan fit faire vers le milieu du neuvième siècle, avait deux petites portes par les côtés, et une petite ouverture derrière, par où l'on pouvait voir les Saintes Reliques dedans. (*Lib. de vita S. Bened. Anian. n. 26. apud Mabillon. Ughelli tom. 4. Ital. sacr. in Archiep. Mediol.*

Dans le seizième siècle, les Autels qu'on erigeait, étaient encore creux et concaves, et l'on y mettait des corps entiers de Saints, quand on en trouvait; mais l'on cessa d'y laisser des ouvertures par où l'on pût voir les Reliques, et l'on fit prudemment : les nouveaux Hérétiques prêchaient déjà contre la vénération des Saints et de leurs Reliques, et il était aisé de voir qu'ils s'emporteraient jusqu'à les profaner, comme ils ont fait dans la suite.

Tous les Autels ne se fermaient pas neanmoins, comme ceux dont je viens de parler. Il y en avait un grand nombre qui étaient posés sur des colonnes : les uns n'avaient pour appui qu'une seule colonne; tel était l'Autel de pierre de Notre-Dame de Blacherne à Constantinople (*Histor. Miscell. cap. 20.*); d'autres étaient posés sur plusieurs colonnes, les uns plus, les autres moins; et c'était anciennement l'usage le plus commun, comme il paraît visiblement par ceux qui restent encore dans les cryptes ou chapelles souterraines de Rome. (*Bona, rer. Liturg. lib. 1. cap. 20. n. 1.*) Il y en a même quelques-uns en France : celui de Chartres, qui est de jaspe, est posé sur six colonnes de même matière. Synésius Evêque de Ptolémaïde suppose que ces Autels étaient communs de son temps : *J'entrerai*, dit-il (*In Catastasi*), *dans le temple de Dieu, je tournerai autour de l'Autel, j'arroserai le pavé de mes larmes. j'embrasserai les sacrées colonnes qui soutiennent la table immaculée.* On voit la même chose dans la Lettre circulaire où le Pape Vigile raconte la violence qu'on lui avait faite dans l'Eglise de Sainte Euphémie. *Comme nous étions là*, dit-il (*Epit. 15.*), *et qu'on commençait à nous tirer par les pieds, nous nous attachâmes aux colonnes de l'Autel, et la table en fut si fort ébranlée, qu'elle serait tombée sur nous, sans les mains de nos Clercs qui la soutinrent.* Il y a grand nombre d'autres exemples dans l'Histoire Ecclésiastique de ces Autels appuyés sur des colonnes et vides par dessous, que nous pourrions rapporter pour prouver que ceux qui sont d'une maçonnerie pleine et solide sont nouveaux.

qui dicitur in Scripturis, petra et lapis angularis (F), estque simul altare, hostia, Sacerdos.

I. Ut Sanctorum reliquiæ sub altari condantur, estne id prisco in more positum ?

R. Quo tempore introducta sit illa consuetudo non liquet. Certum est eam ubique seculo quarto obtinuisse. (G) Hujus consuetudinis duplex fortè ratio fuit : 1. Quòd scribit Joannes Apostolus in Apocalypsi vidisse se *subtùs altare animas interfectorum propter verbum Dei.* (*Apoc.* VI. 9.) 2. Quòd olim sæviente persecutione, super sepulcra Martyrum in cryptis Missa celebraretur.

Quidquid sit de illius ritûs origine, certè hoc innuit Ecclesia, Sanctos quid unum esse cum Christo, qui suprà laudato Apocalypseos testimonio per altare designatur. (H)

I. Ut plura in uno templo altaria erigantur, estne prisco in more positum ?

R. Apud Orientales nefas est intra septa ejusdem templi sacrificium eadem die iterare ; adeoque unum in quolibet templo, ex antiquissimo ritu, altare erigunt. Sed plura juxta quodlibet templum erigunt Sacella et Oratoria muro disjuncta, et in sacellis singulis altare ad privatam Sacrificii celebrationem.

Apud Occidentales privata illa sacella et altaria non disjunguntur muro ab Ecclesia majori. Et ex antiquissimo ritu mos obtinuit ut plura essent in uno templo altaria. Hujus ritûs vestigia quædam exstant apud S. Ambrosium in Epis-

(F) PSAL. CXVII. 22. *et* MATTH. XX. 42. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.

EPHES. II. 20. Superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

(G) S. HIERON. *advers. Vigilant.* Malè facit ergo Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri et Pauli, secundùm nos ossa veneranda, secundùm te vilem pulvisculum, offert Domino sacrificia, et tumulos eorum Christi arbitratur altaria ?

S. AUGUST. *Lib.* 20. *contra Faust. cap.* 21. *Vide superiùs Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 3. *litt.* (H)

Acta S. THEODOT. Ancyr. *apud* THEOD. RUINART, *pag.* 359. Athleta Christi ad Presbyterum subridens : Quàm aptum, inquit, video locum ad sacrarum Reliquiarum susceptionem ! Quid cunctaris ? Respondit Presbyter : Tu satage, ut habeam in quibus laborem ; et tunc me argue tarditatis, de sanctarum Reliquiarum allatione loquens. Oportet enim, inquit, obtinere illas, ac tum de ædificio inchoando cogitare. Tunc Martyr ; Nostrum, inquit, est sollicitiùs agere ; seu potiùs Dei, Reliquias tibi subministrare : tuum verò, præparare diligenter ædem sacram. Quapropter obsecro, Pater, ne cunctéris in opere ; sed cura ut quamprimùm illud perducas ad finem. Citò enim advenient Reliquiæ. Atque hæc dicens, detraxit digito annulum, deditque Presbytero, et ait : Dominus testis sit inter me et te, quia brevi tibi providebitur de Reliquiis ; indicans scilicet vel alium se missurum, vel ipsummet venturum. Festinabat enim certaminis sui cursum absolvere.

(H) S. AMBROS. *aut* AUCTOR *lib.* 4. *de Sacramentis, cap.* 2. *n.* 7. Forma corporis altare est, et corpus Christi est in altari.

Lib. 5. *cap.* 2. *n.* 7. Quid est altare nisi forma corporis Christi ?

Idem quoque scripserunt SS. Patres ; et Auctores Liturgici penè omnes Altare, Christum *interpretantur.*

tola ad sororem. (I) S. Gregorius magnus ad Palladium Santonensem Episcopum scribens meminit tredecim altarium ab illo Episcopo positorum in una Ecclesia, mittitque ad eum reliquias Sanctorum in iis collocandas, monetque ne ibidem servientibus Presbyteris alimonia desit. (K)

(I) S. Ambros. *Epist.* 20. *aliàs* 33. *aut* 14. *ad sororem Marcell. n.* 8. Nec altaria tenebo vitam obsecrans, sed pro altaribus gratiùs immolor.

V. 24. Cum fratribus Psalmos in Ecclesiæ basilica minore diximus.

(K) S. Greg. Magn. *lib.* 5. *Epist.* 50. *ad Palladium Episc. de Santonibus, nunc lib.* 6. *Epist.* 49. Veniens lator præsentium Leuparicus Presbyter vester insinuavit nobis Fraternitatem vestram, Ecclesiam in honorem beati Petri et Pauli Apostolorum, necnon Laurentii atque Pancratii Martyrum construxisse, atque illic tredecim altaria collocasse, ex quibus quatuor necdùm dedicata comperimus remansisse, ob hoc quòd supradictorum Sanctorum reliquias illic collocare Deo annuente disponitis. Et quia reliquias Sanctorum Petri et Pauli, necnon Laurentii atque Pancratii Martyrum cum veneratione præbuimus; hortamur, ut eas cum reverentia suscipere et collocare, auxiliante Domino, debeatis: provisuri ante omnia, ut servientibus ibidem non debeant alimoniarum deesse suffragia.

Joan. Bona S. R. E. Cardinal. *rerum Liturg. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 3. Non leve tandem indicium Missæ peculiariter actæ præbet altarium multitudo in eadem Ecclesia, de quibus veterum Patrum testimonia non desunt. Gregorius magnus lib. 5. Epist. 50. ad Palladium Santonensem Episcopum: « Veniens, (inquit,) lator præsentium insinuavit nobis » Fraternitatem vestram Ecclesiam construxisse, atque illic tredecim » altaria collocasse, ex quibus quatuor necdùm dedicata comperimus » remansisse. » Loquitur autem de altaribus ad usum Sacrificii, nam et reliquias Sanctorum ipsi Episcopo mittit in iis collocandas, atque eidem præcipit ut provideat ne ibidem servientibus alimoniarum suffragia desint. Acca Episcopus, ut refert Beda *lib.* 5. *hist. cap.* 21. acquisitis undecunque reliquiis beatorum Apostolorum et Martyrum, in veneretionem illorum altaria ædificavit distinctis porticibus intra muros Ecclesiæ. Plura item altaria Romæ fuisse in basilica principis Apostolorum, non solùm ad Orientem juxta ritum Ecclesiæ, sed et in alias partes distributa scribit Walfridus *cap.* 4. Apud Bedam Missas actas in cunctis Oratoriis Monasterii: plura item Oratoria constructa à sanctis Benedicto et Mauro, jam suprà commemoravimus. Alia hujusmodi occurrunt passim in Actis Sanctorum, et in Chronicis ac Ritualibus Monachorum, sive fuerit oratoria à corpore Ecclesiæ muro sejuncta, sive altaria sub eodem tecto; quæ sanè multiplicatio inutilis procul dubio fuisset, si non nisi semel in die sacrificium offerre in eadem Ecclesia licuisset. Græcorum alia est consuetudo, unicum enim altare in singulis Ecclesiis habent, nec fas esse putant intra septa ejusdem templi Sacrum eodem die iterare. Ideò Patres et Historici Græci unius tantùm altaris in una Ecclesia mentionem faciunt; cujus unitatis analogiam indè accipi ferunt, quia unus est Christus, una Ecclesia, unicum Sacrificium, Unigenam aram vocat Tyrius Orator *in Panegyrico* Encæniorum templi à Paulino Episcopo ædificati, quem *libro* 10. suæ Historiæ inseruit Eusebius. An verò hic ritus ab Ecclesia Latina olim receptus fuerit, non liquet; nisi quòd hùc respexisse videtur Concilium Autisiodorense anno 578. ut Sirmondus docet, celebratum, cùm *cap.* 10. edicit non licere super uno altario unâ die duas Missas dicere. Verùm hæc Synodus œcumenica non fuit, et fortassis de Missis solemnibus intelligi debet: nam statim subdit, non licere Presbytero Sacrum facere in altario in quo illâ die Episcopus Missas dixerit: quod de quacunque Missa interpretor, ne eadem sanctio bis inutiliter repetita censeatur. Porrò Græci tametsi unicum in Ecclesia altare habeant, plura tamen ipsi Ecclesiæ proxima, muroque disjuncta construunt sacella sive oratoria, quæ Parecclesiæ ab illis vocantur, quasi Ecclesiarum appendices, in quibus profestis diebus, ut refert Goar *in notis ad Euchologium, pag.* 16. Liturgias privatim agunt, feriâ secundâ de Angelis, tertiâ de B. Virgine, quartâ de S. Joanne Baptista, quintâ

I. Estne jam pridem in more positum, ut in usum sacrificii consecrentur ab Episcopis, ad modum altaris, tabellæ marmoreæ vel lapideæ ponendæ in altaribus non consecratis ?

R. Altarium portatilium usus, sic enim vocantur tabellæ illæ lapideæ, jam pridem obtinuit in Ecclesia Latina. Horum meminit venerabilis Beda seculo septimo (L) : meminit et Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, ineunte seculo nono. (M) Nullum exstat vestigium altarium ejusmodi ante venerabilis Bedæ tempora.

Græci non habent portatilium altarium usum, sed horum loco consecrant cum magno rituum apparatu pannos quosdam, qui deinceps sternuntur in altaribus non consecratis quoties in iis agenda liturgia est. Hos vocant *Antiminsia.* (N)

de Apostolis, sextà de cruce, sabbato pro defunctis. Non omnes tamen Parœcclesiæ templi muro adhærent, sed quædam longè absunt, et per ambitum Monasterii dispersæ sunt, celebrantque in his Hebdomadarii per vices, ut notat Leo Allatius *in Epist. ad Joannem Morinum* de Græcorum recentiorum templis. Et Græci quidem pristinum morem constanter retinuerunt : Latini autem, quamvis antiquitùs plura oratoria loco dissita in Monasteriis habuerint, ea jam pridem in majorem Ecclesiam, variis ædificatis altaribus, transtulerunt.

N. 4. Aiunt nonnulli, quorum sententiæ non invitus accedo, crevisse numerum altarium et Sacerdotum, postquam populus qui Missæ aderat, { aderant autem omnes } desiit communicare : nam cùm omnes uni Missæ præsentes erant, et communicabant, pluries celebrare necessarium non erat.

Bocquillot, *Traité hist. de la Liturgie lib.* 2. *cap.* 7. *Vide suprà* §. 14. *litt.* (F)

(L) Ven. Beda *lib.* 5. *Histor. cap.* 11. Uterque Heuvualdus, albus et niger.... hymnis semper et orationibus vacabant, et quotidiè sacrificium Deo victimæ salutaris offerebant, habentes secum vascula sacra et tabulam altaris vice dedicatam.

(M) Hincmar. Archiep. Rhemens. *in Capitulis editis anno* XII. *sui Episcopatûs.* Nemo Presbyterorum in altario ab Episcopo non consecrato cantare præsumat. Quapropter si necessitas poposcerit, donec Ecclesia vel altaria consecrentur, et in capellis etiam, quæ consecrationem non merentur, tabulam quisque Presbyter, cui necessarium fuerit, de marmore vel nigra petra, aut licio honestissimo, secundùm suam possibilitatem, honestè affectatam habeat, et nobis ad consecrandam afferat, quam secum cùm expedierit deferat, in qua sacra Mysteria secundùm ritum Ecclesiasticum agere valeat.

(N) Jacob. Goar Ord. FF. Prædicat. *in notis Euchiolog. Græc. pag.* 653. *col.* 1. *de antimensiis.* Altaria Episcopi benedictione consecrata cuicunque sacris operanti necessaria esse, unanimi Orientalis Ecclesiæ et Occidentalis consensu statutum est. Non dedicatis autem Oratoriis quàm plurimis cùm abundet Orientis plaga, nec lapideis altaribus hùc illùc deportandis se facilem reddiderit, quibusdam pannis altarium ritu et vice consecratis uti, jam à multis seculis decrevit.... De his Juris Græco-Romani *lib.* 3. *in respons.* Joan. Citri Episcop.... Hæc autem in sacris ponuntur mensis quas consecratio non sanctificavit : nam ex antimensiis ipsa nobis consecrata mensa et sacrificata oblatio, sanctificationem sumunt.... Si igitur haud dedicatum est templum, quod ei deest, sanctificatoria antimensii vis implet ; ideoque templo nondùm consecrato, sacris operari sine antimensio, nunquam concessum est. Quonam enim modo altare sanctificabit donum, si sanctificationis non fuerit particeps ? Et Sacerdoti qui hoc usus fuerit pœna erit depositio.... Quærit autem Balsamon *in* 7. *can. Synod.* utrum in Oratoriis in quibus ut in consecratis solorum antimensiorum est usus, liceat Episcopo sicut et Sacerdoti

I. Linea, corporalia, pallæ, calices, patenæ cæteraque quibus nunc ornantur et vestiuntur altaria, adhibenturne ex veteri ritu?

R. Horum omnium usus antiquissimus. Sed varius tamen pro variis Ecclesiarum et seculorum ritibus, sive materiam, sive formam, sive usum ipsum spectes. (O)

sacra facere. Scitu dignam profert ille responsionem. Perfecta à Pontificibus antimensia eo tempore quo dedicatio templi peragitur, per oratorias domos distributa loco dedicationis sufficiunt, id est, incæniis, apertione, et Reliquiarum intronizatione.... Propterea enim antimensia vocantur, vicaria nimirùm et formam referentia multorum ferculorum quæ sacram Dominicam mensam perficiunt. Pontifices autem sacra non celebrant in Oratoriis, templis non dedicatis; quia nimis dimittitur præsulatûs dignitas, ubi non adest thronus, in quo Apostolicus Episcopus constituitur: et desunt alia, quæ templi consecrationem decoremque componunt.

JOAN. BONA S. R. E. Card. *rerum Liturg. lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 2. Græci altaria portatilia non habent, sed eorum vice utuntur antimensiis, cujus nominis ratio hæc est, quòd ea adhibeant loco mensæ sive altaris. Exstat horum consecratio in Euchologio Græcorum *pag.* 648. et ibi *in notis* Jacobus Goar longam et insulsam affert Joannis Citri Episcopi disputationem cæcutientis in hujus nominis assignanda etymologia. Quid sint explicat idem Goar ex Scriptoribus Græcis. Sunt videlicet quidam panni altarium ritu et vice consecrati, quibus à multis seculis utitur Ecclesia Orientalis, cùm Liturgiam celebrare contingit in altari non consecrato. Theodorus Balsamon in expositione can. 31. Concilii Trulani: « Idcò, (inquit,) reperta sunt antimensia, et fiunt à Pontificibus, » quo tempore celebrant dedicationem Ecclesiæ, ut ponantur in sacris » mensis, quando permissu Antistitis oblatio Liturgiæ sit in Oratorio. » Et Manuel Charitopulus *lib.* 3. *Juris Orientalis*, antimensia non in omnibus altaribus poni docet, sed in his tantùm, de quibus nescitur an sint consecrata.

Glossarium mediæ et infimæ Græcitatis à D. DUCANGE. *Antiminsia* verò sequioribus Græcis appellantur segmenta panni, vel mappæ, quæ sacræ mensæ insternitur in die Encæniorum ædis sacræ: quæ precibus et ritu Ecclesiastico consecrata, in varias partes discinditur, quæ *altarium*, ut Latini vocant, *portatilium* vicem præstant, adeò ut absque iis in Oratoriorum aut aliarum ædium sacrarum mensis non consecratis, absque hujusmodi antimensiis, sacras Liturgias peragere non liceat..... Antiminsia dicuntur scribi, id est, signari crucis signo in iis inscripto... Ea verò licèt secundùm Balsamonem à locorum Antistibus consecrentur, possunt tamen in alias provincias mitti, quemadmodùm sacrum chrisma... Ponitur autem *antiminsia* in ipsa mensa sacra, et sub linteo quod *catasarca* vocant, quòd illud sit quod mensam ipsam primùm tangat, uti est in Typico S. Sabæ, *cap.* 41. vel potiùs supra *catasarca*, ut est in Euchologio.... Igitur apud Græcos in oratoriis non dedicatis, immò in ædiculis navium pictati destinatis, sed et in campis aut desertis, si necessitas id postulet, cum antimensiis sacra peragere licuit.... Absque antimensiis non licet sacra facere.... Qui secùs ageret Sacerdos pœnitentiæ subjiciebatur. Si totum per ignorantiam fuerit, sanctificationem non deponit.

(O) BONA Cardinal. *Liturg. lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 1. De calicis origine nemo qui credat Evangelio ambigere potest. Ibi enim legimus Redemptorem nostrum in ultima cœna, postquam tradidit Discipulis suis sub specie panis corpus suum, accepisse calicem, et dedisse illis, ac dixisse, ut omnes ex eo biberent sanguinem suum, qui mox pro illis et pro multis effundendus erat in remissionem peccatorum. Hoc testatur Apostolus se accepisse à Domino, et fidelibus tradidisse; (1. *Cor.* XI. 23. 24. *et* 25.) *quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens fregit et dixit, Accipite et manducate, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter et calicem postquam cœnavit, dicens, Hic calix novum testamentum est in meo sanguine....* A Christo igitur initium calicis

habemus, quem ab Apostolis et deinceps à Patribus in Sacrificiis adhibitum fuisse extra controversiam est, cùm sacrum celebrari sine illo non possit. Ex qua verò materia primis Ecclesiæ seculis fabricari soleret, hic primo loco investigandum est. In Concilio Triburiensi sub Formoso cap. 18. celebre apophthegma refertur S. Bonifacii Episcopi Moguntini: » Vasa quibus sacrosancta conficiuntur mysteria, calices sunt et patenæ, » de quibus Bonifacius Martyr et Episcopus interrogatus, si liceret in » vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit: Quondam Sacerdotes » aurei ligneis calicibus utebantur, nunc è contra ligneis Sacerdotes aureis » utuntur calicibus. » Honorius quoque in Gemma animæ *lib.* 1. cap. 89. *Apostoli*, inquit, *et eorum successores in ligneis calicibus Missas celebraverunt.* Sed Honorio id asserenti sine legitimo teste non credo: et ex verbis Bonifacii inferri non potest, quòd usus lignei calicis communis fuerit in primitiva Ecclesia. Crediderim potiùs S. Antistitem zelo Dei succensum præteritorum comparatione sua tempora redarguisse, id quod homines passim solent. Fuisse in aliqua Ecclesia calicem ligneum vel propter rerum penuriam, vel propter incuriam Sacerdotum, non inficior, neque enim Concilium Triburiense loco citato statuisset, ne quis deinceps sacra Mysteria in ligneis vasculis conficere præsumeret, nisi hic abusus alicubi irrepsisset. Canones quoque editi in Anglia sub Edgaro Rege *cap.* 41. calicem fusilem esse decernunt, vetantque ne omninò in ligneo fiat consecratio. Pyxidem ligneam, et in ea corpus Domini commemorat Rupertus abbas *lib. de incendio Tuitiensi cap.* 5. sed hæc conservandæ Eucharistiæ, non conficiendæ destinata erat. Inter abusus etiam recenseo lapideos et corneos calices. De lapideis sive marmoreis mentio fit in vita S. Theodori Archimandritæ apud Surium *die* 22. *aprilis*: narrat enim Georgius Presbyter ejus Scriptor, quòd cùm monasterium ab illo ædificatum auctum esset, sed argenteâ suppellectili careret, et vasa tantùm marmorea in mysteriis adhiberentur, misit sanctissimus Theodorus Archidiaconum suum ad regiam civitatem, ut argenteum vas ad sacrorum mysteriorum usum emeret. Ex lapide item onychino factos legimus, nam in Synodo Duziacensi edita à Cellotio *pag.* 4. *cap.* 5. inter crimina Hincmari Laudunensis hoc numeratur, quòd calicem onychinum auro et gemmis ornatum à Rege donatum ab Ecclesia sustulerit. In actis S. Berneucardi Episcopi Hildesheimensis scriptum est plures ab eo calices datos Ecclesiæ, et unum ex lapide onychino, alterum crystallinum mirâ industriâ. Leo Ostiensis *in fine lib.* 3. *Chronici Cassinen.* inter ornamenta à Victore III. Cassinensi Ecclesiæ relicta, duos calices onychinos recenset. Similis lapidi onychino est sardonyx, ex qua gemma Sugerius Abbas se altaris officiis calicem pretiosum comparasse ait *in libro de gestis suis*, cùm regnum administrabat. Cornei meminit Synodus Calculensis in Anglia sub Adriano I. quæ ejus usum prohibuit *cap.* 10. Thomas item Bartholinus *lib. de medicina Danorum domestica* scribit penès se esse calicem corneum, quo olim in sacrificio Missæ utebantur Norvegi. Fuerunt et calices vitrei, qui procul dubio mundiores et decentiores erant; et ideo antiquior ac frequentior eorum usus. Putant nonnulli à Zephyrino Papa statutum fuisse, ut calices vitrei essent; in libro enim Pontificali sic de eo scriptum est: « Hic fecit constitutum de Ecclesia, » ut patenas vitreas Ministri ante Sacerdotes portarent, dùm Episcopus » Missam celebraret. » At hic de calicibus nec verbum quidem; extendere autem ad calices statutum de patenis, ut plerique faciunt, ego non audeo. Pontifice nihil de illis decernente: cùm præsertim nos lateat ad quem usum portarentur illæ patenæ à Ministris, quas probabiliter crediderim distribuendæ potiùs populo communioni, quàm Sacrificio deservisse. Alii hùc pertrahunt Tertullianum, qui *lib. de pudicitia cap.* 7. ait: « Procedant picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit » interpretatio pecudis illius, » ovis scilicet perditæ et à Domino requisitæ, et humeris ejus revectæ. Et infrà cap. 10. « Si forte patrocinabitur » pastor, quem in calice depingis. » *Et post pauca*: « At ego ejus pastoris » scripturas haurio, qui non potest frangi. » Sed hic Tertullianus nihil de materia calicis exprimit, deque sola pictura loquitur, quæ non solùm vitreis, sed etiam argenteis convenire possunt, illius præsertim Scriptoris stylo, qui metaphoris abundat, et obscuritatem ubique affectavit.

ut de illo testatur Lactantius *lib.* 5. *cap.* 1. Continent autem citata verba, ut hoc obiter notem, illius jam hæretici adversùs Catholicos amarulenta convitia, ac si pastorem ovem perditam gestantem in calicibus pingerent, ut hinc in omne scelus animarentur, tanquam pœnitentiam summi Pastoris misericordiâ recepturi post lapsum, quam ipse negabat. Alii ad adstruendum vitrei calicis usum plurima coacervant veterum Patrum testimonia, in quibus fracti calicis mentio fit, ac si nihil frangi possit, nisi sit vitreum. At hos redarguunt Grammatici, apud quos frangi dicitur quidquid rumpi, discerpi, scindi, secari, collidi, conteri, comminui potest. Undè Cicero Orat. 6. in Verrem: *Aureus annulus, quem habebat, fractus est et comminutus.* Et lib. 4. ad Atticum Epist. 3. *Quinti fratris domus conjectu lapidum fracta est.* Certiores vitrei calicis probationes probæ notæ Scriptores suppeditant. Apostolicis temporibus proximus fuit Marcus hæreticus et magus, qui testibus Irenæo *lib.* 1. *cap.* 9. et Epiphanio *hær.* 34. vitreum calicem, Catholicorum morem æmulatus, ut putat Baronius, in mysteriis adhibens, vinum album præstigiis suis mutabat in rubrum, ac si per ejus invocationem sanguis stillaret in calicem. Donatus quoque Episcopus Aretinus et martyr calice vitreo utebatur, quem fractum à Paganis fusâ oratione reparavit, ut scribit Gregorius magnus *lib.* 1. *dialog. cap.* 7. S. Hieronymus *in fine Epistolæ* 4. *ad Rusticum* laudans Exuperium Episcopum Tolosanum, *Nihil*, inquit, *illo ditius, qui corpus Domini canistro vimineo, et sanguinem portat in vitro.* Cæsarius item Arelatensis, ut narrat Cyprianus ejus discipulus in vita ipsius, vitreo calice usus est, cujus illa verba referuntur, *an non in vitro habetur sanguinis Christi?* quia nimirùm aurea et argentea vasa pro redimendis captivis distraxerat. Calicis quoque vitrei fracti, et meritis S. Laurentii Martyris in ejus basilica Mediolanensi reparati meminit Gregorius Turonensis *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 46. Quòd verò plures, præcipuè in Gallia, tam Episcopi quàm Presbyteri vitreo calice usi sint, non in aliquam Ecclesiæ legem, neque in Ecclesiæ Gallicanæ consuetudinem, sed in temporum calamitatem referendum est, ob barbarorum incursiones quæ coëgerant omne aurum Eccles æ pauperibus et in captivitate degentibus erogari, ut Hieronymus et Cyprianus suprà citati asseverant. S. Benedictus Anianensis, ut vitæ ejus Scriptor ait, vasa ad conficiendam Christi corpus nolebat sibi esse argentea: siquidem primùm ei fuerunt lignea, deinceps vitrea: sic tandem cuscendit ad stannea. Sanctus item Columbanus æneo calice usus est, cujus exemplum Gallus ejus discipulus imitatus vasa argentea recusavit, ut habent ejus Acta apud Surium *die* 16. *Octobris.* Verùm hæc privata illorum opinio fuit, et idem Benedictus mutatà postmodùm sententiâ non solùm calices, sed et lampades et candelabra aliaque ornamenta ex argenteo admisit. Porrò Gratianus *de consecr. dist.* 1. *cap.* 45. et Ivo *p.* 2. *cap.* 131. ex quodam Concilio Rhenensi canonem afferunt, quo præcipitur, ne quis in ligneo aut vitreo calice præsumat celebrare. At quale fuerit hoc Concilium, et quo tempore celebratum nec illi dicunt, nec mihi libet divinare, licèt non ignorem à quibusdam recentioribus ad ævum Caroli magni referri, qui tamen sui dicti nullam afferunt certam rationem. Pluries itaque vetitum, nunquam statutum aut approbatum legimus calicis lignei, aut vitrei, sive lapidei, vel cornei usum. Prohibetur similiter in eodem canone Rhemensi calix ex ære vel aurichalco, *quia ob vini virtutem parit ærugi-nem, quæ vomitum provocat.* Mandat autem ut si non ex auro, saltem ex argento fiat. Quòd si quis tam pauper est, ut argenteum habere non possit, saltem stanneum habeat. Richardus verò Cantuariensis Archiepiscopus immediatus S. Thomæ Martyris successor, in Synodo à Rogero Hovedensi relata præcepit, ne consecraretur Eucharistia nisi in calice aureo vel argenteo, et ne stanneum calicem Episcopus benediceret. Cui consonans Petrus Damiani *opusc.* 23. *cap.* 1. acriter invehitur adversùs incuriam Sacerdotum, qui stanneis, vel etiam supparis cujuscunque metalli calicibus, eisque sordidis utebantur, quos propriis adhibere labiis vir quilibet potens non dignaretur.

N. 2. Hæc mihi de calicibus ex ligno, vitro, aliave materia præter aurum et argentum non fabricandis ex veterum monumentis comperta sunt; ex quibus colligitur orthodoxam Ecclesiam semper et ubique in

hoc conspirasse, ut aureis vel argenteis calicibus Sacerdotes uterentur... Hic mos fuit primorum Christi fidelium, qui vendilis possessionibus pretia Apostolis in communem Ecclesiæ usum afferebant. Non ergo deerant Apostolis nummi, quibus et fratrum necessitatibus providerent, et quæ spectabant ad usum sacrificii compararent. Curasse autem ut ea maximè decentia essent, et ut vasa sacra ex pretioso metallo fabricarentur, non levi conjecturâ inferre possumus ex eorum pietate et maxima veneratione, quâ divina mysteria corporis et sanguinis Christi prosequebantur. Derivata ab illis ad posteros hæc cura et religio est, adeò ut sæviente persecutione aureos et argenteos calices Ecclesiam habuisse fide dignissimi Scriptores testentur. Optatus Milevitanus *lib.* 1. loquens de Mensurio Episcopo, « Erant, (inquit,) Ecclesiæ ex auro et argento quàm plurima » ornamenta, quæ nec defodere terræ, nec secum portare poterat. » In his autem ornamentis potiorem locum calices obtinuisse nulli dubium esse potest; nam *lib.* 6. inter scelera Donatistarum hoc etiam recenset, quòd calices fregerint. « Fregistis, (*inquit*,) calices Christi sanguinis portatores, quorum species revocastis in massas, mercem nefariis nundinis » procurantes. Emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres: emerunt » Pagani facturi vasa in quibus incenderent idolis suis. » Ex quibus verbis duo evidenter deducuntur: unum quòd etiam sub ethnicis Principibus Christianorum persecutoribus, quibus imperantibus Donatistæ eruperunt in Africa, habebat Ecclesia vasa aurea et argentea; alterum, quàm ineptè viri aliàs non indocti eam Optati sententiam, *Fregistis calices*, afferant ad probandum quòd calices tunc vitrei fuerint; à qua inconsulta opinione procul dubio recessissent, si integrum Optati textum legissent: neque enim vitri fragmenta vendi poterant, et in Paganorum vasa conflari. Exstant acta Proconsularia adversùs traditores sub Diocletiano et Maximiano apud Baronium *tom.* 2. *ann.* 303. quorum meminit Augustinus *Epist.* 165. *ad Generosum*, et *in libris adversùs Cresconium*; ex quibus constat traditos à Donatistis non solùm sacros codices juxta edictum Diocletiani, sed etiam calices aureos et argenteos. Huc item spectat quod Gregorius Turonensis scribit *lib.* 1. *de gloria Martyrum cap.* 38. in cryptis subterraneis, in quibus olim fideles metu persecutionis sacris operari consueverant, varia ministeria argentea reperta fuisse. Sopitis verò persecutionibus sub Constantino magno et deinceps, cœperunt Ecclesiæ aureis, argenteis, et gemmatis calicibus abundare. Ipse Constantinus, ut liber Pontificalis in Sylvestro recenset, Ecclesias quas ædificavit sacris donariis locupletans, inter cætera fecisse dicitur calices minores ex auro purissimo XL. pensantes singulos libras singulas; calices ministeriales L. pensantes singulos libras binas; calices argenteos XX. pensantes singulos libras decem. Celebre est viri impii convivium, quem cùm misisset Julianus Apostata ad expilandum templum Antiochenum, ut refert Theodoretus *lib.* 3. *Hist. Eccles. cap.* 8. sacrorum vasorum, quæ Constantinus donaverat, magnificentiam admirans, *En*, inquit, *cujusmodi vasis filio Mariæ ministratur.* Basilicam Principis Apostolorum plurima ex auro et argento vasa et ornamenta possedisse, quando Alaricus Gothorum Rex urbem diripuit, Paulus Orosius *lib.* 7. jucundâ et memorabili historiâ enarrat. Augustinus (*Conc.* 2. *in Ps.* 113.) explicans versiculum *simulacra gentium, argentum et aurum*, ait: « Sed enim et nos pleraque instru» menta et vasa ex hujusmodi materia vel metallo habemus in usum cele» brandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata, sancta » dicuntur. » Chrysostomus aureum calicem et gemmis ornatum commemorat *hom.* 51. *in Matth.* Agathias *lib.* 2. *de reb. Justin.* gentem Alemannicam templa expilasse ait, amulas, calices, acerras, et alia vasa ex puro auro diripuisse. Ipsemet Chosroes Rex Persarum, tametsi infidelis, ut refert Theophylactus Simocatta *lib.* 5. *Hist. cap.* 13. Sergio martyri crucem auream et gemmatam dono dedit ob victoriam ejus ope obtentam; itemque calicem et discum, et thuribulum, aurea omnia, ut ejus intercessione prolem haberet à Sira conjuge, quæ erat Christiana. S. Perpetuus Turonensis Episcopus duos calices aureos Ecclesiæ suæ legavit, ut legimus in ejusdem testamento nuper edito *tom.* 5. *Spicilegii.* Childebertum Regem sexaginta calices aureos gemmis pretiosis ornatos ab Hispania in Galliam detulisse scribit Gregorius Turonen. *lib.* 3. *Hist. Franc.*

cap. 10. Omitto reliquos ejusdem vel sequentium seculorum, quorum testimonia in re clarissimâ superflua sunt.

N. 3. Annexa Calici est patena, quæ ejus operculum est.... Patenas magni ponderis, gemmisque ornatas sæpè memorat Anastasius interdonaria Pontificum pensantes XXV. libras. Et in Leone III. meminit patenæ majoris aureæ cum gemmis et ansis duabus. Porrò istæ cùm tantæ magnitudinis essent, usui esse non poterant Sacerdoti celebranti : erant autem et patenæ ministeriales cæteris ampliores, quæ distribuendæ populo Eucharistiæ deserviebant. Erant et chrismales ad usum Baptismatis et Confirmationis. Ex eadem materia, quâ calices fuisse, cùm par utrorumque sit ratio, credibile est. Zephyrinus vitreas fieri sancivit, Urbanus argenteas, quod qualiter intelligi debeat jam suprà dictum est. An Christus consecratum panem in disco seu patena posuerit, non exprimunt Evangelistæ : ejus tamen usum ævi Apostolici esse Liturgia Jacobi ostendit. Sculptum in patena vultum Salvatoris referunt Anastasius in vitâ Gregorii IV. et Joannes Diaconus in vita sancti Anastasii Episcopi Neapolitani. Utriusque verò tam calicis quàm patenæ exstat in ordine Romano consecratio, unctione chrismatis certisque precibus adhibitis, quem ritum è veteri Testamento ad novum profluxisse reor. Ideò vetitus utriusque factus profanis hominibus decreto Sixti I. à quo ait liber Pontificalis constitutum, ut ministeria sacrata non tangerentur nisi à Ministris.

N. 11. Post vasa et instrumenta proxima est suppellex, et primò quidem palla linea sive sindon, in qua corpus Christi consecratur, cui propterea *Corporalis* nomen ab Ecclesiasticis Scriptoribus inditum fuit. Apostolos non in nudo altari, sed pannis seu linteis ornato sacrum celebrasse omninò credendum est, ob maximam reverentiam, quâ sanctissimum Christi corpus venerabantur. At verò Sylvester in libro Pontificali constituisse dicitur, ut sacrificium altaris non in serico neque in panno tincto, sed tantùm in linco ex terra procreato consecraretur ; sicut corpus Domini in sindone linea et munda sepultum fuit. Græci etiam velo lineo quadrato utuntur, instar nostri Corporalis, quod explicatur lecto Evangelio, et expletâ synaxi complicatur.... Glaber Rodulfus Monachus *lib.* 5. *Hist. cap.* 1. applicatione corporalis fugatos morbos, exstincta incendia narrans, vocat illud Chrismale ; quod nomen illi etiam tribuitur à Beda, in suo Pœnitentiali, nescio qua de causa. Olim multò longius et latius fuit, quàm hodiè sit ; nam totum altare eo tegebatur, et ideò palla et linteamen vocabatur.... Ideò autem totum altare tegebat, ut tot in eo panes commodè possent collocari, quot necessarii erant pro multitudine communicantium ; quâ cessante et ipsum strictius factum est. Unicum quoque fuit olim Corporale, nec aderat parva illa palla quâ nunc calicem operimus : cùm enim palla corporis latior esset, eâ etiam utebantur ad tegendum calicem.... Manet hodiè hic ritus apud Carthusianos. Ecclesia autem Romano ad tegendum calicem parvam adhibet pallam, de qua loquitur Innocentius III. *lib.* 2. *de mysteriis Missæ cap.* 56. dicens : « Duplex » est palla, quæ dicitur Corporale, una quam Diaconus super altare to» tam extendit, altera quam super calicem plicatam imponit.... » De sudariolo seu purificatorio quo nunc utimur ad tergendum calicem, nullam apud antiquos Scriptores mentionem factam invenio. In ordine autem Romano nihil præscribitur de tergendo calice peractâ communione. Ait enim, « Hoc officio juxta altare peracto, et pugillari cum » quo confirmetur populus per Subdiaconum regionarium jam accepto, » traditur calix ab Archidiacono eidem Subdiacono perferendus Acolyto, » ut reponatur in paratorio. » Et alibi ait : « Diacono nimis cautè procu» randum est, ne quid in calice aut patena sanguinis vel corporis Christi » remaneat ! » Quomodò autem tam calix quàm patena abstergerentur, priusquàm reponerentur in paratorio non dicit. Obscurum similiter est quid per *paratorium* intelligatur, an arca sive armarium, quo universa sacra supellex reconderetur, an capsula soli calici asservando destinata. Monachi olim ad tergendum calicem linteolo utebantur in cornu Epistolæ cujusque altaris appenso, ubi etiam erat parva piscina, in quam secundam calicis ablutionem projiciebant, ut adhuc apparet in antiquis Ecclesiis, præsertim Cisterciensium. Græci spongiâ utuntur, quâ et calicem et discum detergunt, ut docet Goar *in notis ad Liturgiam Chrysostomi*

num. 177. Eam verò in Sacrificio incruento usurpant, quia sacrificii cruenti à Christo oblati pars fuit et instrumentum. Usus veli, quo calix operitur, antiquissimus est: nam *can.* 72. *Apostolorum* sancitur, ne quis velum sanctificatum in usus suos convertat: et in Concilio Bracarensi III. tempore Adeodati Papæ *c.* 2. illi excommunicatione damnantur, qui Ecclesiastica ornamenta et vela in usus suos transferre, vel aliis donare aut vendere præsumpserint. Hormisda quoque Romanus Pontifex *Epist.* 73. gratias agit Epiphanio Constantinopolitano ob calices et vela ab eo sibi directa. Græci tribus velis sacra tegunt: uno discum, altero calicem, tertio, eoque majori, utrumque. Hunc verò *aërem* vocant, quia per modum aeris circa terram expansi sacra dona ambit, cujus nomen et formam ab Ecclesia Hierosolymitana in relinquas Orientales derivasse Typicon sabæ testatur apud Goar *in Liturgiam Chrysostomi num.* 51.

N. 13. Spectant etiam ad sacram supellectilem pro Missæ celebratione necessariam tegumenta altaris, lintea scilicet, quæ velamina, pallæ, operimenta, mappæ et mantilia dicuntur: spectant et amicula anteriora, quæ pallia et frontalia à recentioribus, ab antiquis vestes nuncupantur. Denique ad idem pertinent vasa aurea et argentea, flores, thecæ pretiosæ cum reliquiis Sanctorum, et alia ejusdem generis, quæ licèt necessaria non sint, solent tamen ad ornamentum altaris adhiberi. Exstat in Ordine Romano, et in antiquo Ordine dedicationis Ecclesiæ apud Menardum benedictio linteaminum. Ivo Carnotensis 2. *p. Decreti cap.* 132. ex Concilio quodam Rhemensi ait: « Observandum est ut mensa Christi, id est, altare, ubi Dominicum corpus consecratur, ubi sanguis ejus hauritur, » ubi Sanctorum reliquiæ reconduntur, ubi preces et vota populi in » conspectu Dei à Sacerdote offeruntur, cum omni veneratione honore- » tur: et mundissimis linteis et palliis diligentissimè cooperiatur, nihil- » que super eo ponatur, nisi capsæ cum Sanctorum reliquiis, et quatuor » Evangelia. » Optatus Milevitanus *lib.* 6. tanquam morem ubique receptum commemorat, quòd altaria linteis operirentur. Ait enim, « Quis » fidelium nescit in peragendis mysteriis ipsa ligna, » altaria scilicet quæ in Africa lignea erant, « linteamine cooperiri? Inter ipsa Sacramenta » velamen potuit tangi, non lignum. » Victor Episcopus *lib.* 1. *de persecut. Africana*, Proculum quemdam ab impio Geiserico in provinciam Zeugitanam adversùs Catholicos missum scribit, qui rapaci manu cuncta devastans, de pallis altaris camisias sibi et femoralia fecit. Theodoretus *lib.* 1. *Hist. Eccles. cap.* 29. loquens de Encæniis sive consecratione templorum, quæ à Constantino magno Hierosolymis ædificata fuerunt, divinum altare aulæis regalibus, vasisque aureis omni genere gemmarum collucentibus ornatum fuisse refert. Justinianus *Epist. ad Hormisdam Romanum Pontificem* se duo pallia serica eidem direxisse ait ad ornamentum altaris sanctorum Apostolorum. Adrianum fecisse vestes duas super altare testatur Anastasius, majorem unam ex auro purissimo atque gemmis, in qua expressa Dei genitricis in cœlum assumptio: aliam de stauracio ornatam in ambitu blattis. Leo III. apud eumdem fecit vestem super altare tyriam, habentem gryphas majores, et duas notas chrysoclavas cum cruce; aliasque pretiosissimas pro diversis Ecclesiis. Idem fecit ante confessionem principis Apostolorum Angelos ex argento purissimo dextrâ lævâque, pensantes libras CXLVI. nec non et alios Angelos duos ex argento purissimo deauratos, stantes in trabe majori, et pensantes simul libras LXIII. et alios Angelos quatuor minores ex argento purissimo deauratos, pensantes simul libras LXVIII. Paschalis fecit in altari sancti Petri vestem miræ magnitudinis, pulchram et decoratam nimis, ex auro gemmisque contextam, præfigurantem historiam qualiter idem Apostolus à vinculis per Angelum creptus est. Sergius II. fecit vela alba holoserica, ex quibus sacrum circumdatur altare.

M. BOCQUILLOT, *Traité hist. de la Liturgie*, *liv.* 1. *chap.* 5. *pag.* 87. Toutes les fois qu'on célébrait les saints Mystères, il y a beaucoup d'apparence que la sainte Table était couverte d'un voile de toile ou d'étoffe dès les commencemens. La propreté le demandait; et ce voile ou cette nappe était encore plus nécessaire dans les siècles où il y avait plus de fragmens d'hosties à recueillir qu'à présent. Je ne rapporte point en preuve de cet usage le Canon *Si per negligentiam*, (*De consecrat. dist.* 2.)

qui suppose que dès le second siècle il y avait trois nappes sur l'autel comme aujourd'hui, outre le Corporal qu'on mettait par-dessus; car ce Canon est faussement attribué à saint Pie par l'auteur des fausses Décrétales, si décrié parmi les Savans. Le Canon *consulto* (*Ibid. dist.* 1.) vient de la même source, et n'a pas plus d'autorité, quoiqu'il soit cité par des Auteurs du neuvième siècle et des suivans, et quoique divers Bréviaires attribuent comme lui à saint Sylvestre d'avoir ordonné qu'on se servît d'un linge, et non d'un voile de soie ou d'autre étoffe dans les saints Mystères, pour mieux représenter le linceul dans lequel le corps du Seigneur avait été enseveli. Il faut donc chercher ailleurs de meilleures preuves que celles-là.

Saint Optat nous en fournit une bien claire et bien forte. (*S. Optat. lib.* 6. *ferè initio.*) Il se moque de la folie des Donatistes, qui pour purifier les autels des Catholiques, les raclaient. Après leur avoir demandé pourquoi ils en usaient ainsi, et s'ils appréhendaient que nos Prêtres cussent touché l'autel en célébrant, il ajoute : « Qui est celui d'entre les » fideles, qui ignore que la Table est couverte d'un linge toutes les fois » qu'on célèbre? » *Quis fidelium nesciat in peragendis mysteriis ipsa ligna linteamine cooperiri?*.... C'est donc une chose indubitable et certaine, qu'on mettait une nappe sur l'autel pour célébrer les saints mystères. Ce n'est point un usage nouveau ni particulier aux Eglises d'Afrique; car cet Evêque en parle comme d'une chose qu'aucun fidèle ne peut ignorer. *Quis fidelium nesciat?*

Cette nappe d'autel n'était autre chose que ce qu'on a appelé depuis le Corporal, parce qu'elle sert au corps du Seigneur. Elle couvrait tout l'autel, comme il paraît dans ce passage. L'Ordre Romain le dit précisément, en lui donnant le nom même de Corporal. (*Ord.* 1. *n.* 12. *Ord.* 2. *n.* 9.) « Le Diacre prend le Corporal dessus le calice, et l'ayant mis sur l'autel » à sa droite, il jette l'un des bouts au second Diacre qui l'étend avec lui. » Le sixième Ordre Romain dit que ce Corporal doit être de lin, pour mieux ressembler au linceul dans lequel fut enseveli le corps du Seigneur; et qu'il doit couvrir toute la surface de l'autel : ainsi l'on ne peut pas douter de la vérité de cet ancien usage; mais l'on peut douter s'il y avait sous le Corporal une autre nappe ou de linge ou d'étoffe. Saint Optat ne fait mention que d'un seul voile ou Corporal, et comme son raisonnement aurait eu encore plus de force contre les Donatistes, si l'autel avait été couvert de deux nappes au lieu d'une, il y a lieu de croire qu'on ne se servait que d'une, au moins en Afrique.

Parmi les Grecs on en mettait davantage, si nous en croyons Siméon de Thessalonique, et le Père Goar qui assurent que leur manière ancienne de couvrir les autels y subsiste encore. Ils mettaient à chaque coin de l'autel un morceau de drap, qui portait le nom et l'image d'un Evangeliste : à cause de cela on appelait ces pans de draps *Evangelistes*. Par-dessus on mettait une première nappe de toile, qu'ils appelaient *ad carnem*, (*Lib. de Sacrament.*) parce qu'elle représente le linceul dans lequel Joseph d'Arimathie ensevelit le corps de Notre Seigneur. Sur cette nappe on en mettait une seconde de fil plus délié, et sur celle-ci le Corporal. Il y avait donc deux nappes sur l'autel dans l'Eglise Grecque, outre le Corporal qu'on étendait encore par-dessus. Siméon de Thessalonique donne des raisons mystiques de ces divers linges d'autel, qui selon toutes les apparences ne tombaient pas dans l'esprit des Romains durant les neuf premiers siècles : car excepté le Corporal qui était de toile, ils couvraient leurs autels plutôt de tapis d'étoffe précieuse que de nappes.

Anastase le Bibliothécaire dit que l'Empereur Constans étant à Rome dans l'Eglise de Saint-Pierre, y fit présent d'une couverture de drap d'or pour couvrir l'autel, où l'on célèbre la messe. Le même auteur rapporte un grand nombre de présens de cette sorte, faits par les Papes et par d'autres, pour couvrir les autels. Le nom qu'il leur donne, et la manière dont il en parle, ne permettent pas qu'on entende cela des paremens d'autels semblables à ceux dont on se sert aujourd'hui. Il fallait que ces tapis couvrissent entièrement l'autel, la Table, le devant, le derrière et les côtés : aussi les appelle-t-il *vestes altaris*, les robes de l'autel. Il y a des Eglises où l'on voit encore de ces anciennes couvertures

d'autel, qui servent tout ensemble de nappes et de paremens. Il y en a une de toile d'or dans l'Abbaye de la Chaise-Dieu en Auvergne, dont on se sert aux Fêtes solennelles.

Il en était de même dans nos Eglises de France, comme nous l'apprenons de saint Gregoire de Tours. Il dit que des scélérats étant entrés la nuit dans le Monastère de Sainte-Croix de Poitiers, dans le dessein de tuer l'Abbesse, celle-ci ne pouvant se sauver, parce qu'elle était goutteuse, se fit porter devant l'autel de Sainte-Croix. Sa Prieure nommée Justine avec d'autres Sœurs la cachèrent sous la palle qui couvrait l'autel, *Justina Præposita cum aliis Sororibus pallâ altaris..... Abbatissam operit.* (*Lib.* 2. *de mirac. S. Matth. cap.* 25.) Si ce voile ou tapis n'avait point couvert l'autel de tout côté, il est évident que l'Abbesse n'aurait pas été cachée aux assassins qui la cherchaient. C'est donc un fait certain, qu'en France comme à Rome la couverture d'un autel l'embrassait entièrement. Il est encore évident par ce récit, que l'on couvrait l'autel hors le temps même des saints Mystères: car on ne songeait pas à les célébrer, lorsque ces Religieuses apportèrent leur Abbesse à l'Eglise. Mais peut-être avaient elles aussi apporté la palle de l'autel? Il n'y a pas d'apparence; car s'il eût été rare de voir un autel couvert, ceux qui cherchaient l'Abbesse auraient eu quelque défiance, en voyant cet autel couvert de sa palle à une heure où il ne devait pas l'être.

Outre cette couverture d'Autel, nous avons déjà dit qu'à Rome on se servait d'un corporal de toile qui couvrait toute la Table sainte; et c'était sur ce Corporal étendu qu'on disposait par ordre toutes les oblations. Je n'oserais assurer qu'on fît la même chose en France dans les six premiers siècles: car je ne vois aucun témoignage de nos anciens Auteurs, qui prouve qu'ils étendissent un Corporal de toile sur la première couverture de l'autel. Peut-être que cet usage étant général dans les autres Eglises de Grèce, d'Afrique et de Rome, on a quelque droit de penser qu'il était aussi pratiqué dans les Eglises de France. Mais comme elles avaient un usage particulier de couvrir les dons sacrés, différent des autres Eglises, elles pouvaient encore avoir celui de se servir d'un Corporal d'étoffe dans les saints Mystères, quoique les autres Eglises se servissent d'un corporal de lin ou d'autre toile. Nous voyons comment nos ancêtres couvraient les oblations, dans le récit que fait Grégoire de Tours d'un songe qu'il avait eu. (*Hist. lib.* 7. *cap.* 22.) « Je songeais, *dit-il*, » que j'étais dans l'Eglise, et que je célébrais la Messe. L'autel et les » oblations étaient déjà couverts du voile de soie, *pallio serico*.... » Il est certain que ce que cet Historien appelle ici *pallium* et *palla altaris*, la palle de l'autel, n'est qu'un seul et même voile; que ce voile était de soie et non de toile; qu'il était plus long et plus large que l'autel, puis qu'il devait le couvrir; qu'on ne le mettait point sous les dons sacrés, mais dessus pour les couvrir et empêcher qu'on ne les vît. Voilà, ce me semble, de quoi l'on ne peut point douter. Mais peut-on conclure de là qu'il n'y avait sur l'autel que ce seul voile, qu'on ne mettait qu'après l'offrande? Je ne le crois pas. Les oblations étaient-elles placées sur la Table toute nue? Grégoire de Tours ne dit pas qu'il n'y eût rien sur l'autel avant qu'on y posât les oblations. Il nous a dit qu'il était couvert d'une palle hors le temps des saints Mystères. On peut donc croire qu'on y laissait au moins cette première couverture. Le passage même que nous examinons semble supposer qu'il y en avait deux pour le moins: c'est dans la réponse que lui fit Eberulphe, après qu'il lui eut raconté son songe: « J'avais résolu, *dit-il*, de tenir d'une main les palles de l'au- » tel, *pallas altaris*. » Il y en avait donc deux au moins, l'une sur l'autel immédiatement, sur laquelle se mettaient les oblations; et l'autre qui les couvrait. La première est appelée la palle de l'autel, et l'autre la couverture du corps du Seigneur, dans le Concile d'Auvergne canon 31. *opertorium Dominici corporis.* Il était défendu aux femmes de toucher celle-ci, que le concile d'Auxerre appelle la palle du Seigneur, pour la distinguer de la palle de l'autel qu'elles pouvaient toucher.

Chap. 8. Nous savons certainement que Notre Seigneur Jésus-Christ était à table avec ses Apôtres, lorsqu'il institua l'Eucharistie; qu'après avoir soupé et consacré le pain, *il prit le calice* (1. *Cor.* XI. 25.), c'est-à-dire,

la tasse dont il s'était servi pour boire en soupant, et qu'il consacra le vin mêlé d'eau qui était dedans, l'appelant *le calice de la nouvelle alliance en son sang.*

Si nous en croyons un Auteur cité sous le nom de Bède par Baronius, ce premier calice était d'argent, à deux anses, et de la capacité d'une chopine. « Il y a dit, (dit ce Auteur,) dans la place où sont situées la » Basilique de Golgotha et l'Eglise des Martyrs, une chapelle où l'on » conserve le calice du Seigneur dans un reliquaire troué par-dessus, » afin qu'on le puisse toucher et baiser par ce trou. Il est d'argent, i a » deux anses, et il tient une chopine, *sextarii Gallici mensuram capit.* » Quoi qu'il en soit de ce fait, dont je ne suis pas garant, il est certain que Notre Seigneur Jésus-Christ a pris le calice qu'on lui avait préparé, et dont il s'était servi pour boire dans le repas, sans marquer aucune affectation pour ce qui regardait sa matière, sa figure, sa capacité, etc. et sans faire aucun précepte à ses Apôtres sur ce sujet. Il y a beaucoup d'apparence que les Apôtres ont fait la même chose, qu'ils se sont servis de divers calices selon la diversité des lieux où ils célébraient, de quelque matière et de quelque figure qu'ils fussent. Je ne voudrais donc pas assurer, comme quelques-uns, que les Apôtres et leurs plus proches successeurs ont célébré dans des calices de bois, ni dire avec d'autres, que leur piété les portait à se servir de calices d'argent. Ce qu'il y a de plus vraisemblable en ceci, c'est que la matière leur était assez indifférente, pourvu que la coupe fût nette et propre. Ce qui me fait le plus entrer dans cette pensée, c'est que l'Eglise n'a fait aucun réglement sur ce sujet durant huit cents ans, quoique l'on trouve et dans ces temps-là et depuis, des calices de toutes sortes de matière, d'or, d'argent, de pierre de marbre, de bois, de verre, d'étain et de cuivre.

Nous avons des preuves certaines que dès les premiers siècles, dans le temps même des persécutions, il y avait des calices, des patènes, etc. d'or et d'argent. Quoi de plus clair que le fait de saint Laurent attesté par saint Ambroise, et par d'autres saints Pères? (*S. Ambros. lib.* 2. *de offic. c.* 28.) Tout le monde sait que ce saint Diacre de Rome vendit les vases sacrés, et en distribua tout l'argent aux pauvres. Il fallait qu'il y en eut pour un prix considérable, puisque le Tyran les voulait enlever comme un trésor. L'Eglise de Carthage était aussi très-riche en vases et ornemens sacrés; car Optat décrivant les causes du schisme des Donatistes, dit que l'avarice de quelques vieillards de l'Eglise de Carthage en fut l'une des causes. (*Optat. Milevit. lib.* 1. *circa med.*) « Il y avait, (dit-il,) » dans l'Eglise quantité d'ornemens d'or et d'argent, que l'Evêque Mensurius ne pouvait ni enterrer ni emporter en s'enfuyant; il les confia » donc à une femme âgée, et en avertit les anciens de son Eglise. La » persécution finie, Cecilius successeur de Mensurius demanda le dépôt, » que les anciens dénièrent, parce que leur avarice avait ravi cette riche » dépouille. » Quoique cet Evêque ne nomme point ici les calices et vases sacrés, on ne peut néanmoins nier qu'ils ne soient compris dans le terme général d'ornemens de l'Eglise. Mais si quelqu'un en voulait douter, qu'il écoute encore une fois le même Auteur. Après avoir reproché aux Donatistes le crime qu'ils avaient commis en brisant ou raclant les autels, il dit (*Optat. lib.* 6. *initio.*): « A ce premier crime vous en avez » encore ajouté un autre, quand vous avez rompu les calices qui contenaient le sang de Jésus-Christ: *Fregistis calices, Christi sanguinis portatores.* Vous les avez fondus et remis en lingots, *in massas....* » Il y avait donc dès ces premiers siècles des calices d'or et d'argent dans l'Eglise de Carthage aussi-bien qu'à Rome.

L'Eglise d'Antioche en avait aussi de très-précieux: mais c'est Constantin qui les avait donnés, comme nous l'apprenons de Theodoret. (*Theodoret. lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 22.) Il dit que, « Julien l'Apostat » commanda de porter à l'épargne les vases qui servaient à la célébra» tion des Mystères, et que Félix son Trésorier considérant ces vases que » Constantin et Constance avaient fait faire avec toute la magnificence » possible, Voilà, dit-il, les vases dans lesquels on sert le Fils de Marie. » Celle de Milan en avait de si riches et en si grande quantité, que saint Ambroise les ayant fait fondre en racheta un grand nombre de Captifs.

(*Ambros. lib.* 2. *de offic. c.* 28.).... On peut voir dans l'Histoire de saint Grégoire de Tours (*livr.* 3. *chap.* 10. *etc.*), que les Eglises de France et d'Espagne ne manquaient pas non plus de calices, de patènes, etc. d'or et d'argent dans le cinquième siècle, et dans le sixième où il vivait. C'est donc un fait certain que dès le temps des persécutions, surtout depuis la paix de l'Eglise sous Constantin, les vases sacrés qui servaient aux saints Mystères étaient de matières précieuses.

Mais ce n'était que dans les Eglises riches; car pour les Eglises de la campagne et dans les Monastères pauvres, on se servait de calices, de patènes, etc. tels qu'on les pouvait trouver. On s'est servi de calices et de patènes de bois certainement jusqu'au Concile de Tribur, qui les défendit, *canon* 18. Saint Boniface Archevêque de Mayence, qui assistait à ce Concile, rapporta à ce sujet ce beau mot d'un autre saint Boniface Evêque et Martyr, *qu'autrefois des Prêtres d'or se servaient de calices de bois; mais qu'à présent des Prêtres de bois se servaient de calices d'or.* L'on voit dans un Concile d'Angleterre (*Conc. Calchut. ann.* 787.), tenu sous le Pontificat d'Adrien I. les calices de corne défendus. Il y en avait donc, et l'on s'en servait aux saints Mystères avant cette défense....

J'en dis autant des calices de verre, dont on s'est servi communément et plus long-temps avant qu'ils fussent défendus. Saint Donat Evêque et Martyr se servait d'un calice de verre, au rapport de saint Grégoire (*Gregor. lib.* 1. *Dial. cap.* 7.); et saint Jérôme nous assure la même chose de saint Exupère Evêque de Toulouse.... Il y a beaucoup d'apparence que saint Ambroise après avoir vendu les vases sacrés de son Eglise pour la rédemption des captifs, se servit ensuite de calices de verre: du moins est-il certain qu'on s'en est autrefois servi à Milan. (*Greg. Turon. lib. de Glor. Martyr. c.* 46.).... Saint Césaire d'Arles ayant imité la charité de saint Ambroise en vendant comme lui les vases sacrés pour racheter les captifs, se servait depuis de calices et de vases de verre dans les saints mystères. (*Cyprian. in vita S. Cæsarii.*)

Ce n'était pas seulement dans ces nécessités publiques que les saints se servaient de calices de verre ou de bois, etc. Quelques-uns s'en sont servi par le seul amour de la pauvreté. Tel est saint Benoît, d'Aniane, qui ne voulait point de calices d'argent. (*In vita n.* 14. *sec.* 4. *Bened.*) Il se servit d'un calice de bois, il en prit un de verre ensuite; et enfin il en prit un d'étain. Saint Colomban et Gallus son disciple se servaient d'un calice de cuivre. (*Surius* 16. *Octob.*) Gratien et Yves de Chartres rapportent un canon d'un Concile de Reims, qui défend l'usage des calices de bois, de verre, d'airain, et de cuivre; et qui permet ceux d'étain aux Prêtres qui n'ont pas de quoi en avoir d'argent. Mais on ne sait rien de ce Concile que ce que ces deux Auteurs en disent; et l'on ignore le temps où il s'est tenu. Ce qui est certain, c'est que nonobstant ces défenses, les Moines de saint Vinoc se servaient encore de calices de verre dans le dixième siècle (*In vit. S. Vinoci sec.* 2. *Bened.*); et ceux de cuivre ont duré jusqu'à nos jours dans les Paroisses pauvres de la campagne. Mais depuis trente ans ou environ la plupart des Ordonnances de nos Evêques les ont enfin défendus, et ceux d'étain même. Celles de ces ordonnances qui ont plus d'indulgence pour les pauvres Eglises, exigent au moins que la coupe du calice soit d'argent. Les calices de verre étaient trop fragiles pour durer long-temps, et l'on a bien fait de les défendre, à cause des accidens qui pouvaient arriver. Ceux d'airain et de cuivre se rouillaient facilement, et dégoûtaient quand ils étaient rouillés. Ceux d'étain se lavaient plus aisément, étaient plus propres, et pouvaient se permettre pour les Eglises le plus pauvres. J'avoue que ceux d'argent sont plus décens et plus propres; mais quand on connaît la pauvreté et la misère des peuples que l'on oblige de contribuer à cette dépense, on ne peut s'empêcher de penser que saint Ambroise et saint Césaire auraient peut-être fait fondre les calices d'argent pour les soulager au lieu de les contraindre d'en acheter.

C'est assez parler de la matière des calices et des patènes, disons maintenant quelque chose de leur forme. Il y avait dans les commencemens des calices de toutes sortes de figures, comme les coupes et les tasses qui servaient à boire. On suivait en cela les usages des lieux. Les calices à

anses ont été les plus communs à Rome pendant plusieurs siècles : c'était peut-être parce qu'ils étaient plus commodes à porter de rang en rang aux fidèles quand ils communiaient sous les deux espèces. « L'archidiacre, *dit l'Ordre Romain* (*Ord. Rom.* 1. *pag.* 12. *Ord.* 2. *p.* 47. *et* 48.) » prend le calice de la main du Soudiacre, le met sur l'autel auprès des » Hosties, le tenant par les anses avec le linge qui lui a servi à recevoir » les offrandes ; » *involutis ansis cum offertorio suo.* Avant l'oraison Dominicale, à ces mots que prononçait le Célébrant, *per ipsum et cum ipso*, il est dit que « l'Archidiacre lève le calice, le tenant par les anses avec » le même linge, devant l'Evêque. » Je pourrais rapporter plusieurs autres preuves de ces calices à anses ; mais cela serait inutile. Anastase le Bibliothécaire, dans la vie de Léon III. et dans celles d'autres Papes, fait souvent mention de ces sortes de calices, parmi lesquels il y en avait qui ne servaient qu'à orner le Ciboire de l'autel, autour duquel on les suspendait. La plupart de ces calices étaient enrichis de perles et de pierreries. (*In Leone* IV.) Il y en avait même qui étaient tout entiers de pierres précieuses, comme d'onix, de sardonix, qui ont des espèces d'agathe. D'autres étaient ornés de diverses images gravées ou ciselées. Tel était celui que saint Remi nomme dans son Testament *calix imaginatus.*

Outre les calices qui servaient à l'offrande et à la consécration du vin, il y avait encore d'autres vases, dans lesquels ont répandait le vin du calice quand il était trop plein. C'était de grandes tasses, plus ou moins grandes, selon le nombre de ceux qui offraient et communiaient. Pour les distinguer de calices, on les appellait *scyphi*, c'est-à-dire, tasses, coupes, gobelets, qui furent aussi appelés *calices ministeriales.* Il y avait encore d'autres vases plus petits, dans lesquels les fidèles mettaient le vin qu'ils voulaient offrir : on les appelait *amæ* et *amulæ*, selon qu'ils étaient plus grands ou plus petits. Nos burettes ont succédé aux plus petits ; et les flacons ou autres pots, dans lesquels on offre le vin aux Prêtres dans les services de morts, ont succédé aux vases qu'on appelait *amæ* ou *amulæ.*

La patène, ainsi nommée du verbe Latin *patere*, qui veut dire être ouvert, était autrefois un grand plat peu creux, à peu près comme les bassins qui ornent les buffets des grands. Elle était ordinairement de même matière que le calice. Ainsi il y a eu selon les temps, les lieux et les personnes, des plats et des patènes de toutes sortes de matières. Saint Jérôme nous a déjà appris que saint Exupère Evêque de Toulouse se servait d'une corbeille d'osier pour patène, et d'un verre pour calice. Il est fait mention d'une patène de verre pour les saints Mystères dans la Règle du Maître, *chapitre* 53. Il fallait que la patène que des soldats Bourguignons prirent dans l'Eglise de Brioude, fut d'une matière précieuse, comme d'or et d'argent ; puisqu'ils la brisèrent, et en partagèrent les morceaux entre eux. Saint Grégoire de Tours qui raconte ce fait, en dit ailleurs un autre qui fait voir de quelle capacité étaient alors les patènes. (*Greg. Turon. lib.* 2. *de glor. Mart. cap.* 9.) Il dit, « qu'un Comte » de Bretagne ayant mal aux pieds, et ne recevant point de soulagement » de la part des Médecins, quelqu'un lui dit, Faites-vous apporter l'un des » vases sacrés qui servent à l'autel, lavez vos pieds dedans. »..... Ce devait donc être de très-grands plats ; et il ne faut pas s'étonner de ce qu'Anastase dit qu'il y en avait de la pesanteur de vingt-cinq et trente livres.

Pourquoi fallait-il de grands plats autrefois pour servir de patène ? C'est qu'il y avait une multitude de communians tant du Clergé que du peuple. Tous ceux qui assistaient à la Messe y offraient pain et vin, et communiaient. Toutes les Hosties que l'on avait consacrées, devaient être rompues sur les patènes ; et les patènes chargées d'Hosties devaient être portées de rang en rang aux fidèles pour les communier, selon l'usage Romain. Voilà ce qui faisait la nécessité des grandes patènes. Elles étaient plus ou moins grandes selon le nombre des communians de chaque Eglise. Ainsi lorsque les Fidèles se sont relachés de la communion, et de l'assistance aux Messes solennelles des Eglises cathédrales, collégiales et paroissiales, n'y ayant plus ou presque plus de communians à ces Messes, les grandes patènes devinrent inutiles.

I. Flores ad altaris ornamentum in vase ponere fuitne moris olim ut nunc est in multis Ecclesiis ?

R. Ut flores in vase positi super altare collocarentur nunquam moris fuit in veteri Ecclesia, sicut nec nunc est in cathedralibus cæterisque insignioribus Ecclesiis ; id enim cautum erat veteri Canone, *Ne super altare quidquam poneretur, nisi capsæ cum reliquiis Sanctorum, aut fortè quatuor sancta Dei Evangelia, aut pyxis cum corpore Domini ad viaticum pro infirmis.* Verba sunt Leonis Papæ IV. in Homilia, quæ habetur *tom.* 8. Concil. editionis Philippi Labbe, *pag.* 33.

Cæterùm ut flores vel in altari spargerentur, vel circa altare ad ornatum et suaveolentiam ponerentur, mos antiquissimus fuit ut patet ex S. Augustino *lib.* 22. *de Civit. Dei, cap.* 8. « Fuit Calamæ vir in ordine suo primarius, nomine » Martialis, ævo jam gravis, et multùm à religione abhor- » rens Christiana. Habebat sanè fidelem filiam et generum » eodem anno baptizatum. Qui cùm eum ægrotantem mul- » tis et magnis lacrymis rogarent, ut Christianus fieret, » prorsùs abnuit, eosque à se turbidâ indignatione submo- » vit. Visum est genero ejus, ut iret ad memoriam sancti » Stephani, et illic pro eo quantùm posset oraret, ut Deus » illi daret mentem bonam, quâ credere non differret in » Christum. Fecit hoc ingenti gemitu et fletu, et sinceriter » ardente pietatis affectu. Deindè abscedens, aliquid de » *altari florum*, quod occurrit, tulit ; eique, cùm jam nox » esset, ad caput posuit : tum dormitum est. Et ecce ante » diluculum clamat, ut ad Episcopum curreretur, qui me- » cum fortè tunc erat apud Hipponem. Cùm ergo audisset » eum absentem, venire Presbyteros postulavit. Venerunt, » credere se dixit, admirantibus atque gaudentibus omni- » bus baptizatus est. Hoc quandiù vixit in ore habebat, » *Christe, accipe spiritum meum*, cùm hæc verba beatissimi » Stephani, quando lapidatus est à Judæis, ultima fuisse » nesciret ; quæ huic quoque ultima fuerunt : nam non » multò post etiam ipse defunctus est. »

In hoc uno sancti Augustini testimonio quot et quanta sunt ad Ecclesiæ catholicæ dogmata stabilienda contra Hæreticos ! Nec minora vel pauciora exstant in aliis miraculis, quorum historiam prosequitur eodem capite sanctus Doctor. Altaria quoque floribus ornari non improbat Venantius Fortunatus. (P)

I. Quales debent esse calices et patenæ in usum Sacrificii ?

R. Mentio quidem fit apud antiquos calicum ligneorum, et vitreorum, et corneorum, et æneorum, et stanneorum ;

(P) VENANTIUS FORTUNAT. *Lib.* 8. *carm.* 9. *ad Radegundem.*

Indè viri postes et pulpita floribus ornant,
Hinc mulier roseo complet odore sinum.
At vos non vobis, sed Christo fertis odores :
Has quoque primitias ad pia templa datis.
Texistis variis altaria festa coronis,
Pingitur ut filis floribus ara novis.

sed jampridem Ecclesia solos calices aureos vel argenteos probat : qui quidem si argentei sint, debent intùs deaurari. Idem dicendum de patena. (Q)

Exstant etiamnùm quibusdam in Ecclesiis pauperrimis calices stannei ; hos Episcopi reprobant, statuuntque ut saltem vas calicis in Ecclesiis vel pauperrimis argenteum sit. Quod quisque Episcopus in sua diœcesi ea de re statuerit, id tenendum.

I. Licetne in sacris calicibus et patenis gentilitia stemmata sculpere ?

R. Non licet omninò. Id solum tolerari potest, si infra pedem calicis in parte interiori sculpantur. In parte verò exteriori patenæ et pedis calicis crux sculpi debet.

§. 17. De sacris vestibus Episcoporum, Presbyterorum, et Ministrorum in sacrosancti Sacrificii celebratione.

I. Cur alias ad Sacrificii celebrationem adhibent Sacerdotes cæterique Ecclesiæ Ministri vestes, ab iis quibus utuntur extra Sacra ?

R. Non alia fuit olim Sacerdotibus et Ecclesiæ Ministris vestium sacrarum forma, à vestibus profanis, nisi quòd ad sacra vestes nitidiores et pretiosiores adhibebantur. Ut jam alia forma sit, hinc factum est, quòd Ecclesia veterem vestium formam retinuerit in sacris, in usu verò quotidiano novum genus vestium sensim introductum sit; et si quæ accidit mutatio in forma sacrarum vestium, alia illa fuit ab ea quæ usu venit in quotidianis indumentis. (A)

I. Decetne veterem hanc vestium formam in sacris retineri, aliasque esse vestes sacras à profanis ?

R. Quidni deceat ? Nunquid et Magistratus ad jus dicendum, et Doctores ad disputandum in scholis, et Reges, Equites, viri nobiles ad solemnium cæremoniarum apparatum vestes adhibent formâ varias prorsùs à quotidianis ? Si in augustissimo religionis sacrificio et ministerio idem fiat, quid mirum, quid alienum à ratione, à fide Christiana ? Nunquid et in lege Mosaïca ex Dei instituto Sacerdotibus et Levitis ad Sacra obeunda suæ vestes non erant solemni ritu consecratæ, et à profanis planè diversæ ? Hunc eumdem ritum ab Apostolis acceptum Catholica Ecclesia ad nostram transmisit ætatem, ut probat doctissimus Cardinalis Bona in eximio opere de rebus Liturgicis, itemque Thomassinus noster in nov-antiqua Ecclesiæ Disciplina. (B) Hunc ritum

(Q) *Vide suprà* JOAN. BONA *et* D. BOCQUILLOT. *hocce* §. *litt.* (O)

(A) *Vestes sacras nosse penitiùs qui cupiet, adeat* FERRARII *librum* de re vestiaria, *Patavii ann.* 1654. *editum :* THOMASSIN. *congr. Orat. D. J. Sacerd. librum* de veteri et nova Ecclesiæ disciplina, *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 45. 47. 49. *et* 52. D. BOCQUILLOT Tractatum historicum de Liturgia, *Gallicè* Traité historique de la Liturgie. *l.* 1. c. 7. *et alios* REI LITURGICÆ SCRIPTORES, *qui omnes habentur Tom.* 10. BIBLIOTH. PP. HITTORPII, *Paris.* 1624. *in-fol.*

(B) R. P. LUD. THOMASSIN. Congr. Orat. D. J. Sacerd. *in vet. et nov. Eccles. discipl. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 45. *n.* 1. Dico Ecclesiæ sua semper orna-

cur pluribus in locis Protestantes tollerent non alia ratio fuit, quàm quòd fixum ratumque illis fuerit non ab Ecclesiæ solùm fide, sed et à moribus et ritibus illius planè discedere. Quanquam et in majori Britannia aliisque regionibus nonnullis vetus ille mos retentus sit etiamnùm ab iis qui ab Ecclesia desciverunt. Quod cur alii reprehendant certè non video, nisi quòd, ut ex aliis pluribus rebus constat, illi in ipsa luce meridiana caligant et cæcutiunt.

I. Cur non unum in sacris vestibus colorem adhibet Ecclementa propria, propria vestimenta fuisse, tum in altaris ministerio, tum in officiis divinis: etsi ea maxima ex parte communium vestium simillima essent; nec ad eam, quà nunc abundamus, et diversitatem et multitudinem, nisi annis plurimis et seculis volventibus deventum sit. *Quod fusè probat integro hocce capite in quo agit* de sacris vestibus in ministerio altaris, prioribus quinque seculis.

JOAN. BONA S. R. E. Card. *de rebus Liturg. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 1. Sacerdotem Sacris operaturum non communi et quotidiano habitu, sed alio peculiari et augustiore uti oportere notissimum est: quem ritum Catholica Ecclesia ab Apostolis acceptum usque ad nostram transmisit ætatem, quamvis in vestium numero et forma aliquid fuerit successu temporis immutatum. Præcesserat hujus rei typus in veteri Testamento; nam Sacerdotibus et Levitis specialia vestimenta certis ritibus et cæremoniis consecrata in usu erant, cùm legales Deo victimas immolabant.... Immò etiam in lege naturæ propria fuisse Sacerdotibus indumenta, cùm sacrificia Deo offerrent, Auctores graves asseverant: et Rupertus Abbas *lib. de incendio oppidi Tuitiensis cap.* 16. postquàm dixit juri primogeniti annexam fuisse Sacerdotii dignitatem, ad idipsum spectasse putat vestes Esaü valdè bonas, quibus Rebecca induit Jacob, cùm simulans fratris personam benedictionem ei surripuit. Hùc autem pertinet penula à Paulo Troade relicta, quam fuisse vestem Sacerdotalem suo loco indicabo. Hùc lamina, seu mitra Episcopalis, quam gestasse Joannem Evangelistam Polycrates Ephesi Episcopus auctor est apud Eusebium *lib.* 3. *Hist. cap.* 81. Hùc infulæ, quarum meminit Tertullianus *lib. de Monogamia cap.* 12. Hùc querelæ Optati Milevitani de profanatis à Donatistis Ecclesiæ ornamentis. Hùc Stephani I. Decretum, qui, ut ait Anastasius, Sacerdotes et Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi tantùm in Ecclesia, constituit. Hùc tunica, quâ Presbyter Nepotianus in ministerio Christi utebatur, quam sibi relictam Hieronymus scribit *in Epist. de ejus morte ad Heliodorum.* Hùc ejusdem Hieronymi testimonium *in caput* 44. *Ezechielis*, ubi ait, *Religio divina alterum habilum habet in ministerio altaris, alterum in usu vitaque communi.* Hùc denique exempla divinæ ultionis referenda adversùs eos qui sacris vestibus abusi sunt, qualia legimus *lib.* 1. *Wandalicæ persecutionis* apud Victorem de Proculo, qui cùm divina ministeria et Ecclesiæ ornamenta profanasset, sibi linguam frustatim comedens turpissimâ morte consumptus est: et apud Theodoretum *lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 7. de Thymelico Saltatore, qui vestem sacram in theatro gestans exspiravit. Serica autem atque auro argentoque contexta hæc indumenta ut plurimùm fuisse, præsertim post Constantinum, ex vitis summorum Pontificum apud Anastasium, qui eorum donaria recenset, et ex aliis Scriptoribus haud obscure colligimus; neque enim credimus, aliquid aut indecorum divini sacrificii usibus adhibuisse fideles, qui omnia ad ipsum spectantia summâ et incredibili veneratione prosequebantur. De colore nihil memini legisse, nisi quòd candidi in festis Paschalibus mentio fit à Gregorio Turonensi *in vita sancti Nicetii Lugdunensis Episcopi*; et nigri à Theodoro Lectore, qui *lib.* 1. *Collectan.* refert Acatium Constantinopolitanum seipsum, et sedem, et altare nigro amictu operuisse in signum mœstitiæ ob impium edictum adversùs Synodum Chalcedonensem à Basilisco Imperatore ann. 476. promulgatum. Hieronymus quoque *lib.* 1. *adversùs Pelagian.* {*Vide infrà hocce* §. *litt.* (E)}

sia ? Cur mox albam, mox viridem, mox rubeam, mox atram, mox violaceam vestem in sacris induunt Sacerdotes?

R. Si varios ad sacra facienda colores in vestibus adhibet Ecclesia, nil mirum; nihil enim causæ est cur uno duntaxat colore utatur. Ut autem omnia ritè et ordinatè fiant, prudenter constituit ut suus cuique diei color assignaretur pro varietate solemnitatum, adeoque ut ipse indumentorum color solemnitati congrueret. Itaque colorem album adhibet gloriosis Christi Mysteriis; verbi gratiâ, Resurrectioni, Ascensioni, Transfigurationi, Nativitati, Epiphaniæ : item festis B. M. Virginis cæterarumque Virginum. Rubeum Martyribus, ob fusum sanguinem; violaceum diebus pœnitentiæ luctuosis; nigrum funebribus exsequiis; viridem Dominicis, et feriis per annum. Quanquam in illis sicut et in cæteris rebus Episcoporum arbitrio relictis varius est variarum Ecclesiarum ritus.

I. Estne quid mysterii significatum singulis his vestibus, amictu, albâ, superpelliceo, cingulo, manipulo, tunicâ, dalmaticâ, stolâ, casulâ, cæterisque Pontificalibus indumentis ?

R. Mysticas illis significationes tribuit Pontificale Romanum; tradunt et sancti Patres mysteria his vestibus designata. (C) Nec propterea putes vestes illas esse mysterii causâ adhibitas. Id unum vult Ecclesia, ut mysticis illis significationibus propositis, mentem ad Deum et ad pias cogitationes convertant sacrorum Ministri, dùm his vestibus induuntur.

Amictus itaque quo Subdiaconi, Diaconi, et Sacerdotes caput primùm deindè collum tegunt, est velut galea salutis, quam ex Apostoli præcepto accipere debemus, ad expugnandos diabolicos insultus. (*Ephes.* VI. 17. 1. *Thess.* V. 8.) Hoc amictu monemur quoque coërcendam esse oculorum et vocis lasciviam. (D)

(C) S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 82. *aut* 83. *in Matth. Vide infrà hocce* §. *litt.* (E)

(D) *Sacerdos amictum induens, ait :* Impone, Domine, capiti meo galeam salutis ad expugnandos diabolicos incursus.

PONTIF. ROM. *in Ordinat. Subdiacon. cap.* 28. Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis.

JOAN. BONA S. R. E. Cardin. *Rerum Liturg. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 3. Prima vestis quam Sacerdos sumit, est amictus, qui primùm capiti, deindè humeris injicitur. Antiquus Scriptor de ritibus veteris Ecclesiæ sub nomine Caroli magni, *Post sandalias in Ecclesiæ vestimentis sequitur superhumerale, quod fit ex lino purissimo.* Amalarius lib. 2. cap. 17. *Amictus est primum vestimentum nostrum, quo collum undique cingimus.* Rupertus Abbas lib. 1. de Divinis officiis cap. 19. *Sacerdos in officio altaris amictu caput suum obnubit.* Gemma animæ cap. 201. *Hinc humerale, quod in lege* Ephod, *apud nos amictus dicitur, sibi imponit, et illo caput et collum et humeros, undè et humerale dicitur, cooperit, et in pectore copulatum duobus vittis ad mamillas cingit.* Sunt quidam qui amictui ex holoserico vel aurea textura plagulam assuunt colori et opificio casulæ sive stolæ consimilem; sed hujus assumenti nullum vestigium reperio apud antiquos Scriptores. Ambrosiani tertio loco amictum sumunt post albam et cingulum. Varia

Alba indicium est candoris quo fulgere debent Sacerdotum et Ministrorum mores. Idem candor designatur eâ veste quæ superpelliceum et rochetum dicitur, quæ nimirùm sunt albæ decurtatæ. (E)

Cingulo, quo stringitur alba ne diffluat, castitas designatur, secundùm id quod ait Dominus, *Sint lumbi vestri præ-*

ci nomina tribuuntur; nam sicut vidimus humerale vocatur, et per analogiam ad legalium Sacerdotum indumenta, *Ephod;* quia ut Hieronymus docet *Epist.* 128. *ad Fabiolam*, ubicunque in Exodo seu Levitico superhumerale legitur, apud Hebræos *Ephod* appellatur. An verò amictus noster idem prorsùs sit cum Ephod veteris legis, quæstio anceps est, quam tractat Saussaius *Panopliæ Sacerdotalis part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 2. In Ordine Romano *ambolagium*, rectiùs autem anabolagium, sive *anaboladium* nuncupatur: anabole enim Græcè idem est ac Latinè amictus. Isidor. lib. 29. Orig. cap. 25. *Anaboladium*, inquit, *amictorium lineum feminarum quo humeri operiuntur.*

(E) S. Hieron. *Dialog.* 1. *adversùs Pelag. pag.* 502. *edit. BB.* Quæ sunt, rogo, inimicitiæ contra Deum, si tunicam habuero mundiorem: si Episcopus, Presbyter, Diaconus, et reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candidâ veste processerint?

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 82. *aut* 83. *in Matth. paulò ante finem.* Hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona præcipua, non ut tunicam induti candidissimam per Ecclesiam ambuletis. Græcè *Leucon chitoniscon* albam tunicam. *Forsan non magis ad albam quàm ad casulam vel aliud quodlibet indumentum alludunt Chrysost. et Hier. Certè album colorem ad Sacrificium præ alio adhibitum fuisse evincunt.*

Joan. Bona *ubi suprà n.* 4. Linea tunica talaris erat prima vestis Sacerdotalis in veteri Testamento, quæ nobis secunda est. Græcè *Poderis* dicitur, quia descendit usque ad pedes, quos illi *podas* vocant. Paulinus Tyriorum Episcopus orationem habitam in Templi dedicatione apud Eusebium *lib.* 10. *cap.* 5. sic exorditur: *Amici et Sacerdotes Dei, qui podere induti estis*, sacrà scilicet tunicà talari, ut Latinus Interpres loquitur. A Scriptoribus Ecclesiasticis alba à colore nuncupatur: cujus nominis mentio fit in Concilio Carthaginensi sub Anastasio I. *can.* 41. quo præcipitur ut Diaconus tempore tantùm oblationis vel lectionis albâ utatur. Et in Narbonensi sub Pelagio II. ubi decernitur, ne Diaconus, aut Subdiaconus, vel Lector, antequàm Missa consummetur albâ se præsumat exuere. Legitur quoque in Ordine Romano, et in Tractatu de ritibus Ecclesiæ, quem sub nomine Caroli magni edidit Wolfangus Lazius. Alii camisiam vocant. Amalarius *lib.* 2. *cap.* 17. *Posteà camisiam induimus, quam albam vocamus.* Isidorus *lib.* 19. Originum *cap.* 21. *Poderis et tunica Sacerdotalis linea corpori adstricta usque ad pedes descendens. Hæc vulgò camisia vocatur.* Et cap. sequenti, *Camisias*, inquit, *vocamus, quòd in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris.* Camisiæ igitur nomen ei tributum, quia similis est tunicæ lineæ interiori, quâ utimur in camis, id est, in lectulis nostris. Camas enim dixerunt Græci strata humilia et terræ propiora. Anastasius in vita Benedicti III. inter donaria, quæ Rex Saxonum misit Ecclesiæ S. Petri, enumerat *camisias albas sigillatas holosericas cum chrysoclavo.* Camisias autem auro clavatas non ad ornatum templi, ut credidit Casaubonus, sed ad usum Sacerdotum sacrificantium comparatas observavit Ferrarius *lib.* 3. *de re vestiaria cap.* 5. Neque enim hic agitur de tunicis lineis interioribus, in quibus aurum milli Alexander apud Lampridium dementiam judicabat, propter auri rigorem et asperitatem; sed de camisiis quæ super alias vestes injiciuntur, in quibus auri rigor et asperitas gestantibus non est incommoda. Ordo Romanus, ubi loquitur de Episcopi consecratione, *lineam*, sine addito vocat dicens, *Induunt eum lineam et cingulum.* Lineam vero tunicam etiam ab Ethnicis in sacris adhibitam testatur Apuleius in Apologia, *Mundissima lini seges inter optimas fruges terrâ exorta, non modò indutui et amictui sanctissimis Ægyptiorum Sacerdotibus, sed opertui quoque in rebus sacris usurpatur.* Idem *Fabulæ Milesiæ lib.* 2. Sacerdotes describit lineæ

cincti. (*Luc.* XII. 35.) *Lumbos enim præcingimus*, ut ait S. Gregorius Magnus, *cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus.* (*Homil.* 13. *in Evang.*)

Manipulo supra brachium sinistrum posito designatur fructus bonorum operum, vel labor pœnitentiæ, siquidem manipulum illud nihil aliud olim fuit, quàm lintea sindon et mappula, quâ sudor et sordes abstergebantur. Succedente tempore, detracto linteo transiit in ornamentum sacrum. (F)

vestis candore puro luminosos. De Sacerdotibus Isidis nota sunt Ovidii carmina :

Nec tu linigeram fieri quid possit ad Isim
Quæsieris.

Et alibi :

Nunc Dea linigerâ colitur celeberrima turbâ....

Porrò alba ne defluat et gressum impediat cingulo stringitur, quod in lege balteus, à Græcis zona dicitur. De ejus profano usu multa congerunt Saussaius *lib.* 3. *citatæ Panopliæ*, et Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria :* Varias autem cingulorum formas describit Isidorus *lib.* 19. *Originum, cap.* 33.

(F) PONTIF. ROM. *in Ordinat. Subdiacon.* Accipe manipulum, per quem designatur fructus bonorum operum.

Sacerdos verò manipulum accipiens ait : Merear, Domine, portare manipulum fletûs et doloris ; ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.

JOAN. BONA S. R. E. Card. *ubi suprà, n.* 5. Manipulus posteriori ævi additamentum, neque in antiquis Ritualibus commemoratur, nec à priscis Patribus inter sacras vestes recensetur. Erat autem lintea sindon, sive mappula brachio sinistro alligata, quâ sudor et sordes abstergebantur, ut illi passim testantur qui de divinis Officiis tractatus ediderunt. Alcuinus : « Mappula, quæ in sinistra parte gestatur, quâ pituitam » oculorum et narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua » superfluos humores patimur. » Amalarius lib. 2. cap. 24. « Sudarium » ad hoc portamus, ut eo detergamus sudorem. In manu sinistra porta» tur, ut ostendatur in temporali vita tædium nos pati superflui humo» ris. » Rabanus Maurus lib. 1. de Instit. Cleric. cap. 18. « Quartum » Sacerdotis indumentum mappula sive mantile est, quod vulgò fanonem » vocant. » Est autem fano vox Saxonica, quæ expansum vel extensum significat, ut docet Vossius lib. 2. de vitiis serm. cap. 7. In Ordine Romano qualiter Missa celebretur : « Deindè Subdiaconus regionarius ponit map» pulam in sinistro brachio Pontificis super planetam. » Tempore Gregorii magni soli Clerici Romanæ Ecclesiæ mappulis utebantur : sic enim ille loquitur lib. 2. Epist 54. ad Joannem Archiepiscopum Ravennatem : « Illud autem quod pro utendis à Clero vestro mappulis scripsistis, à » nostris est Clericis fortiter obviatum, dicentibus nulli hoc unquam alii » cuilibet Ecclesiæ concessum fuisse. Sed nos servantes honorem frater» nitatis tuæ, licèt contra voluntatem antedicti Clerici nostri, primis » Diaconibus vestris in obsequio duntaxat tuo mappulis uti permittimus : » alio autem tempore, vel alias personas hoc agere vehementissimè pro» hibemus. » Duravit autem hic mappulæ sive sudarii lintei usus, donec in locum ejus manipulus non ad tergendas sordes, sed ad ornatum suffectus est, qui propterea ejus materiæ et texturæ est, ex qua stola et planeta fieri solent. Hanc verò mutationem mappulæ in manipulum seculo undecimo factum conjicio : nam Alcuinus et Amalarius, qui seculo nono vixerunt, mappulæ usum tunc viguisse ostendunt. Manipuli autem mentio fit in veteri Missa ex codice Ratoldi Abbatis Corbeiensis apud Menardum, qui Ratoldus vixit anno 980. Olim ut apparet ex antiquis picturis, ejus forma longior erat et strictior, vix duos pollices excedens, quemadmodùm et stola, et lineâ utrinque æquali à summo ad imum limbum defluebat : nec erat extrema pars latior, sicut nunc est.

**Tunica Subdiaconalis, et dalmatica Diaconalis, ornamenta utique solemnitatis et lætitia, quæ propterà non induuntur diebus jejunii et luctûs, monent ministrandum esse altari Domini cum interiori lætitia, quæ nequit à justitia et pietate separari (G) : ut enim ait Apostolus, (*Rom.*

Quòd verò manipulus proprium Subdiaconi indumentum, ut Scholastici existimant, veteri usu non fuerit, argumento esse inter cætera potest, quòd illo uterentur qui nullo Ordine initiati erant. Testis est Lanfrancus Cantuariensis Epist. 13. dicens : « In cœnobiis Monachorum etiam laïci » cùm albis induuntur, ex antiqua Patrum institutione solent ferre » manipulum. » Verùm hæc consuetudo, ut in notis ad eamdem Epistolam vir eruditus Lucas Dacherius observat, abrogata postmodùm fuit in Concilio Pictaviensi sub Paschali II. can. 5. « Ut nemo Monachorum » deinceps manipulis utatur, nisi fuerit Subdiaconus. » Manipulo nostro respondet apud Græcos *Epimanicion*, de quo agit Goar in notis ad Chrysostomi Liturgiam, *num.* 12.

(G) PONTIF. ROM. *in Ordinat. Subdiac.* Tunicâ jucunditatis et indumento lætitiæ induat te Dominus.

In Ordinat. Diac. Induat te Dominus indumento salutis et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumdet te semper.

CÆREMONIALE PARIS. Tunica breviores manicas olim ad brachia aptatas habebat ; nunc infrà apertas et liberè fluentes.

Diaconus.... amictu, albâ, cingulo et manipulo ornatus, stolam, quæ olim vestis erat, à sinistro humero in latus dextrum antè et retrò defluentem sub brachio dextro religat : tum dalmaticam superinduit ejusdem coloris ejusdemque ferè formæ cum tunica Subdiaconi, nisi quòd ad brachium sinistrum fimbriis exornata est dalmatica, non autem tunica.

Vestis ejus forma et nomen à Dalmatis venit, eratque vestis laxa ad talos demissa : super brachium sinistrum Diaconi revoluta ; idque ne defluendo incommodo esset : pars autem brachio dextro respondens ad majorem facilitatem amputata est, ne manûs dexteræ officiis noceat, hincque in illa parte vestis jam fimbriæ desunt.

JOAN. BONA. S. R. E. Card. *ubi suprà n.* 19. Subdiaconi Romanæ Ecclesiæ, sedente in Apostolico throno Gregorio magno, solâ albâ induti suo ministerio fungebantur : quem morem alias Ecclesias ab ipsa Romana accepisse idem Gregorius asserit *lib.* 7. *Epist.* 64. *ad Joannem Syracusanum.* Posteà, teste Honorio *in Gemma animæ lib.* 1. *cap.* 229. duæ illis vestes peculiares tributæ sunt ; tunica quam *subtile* vocat ; quia subtilius contexta ; et sudarium sive mappula, cui hodiè successit manipulus. Constat autem ex Ordine Romano magnum olim discrimen inter dalmaticam Diaconi et tunicam Subdiaconi exstitisse : nam *titulo de ordine processionis ante Missam* loquens de vestibus Diaconorum, stolas et dalmaticas recenset ; Subdiaconis verò sibi congruas vestes præbendas esse dicit, *quæ apud quosdam*, inquit, *subdiaconales nominantur ; et mappulæ in sinistra manu ferendæ.* Sed quæ illæ fuerint nominatim non exprimit. Nulla nunc differentia reperitur inter dalmaticam Diaconi et tunicam Subdiaconi, nisi quòd hujus manicæ strictiores et breviores sunt : quæ differentia sæpè etiam negligitur.

N. 18. Diaconorum proprium indumentum nunc est dalmatica ex institutione sancti Sylvestri, qui, ut legimus in ejus Actis, præcipit ut dalmaticis in Ecclesia uterentur, cùm anteà, teste Alcuino, colobiis uti solerent. Erant autem colobia tunicæ sine manicis, non quòd prorsùs manicis carerent, sed quia ad cubitum tantùm pertingebant. Dalmaticæ verò manicatæ erant, talares, sericæ, albæ, auro ornatæ, et plagulis seu clavis ex purpura assutis distinctæ. In Dalmatia primùm inventæ, et illinc Romam translatæ sunt, undè et nomen acceperunt, sicut ait Isidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 22. Clavatas fuisse purpurâ præter Isidorum *ibidem*, asserunt alii Scriptores Ecclesiastici diversis vocibus clavos explicantes. Ait enim Rabanus habuisse duos tramites, Alcuinus duas virgulas, Amalarius duas lineas, alii duas zonas purpureas. Remansit itaque

II. 9.) *Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum.... gloria autem et honor et pax omni operanti bonum.*

Stola vestis olim fuit totum hominem ambiens, et ad talos usque protensa. Ad oram hujus vestis assutus erat limbus, torquis instar, à collo per humeros ad pectus pendens, et ad pedes hinc indè descendens. Jampridem detractâ veste remansit solus limbus, qui stolæ nomen obtinet. Hoc veteres *orarium* dixêre, ab *ora* vestimenti cui erat hic limbus assutus. Hanc stolam dùm Sacerdotes induunt, dicunt etiamnùm, *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis.* (*Miss. Rom.*) Et Pontifex eam in Ordinatione tradens solemni ritu novo Presbytero ait, *stolâ innocentiæ induat te Dominus.* (*Pontif. Rom. in Ordin. Presb.*) Hinc patet hàc veste innocentiam designari. Hæc vestis est et symbolum potestatis sacerdotalis. Hanc olim Episcopi et Presbyteri non deponebant unquam etiam extra sacra : quem priscum morem solus nunc Papa retinet. (H)

in dalmaticis priscus mos angustorum clavorum, ut scribit Rubenius *lib.* 1. *de re vestiaria cap.* 8. qui ideò existimat datam Diaconis dalmaticam angusticlavam, ut inferiores Presbyteris censerentur, qui latum clavum portabant, quæ erat vestis Senatoria unico clavo purpureo distincta. Qualia fuisse colobia Monachorum docet Dorotheus *Serm.* 1. dicens, *Signum purpureum assumimus in colobium nostrum, innuentes nos in Christi militiam adscriptos esse, et universas afflictiones ejus sustinere debere : etenim quando passus est Dominus noster, gestavit purpureum vestimentum.* Purpurâ autem etiam Clericos quondam usos patet ex Concilio Narbonensi apud Baronium *anno* 598. nam usum purpuræ clericis interdixit. Hodiè duobus angustis clavis ornatur dalmatica, nullâ habitâ ratione coloris purpurei, imò aliquándo sine clavis fit. Planeta verò uno lato clavo distinguitur, qui in multis adhuc apparet ex utraque parte in crucis figuram formatus; quia ut ait Tertullianus lib de coron. milit. cap. 13. *Illic purpuræ tuæ sanguis Domini, et latus in cruce ipsius.* Dalmaticam Romanis in usu fuisse Lampridius testis est, qui de Commodo et Heliogabalo Imperatoribus scribit in dedecus et probrum ipsorum, quòd dalmaticati in publicum processerint: vel quia mollium et delicatorum vestis censebatur, vel quia exotica et Romanorum oculis insueta erat. Ejus fit mentio *in actis S. Cypriani*, sed sacra-nean communis illa fuerit, diversæ sunt sententiæ. Ego omninò communem fuisse credo : illo enim ævo nondùm ad usum sacrum translata fuerat. Eutychianus Papa constituisse dicitur in libro Pontificali, ut quicunque fidelium Martyrem sepeliret, sine dalmatica aut colobio purpurato nullatenùs sepeliret ; quòd honoris causâ constitutum reor. Sed cùm idem honos summis Pontificibus, ac ipsis etiam Diaconis tribueretur, ut Gregorius indicat, *lib.* 4. *Dialog. cap.* 46. decreto suo idem *lib.* 4. *Epist.* 44. sancivit, ne feretrum quo Romani Pontificis corpus ad sepeliendum ducitur, dalmaticis tegeretur.

(H) Gavantus *in Rubr. Missal. part.* 2. *tit.* 6. *in fine.* Orator Romæ non utitur stolâ super cottam, ob reverentiam Papæ, qui extra Sacramenta stolâ utitur.

Pontific. Rom. *in Ordinat. Diac.* Accipe stolam candidam de manu Dei ; Admple ministerium tuum, potens enim est Deus, ut augeat tibi gratiam suam.

Joan. Bona S. R. E. Card. *ubi suprà, n.* 6. Stolæ nomen apud profanos Scriptores tam Græcos à quibus fluxit, quàm Latinos, muliebrem vestem significat ad talos usque demissam. Undè Cicero mores effeminatos Marci Antonii redarguens *Philip.* 2. ait, *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam reddidisti.* Erat autem propriè matronarum vestimen-

tum, ut docet Ferrarius *de re vestiaria lib.* 3. *cap.* 17. adeò ut impudicæ mulieris nota foret brevior tunica; et Tertullianus *lib. de Pallio cap.* 4. inter signa ejuratæ pudicitiæ recenset matronam in publico sine stola. Interdùm tamen sumptam legimus pro quolibet genere vestimenti, Regum, Sacerdotum, et privatorum: nam *Genes.* 41. cùm Pharao constituit Joseph super universam terram Ægypti, vestivit eum stolâ byssinâ; et ipse Joseph *Genes.* 45. singulis fratribus suis proferri jussit binas stolas, Benjamin verò dedit quinque stolas optimas. In libro quoque Esther *cap.* 6. cùm dixisset Aman eum quem Rex honorare vellet, debere indui vestibus regiis; tum sequitur tulisse stolam, et induisse Mardochæum. Filium item prodigum ad se revertentem jussit pater indui stolâ primâ, eximiâ scilicet, et omnium quæ domi erant pretiosissimâ. (*Luc.* xv. 22.) Zosimus *lib.* 4. ait Julianum concessisse Procopio, ut regiam stolam haberet: et Diodorus Siculus *lib.* 2. narrat Arbacem, qui primus ex Medis Assyriorum imperium defuncto Sardanapalo occupavit, indutum regiâ stolâ Regem appellatum fuisse. De stola summi Sacerdotis in lege veteri agit Josephus *lib.* 15. *antiquit. cap.* 14. *et lib.* 18. *cap.* 6. Sacerdotes item stantes ante altare cum stolis Sacerdotalibus commemorat *lib.* 2. *Machabæorum cap.* 3. Zosimus *lib.* 4. loquens de titulo Pontificis maximi Imperatoribus olim tributo, ait, *Simul ac summum Imperium quisque consequebatur, stola Sacerdotalis ei offerebatur à Pontificibus; et continuò Pontificis maximi titulus ei tribuebatur:* tum refert Gratianum eam stolam sibi oblatam aversatum fuisse, quòd illicitum existimaret Christianum eo habitu uti. Stolæ formam exprimit Xenophon *lib.* 8. *Cyripæd.* his verbis: *Elegit itaque stolam Medorum et ipse ferre, et ut familiares eâ induerentur persuasit. Hæc enim visa est ei occultare si quis defectum aliquem haberet in corpore:* quia nimirùm totum corpus tegebat præter caput et collum. Simili modo describit stolam Sacerdotalem S. Germanus Constantinopolit. *in theoria Liturg.* quam esse ait ignicolorem, demissam usque ad pedes instar poderis Aaron. Nec dubito quin talis fuerit stola illa auro contexta, quam scribit Theodoretus *lib.* 2. *Hist. cap.* 27. à Constantino magno donatam Macario Episcopo Hierosolymitano, ut eâ indutus divini Baptismatis ministerium perficeret, à Cyrillo autem vendilam, ut illi adversarii objiciebant. Et hæc quidem erat stolæ forma apud veteres Ethnicos, Judæos, Christianos: at nunc stola nostra non vestis, sed veluti torques est à collo per humeros ad pectus pendens, et usque ad genua protensus. Quod sanè ornamentum, quando cœperit à Sacerdotibus in sacris adhiberi, et cur ei stolæ nomen tributum sit, solerti indiget disquisitione. Quidam ævo Apostolorum cœpisse scribunt, eò quòd legerint stolam S. Jacobi Apostoli missam fuisse à Theodosio Hierosolymorum Episcopo ad S. Ignatium Constantinopolitanum; et stolam S. Stephani protomartyris à Macario item Hierosolymitano datam Helenæ Augustæ, et ab ea Vesontionem transmissam. Sed hos Scriptores vocis æquivocatione deceptos fuisse evidens est; stola enim illorum temporum, ut ex dictis constat, vestis oblonga erat totum corpus ambiens, nihilque habet commune cum stola hodierna præter nomen. Durandus *in Rationali lib.* 3. *cap.* 5. stolæ initium ad illud tempus refert, quo alba deferri cœpit. « Notandum, » (inquit,) quòd antiquitùs stola erat vestis candida pertingens usque » ad vestigia, quâ Patriarchæ utebantur ante legem: quam primogeniti, » cùm benedictionem patris acciperent, induebant, et Domino victimas » ut Pontifices offerebant. Sed postquam alba cœpit portari, mutata est » in torquem. » Hæc tamen levis conjectura est, et nos certiora hujus rei indicia dabimus ex Conciliis mox referendis. Undè autem nomen stolæ huic ornamento? An quia successit veteri stolæ, ut innuit Durandus? An potiùs deducta est nomenclatura à fascia, quæ in limbo ejus vestis assuta erat, quæ olim stola dicebatur, retento totius vestis nomine in parte quadam illius? Ita conjicit, et meâ quidem sententiâ probabiliter, Vincentius Ricardus *in commentariis ad orationem sextam sancti Procli.* In extrema namque parte antiquæ stolæ, ut observat Bayfius *de re vestiaria cap.* 17. assuta erat fasciola seu limbus ipsam vestem ambiens, cui cùm sit valdè similis hodierna stola, hinc fieri potuit, ut hoc illi nomen tributum sit. In actis sancti Sylvestri, quæ Damaso adscribuntur, ab eo constitutum legimus, ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia uterentur, et

Est et Diaconis sua stola, quæ pendebat olim ab utroque humero, stolæ Sacerdotalis instar : jampridem autem ab pallâ linostimâ læva eorum tegeretur : Zosimus item constitutum fecisse dicitur, ut Diaconi lævas tectas haberent de pallis linostimis; ubi fortè legendum linostema, id est, ex lino et lana contexta, quæ ut ait Isidorus *lib.* 19. *Orig. cap.* 22. dicta est linostema, quia in stamine linum, in trama lanam habet. Nomine autem hujus pallæ nihil commodius intelligi potest quàm stola Diaconalis, quæ in humero sinistro ab ipsis defertur ad differentiam Sacerdotalis à collo ante pectus pendentis. Stolæ item mentio fit sub nomine orarii, in concilio Laodiceno tempore ejusdem Sylvestri habito *cap.* 22. et 23. quibus Subdiaconis et Lectoribus prohibetur, ne orariis utantur. Ex quo duplici testimonio infertur ante annos mille et trecentos usum stolæ in Ecclesia invaluisse.

Porrò nomine orarii stolam, quâ nunc utimur, intelligi, omnes Ecclesiastici Scriptores testificantur. Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 204. *Deindè circumdat collum suum stolâ, quæ et orarium dicitur.* Rabbanus Maurus *lib.* 1. *cap.* 19. *Quintum est, quod orarium dicitur, licèt hoc quidam stolam vocent.* Alcuinus *de div. offic. cap.* 39. *Sequitur orarium, id est, stola.* Ordo Romanus, *Subdiaconi regionarii accipiunt ad induendum Pontificem vestimenta, alius orarium, alius planetam.* Anastasius in vita Agathonis, *Eâ horâ sancta Synodus unà cum Principe ejus orarium auferri jusserunt à collo ejus*, Macarii scilicet Antiocheni. Adstipulantur veterum Conciliorum Patres, à quibus multa de usu orarii sancita sunt, quæ satis superque constat ad stolam pertinere. Concilium Laodicenum jam suprà citatum tempore S. Sylvestri. Bracarense I. anno 563. *can.* 27. « Placuit, » quia in aliquantis hujus Provinciæ Ecclesiis Diacones absconsis infra » tunicam utuntur orariis, ita ut nihil differre à Subdiacono videantur, » ut de cætero supposito scapulæ, sicut decet, utantur orario. » Toletanum quartum sub Honorio can. 27. « Episcopus recipiat orarium, annulum et baculum : Presbyter orarium et planetam : Diaconus orarium » et albam : et cap. 39. Orariis duobus nec Episcopo quidem licet nec » Presbytero uti ; quantò magis Diacono, qui minister eorum est? Unum » igitur orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero, propter » quod orat, id est, prædicat : dexteram autem partem oportet habere » liberam, ut expeditus ad ministerium Sacerdotale discurrat. Caveat » igitur amodò Levita gemino uti orario, sed uno tantùm et puro, nec » ullis coloribus aut auro ornato. » Bracarense III. sub Adeodato can. 3. « Cùm Sacerdos ad solemnia Missarum accedit, aut pro se Deo sacrifi» cium oblaturus, aut sacramentum corporis et sanguinis Domini Jesu » Christi sumpturus, non aliter accedat, quàm orario utroque humero » circumseptus ; ita ut de uno eodemque orario cervicem pariter et » utrumque humerum premens, signum in suo pectore præferat crucis. » Moguntinum sub Leone III. can. 28. « Presbyteri sine intermissione utan» tur orariis propter differentiam Sacerdotii dignitatis, » quando scilicet ministeria sui ordinis obeunt : nisi fortè hoc loco præter solitum sumatur orarium impropriè pro veste talari, quâ reverâ sine intermissione uti debent Sacerdotes. Quo item sensu interpretantur nonnulli Canonem, quem Gratianus 17. *quæst.* 4. *cap.* 25. et Ivo *p.* 10. *cap.* 139. tribuunt Concilio Triburiensi : « Ut Presbyteri non vadant nisi stolâ vel orario induti. » Et si in itinere spoliantur, vel vulnerantur, aut occiduntur non stolâ » vestiti, simplici emendatione sua solvantur : si autem cum stola, tri» plici : » Minor enim pœna infligitur illi, qui injuriam irrogat Sacerdoti sine habitu incedenti, cùm possit se ignorantiæ exceptione excusare. Ex quo patet orarium hîc accipi pro communi vestimento, quod ita proprium Sacerdotis foret, ut eum discerneret à seculari. Quòd si primam hujus vocis originem inspiciamus, profana est; et ab eo sensu diversa quo nunc usurpatur. Antiquis enim Scriptoribus tam Ethnicis, quàm Christianis, orarium nihil aliud est quàm sudarium, strophium, linteolum, quo facies abstergitur.... Quamvis autem orarium commune sit Diaconis et Presbyteris, à Græcis tamen Diacono propriè tribuitur; stolam verò Sacerdotalem *Epitrachelion* vocant, quod latius est orario, nec ullis litterarum notis exaratum sicut orarium Diaconorum, cui ter inscriptum est verbum *agios*, id est, *sanctus*.

humero sinistro infra brachium dextrum, baltei instar, stringitur; idque ut Diaconus brachium dextrum expeditius habeat ad ministerium, ut habet Concilium IV. Toletanum ann. 633. can. 4o. cujus hæc verba sunt : *Unum orarium oportet Levitam gestare in sinistro humero.... dexterom autem partem oportet habere liberam, ut expeditiùs ad ministerium Sacerdotale discurrat.* Quidquid sit de illius ritûs origine, certum est ex antiqua Ecclesiæ sanctione Diaconum stolâ in modum baltei strictâ infra brachium dextrum distingui à Sacerdote, ut par est, quippè qui non nisi portionem caracteris Sacerdotalis acceperit.

Presbyteri aptant stolam ante pectus in modum crucis; quo ritu significari nihil vetat Sacerdotalem auctoritatem, quanta quanta est, suam omnem virtutem habere à cruce Christi. Hunc ritum videtur innuisse Concilium Bracarense ann. 675. can. 3. his verbis : « Cùm Sacerdos ad solemnia » Missarum accedit, aut pro se Deo sacrificium oblaturus, » aut sacramentum corporis et sanguinis Domini nostri » Jesu Christi sumpturus, non aliter accedat, quàm orario » utroque humero circumseptus, ita ut de uno eodemque » orario cervicem pariter et utrumque humerum premens, » signum in suo pectore præferat crucis. »

Episcopi non aptant stolam in modum crucis, quia crucem gerunt auream ante pectus, quæ propterea *crux pectoralis* dicitur. Plerisque olim in Ecclesiis Presbyteri sicut et Episcopi nec stolam aptabant in modum crucis; quem morem etiamnùm Carthusiani, Cluniacenses, et fortè alii servant. Hæc parvi momenti sunt. Teneat suum quisque morem.

Casula, quæ et planeta dicitur, charitatis signum appellatur in Pontificali Romano (1); nimirùm quia totum Sacerdo-

(1) PONTIF. ROM. *in ordinat. Presbyt.* Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur. Potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem, et opus perfectùm.

Et Pontifex explicans eam dicit : Stolâ innocentiæ induat te Dominus.

JOAN. BONA S. R. E. Card. *ubi suprà, n.* 2. Postremum Sacerdotis sacris operaturi indumentum quidam penulam, alii casulam, seu planetam vocant; quæ voces à profana significatione ad sacram translatæ sunt.... De casula quoque sive planeta pro communi vestitu olim à Latinis usurpata veterum Scriptorum testimonia habemus. Acta S. Fulgentii apud Bollandum die 1. Januarii cap. 18. « Casulam pretiosam vel superbi colo- » ris ipse non habuit, nec Monachos suos habere voluit. Subtùs casulam » nigello vel lactineo pallio circumdatus incessit. » Regula Macarii *cap.* 27. inducit Monachum contumacem dicentem : « Hic ego durare non » possum, sed accipiam casulam meam, et ibo ubi voluerit Dominus. » Casula autem hoc loco accipitur pro cuculla monachali. Theodemarus Abbas in Epist. ad Carolum magnum, « Cucullam nos esse dicimus, » quam alio nomine casulam vocamus. » Auctor vitæ sancti Cæsarii Arelatens. « Ambulans Cæsarius per plateam civitatis, vidit contra in foro » hominem, qui à dæmonio agebatur, in quem cùm attendisset, habens » manum sub casula, ut à suis non videretur, crucem contra eum fecit. » Joannes Diaconus in vita S. Gregorii *lib.* 2. *cap.* 45. quemdam fuisse Monachum ait, qui à fratre suo seculari vestem petiit dicens, « Casulam » non habeo, sed fac charitatem, eme mihi. » Erat autem casula quotidianum Ecclesiasticorum indumentum : nam in Concilio habito apud

tem amicit, et cæteris vestimentis superponitur, quemadmodùm charitas cæteris virtutibus supereminet. « Olim » enim casulæ rotundæ prorsùs erant, totum ambientes » hominem à collo usque ad pedes, unicam in medio aper» turam habentes, per quam caput immittebatur. Verba sunt Cardinalis Bona (*de reb. Liturg. lib.* 1. *cap.* 24. *n.* 8.)» Habentur etiamnùm ejusmodi casulæ multis in Ecclesiis. Carthusiani Avenionenses casulam ejusmodi pretiosissimam habent auro contextam, quam ipsis olim dono dedit summus Pontifex illius Carthusiæ fundator. Hanc vestem apud veteres omnes quotidiano in usu fuisse probat Ferrarius. (*Lib.* 1. *de re vestiaria cap.* 1. (K)

Liptinas in pago Cameracensi, anno 743. *can.* 3. decretum fuit, ut Presbyteri vel Diaconi « non sagis laïcorum more, sed casulis uterentur ritu » servorum Dei.... » Cùm sit igitur æquivocum casulæ et planetæ vocabulum, quo primùm tempore à profano et promiscuo usu ad sacrum translatum sit non liquet. Legitur nihilominùs casulæ nomen in antiquo Ordine Romano, in libris Alcuini, Amalarii, Rabani Mauri, et aliorum qui de ritibus sacris scripserunt : et Concilium quartum Toletanum can. 27. *Presbytero*, ait, *in sua Ordinatione planeta datur, quæ idem est ac casula.* Fit etiam casulæ mentio in Testamento S. Remigii apud Flodoardum *lib.* 1. *cap.* 18. Quòd verò Sacerdotes ante casularum usum dalmaticis uterentur, quas posteà Diaconis concesserint, cùm casulis uti cœpissent, assertio singularis est Walfridi Strabonis *cap.* 24. cui favent Acta S. Sylvestri edita à P. Combefis, in quibus mentio fit Euphrosyni Pamphyliæ Episcopi, « qui dùm mysteria perageret colobium unum habebat, » quod magni illius Apostoli ac fratris Domini Jacobi esse dicebat, quo » indutus sacram oblationem explebat. Hinc factum ut Romani hacte» nùs Sacerdotes colobiis usi sint. Quòd tamen brachiorum nuditas dis» pliceret, dalmaticas manicatas poliùs quàm colobia placuit appellare.» Hæc ille priscus Scriptor. Porrò casula, teste Isidoro, *lib.* 19. *Origin. cap.* 24. per diminutionem à casa dicitur, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa. Planetæ verò nomen ex eo deducitur, quia oris errantibus evagatur; et ut ait Gemma animæ *lib.* 1. *cap.* 207. limbus ejus errabundus utrimque in brachia sublevatur. In vita S. Popponis Abbatis apud Bollandum *die* 25. *Januarii*, *num.* 58. *in celebratione Missarum casubulam*, *quâ induebatur lacrymis humectabat.* In Ecclesia Orientali phenolium, sive casula Pontificalis à Presbyterali in hoc differt, quòd ista simplex, illa multis crucibus insignita est; et ideò *polystaurion* dicitur, ac si Latinè *multicrucium* diceremus.

Cæremoniale Paris. *pag.* 13. Plores autumant hanc vestem veram esse Romanorum togam sine manicis, quæ ad utrumque brachium revolvebatur, ut in multis Ecclesiis videre est. Casula igitur in orbem ad pedes undique devolvebatur, si defluere sineretur; sed ne officeret actioni Sacerdotis, primùm componebatur revoluta super brachia : denique revolutæ illæ partes, ut superfluæ amputatæ sunt, undè jam casula hodierna in modum desiit, qui jam in usu est. Casula autem, quæ et planeta dicitur, Sacerdotis est insigne, quà tantùm ad Missam utitur, aut ad delationem solemnem sanctissimi Sacramenti, in festo corporis Christi, aut aliis ejusmodi.

Porrò sic revoluta illa planeta vestes interiores aliquantulùm detegebat; ut autem partes illæ delectæ cooperirentur, plagulæ circa manus et ad pedes, circa collum et circa pectus ad nuda protegenda appositæ sunt : hæ verò plagulæ fortè apud Romanos erant in usu, ut conjicere licet ex usu lati et angusti clavi.

(K) Octav. Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria*, *cap.* 1. Toga, Romanorum tegmen, ipsis Quiritibus longè vetustior Scriptoribus perhibetur. Nam circumamcasse à Pelasgis ad Lydos, à Lydis ad Romanos auctor est Tertull. *de Pallio.*

Multi jam ritus observantur, qui ex veteri illa casularum forma originem sumpsêre.

1. Sacerdos olim dùm faciebat confessionem in infimo altaris gradu cum Ministris, casulam habebat planè explicatam, adeò ut brachia ejus omninò tegerentur. Tunc solùm casula revolvi solebat super brachia, cùm Sacerdos ascensurus erat ad altare : et brachio demùm expedito manipulus imponebatur post confessionem ; nullus enim esse potuisset usus manipuli antequàm brachia fuissent expedita. Hunc ritum, tunc omnibus Presbyteris communem, nunc soli Episcopi retinuêre, quibus non nisi peractâ confessione imponitur manipulus. (L)

2. Propter pondus casulæ super brachia replicatæ, vix poterant Sacerdotes brachia attollere ad levandum peractâ consecratione corpus Christi ; sustinebant ergo Ministri casulam, ut brachia expeditiora essent. Hinc sumpsit originem mos ille qui perseverat etiamnùm levandi Sacerdotis casulam, dùm sacra Hostia et calix sanguinis Christi populo post consecrationem ostenduntur. (M)

3. Diaconus et Subdiaconus cæterique Ecclesiæ Ministri casulis olim inter ministrandum induebantur non secùs ac Sacerdotes ; et ne earum pondere brachia impedirentur in ministerio, eas à parte anteriori complicabant, adeò ut brachia essent omninò expedita. Et Diaconus, cujus in ministerio potiores partes sunt, præsertim ab Evangelio usque ad peractam populi communionem, intereà vel deponebat prorsùs casulam, vel eam complicatam et à brachio sinistro infra brachium dextrum stolæ instar reflexam et strictam gerebat : nec resumebat nisi peractâ communione. Hinc origo ritûs illius qui perseverat etiamnùm pluribus in Ecclesiis, ut diebus Quadragesimæ et jejunii, quibus non pauca

Cap. 25. Primis urbis temporibus tam viros quàm mulieres in toga incessisse, totamque Romanam gentem verè togatam fuisse veteres Critici annotarunt. Cælerùm virorum omnis conditio togata : Primores, plebs, etiam populi vilissima pars, quæ in emenda toga sumptum facere posset. Tertullianus *de pallio* cap. 4. *Vespillo, leno, lanista tecum vestiuntur.* Et in fine operis, *Verùm et cerdones, et omnis gladiatorum ignominia togata producitur.*

Cap. 28. Antiquissimo quidem tempore non modò domesticum ac torense vestimentum toga fuit, sed et diurnum et nocturnum. Varro *de vita pop. Rom.* apud Nonium : *Præterea, quòd in lecto togas antè habebant, id enim olim fuit commune vestimentum et diurnum et nocturnum, et muliebre et virile.*

(L) JOAN. BONA S. R. E. Card. *ubi suprà, n.* 5. Cùm planeta totum corpus ambiret,..... eâ super brachia duplicatâ et triplicatâ, ut Gemma animæ ait *lib.* 1. *cap.* 206. et 208. manipulus extremo loco brachio expedito imponebatur : qui ritus tunc omnibus Presbyteris communis, nunc in solis Episcopis remansit, quibus peractâ confessione à Ministris imponitur : quia prisco more post confessionem casula elevari solebat.

(M) JOAN. BONA S. R. E. Card. *ubi suprà, n.* 8. Quia verò planeta totum olim involvebat Sacerdotem, hinc ortus est usus, ut a Ministro elevetur, cùm Sacerdos hostiam et calicem elevat : quæ praxis antiquitùs necessaria, ne pedibus obversans flectenti genua, impedimento esset, adhuc perseverat ; tametsi cessante causâ superflua sit.

antiquitatis vestigia retenta sunt, Diaconus et Subdiaconus utuntur planetis plicatis ante pectus. Quam planetam deponit Diaconus ante lectionem Evangelii, eam non nisi post communionem resumpturus; cujus loco (quod ævi recentioris esse notat Cardinalis Bona) (*De reb. Liturg. lib.* 1. *n.* 8.) stolam latiorem accipit. (N) Exstant etiamnùm in Galliis Ecclesiæ complures, in quibus ex veteri ritu Diaconus, diebus maximè Quadragesimæ, casulam complicatam super humerum sinistrum reflectit et stringit infra brachium dextrum : tales sunt Ecclesiæ Remensis, Rothomagensis, Senonensis, Narbonensis, Tullensis, etc. In Parisiensi Ecclesia Diaconus et Subdiaconus utuntur planetis transversis, quod ex veteri illo ritu sumpsit originem.

Fortè ex veteri illa planetarum forma factum est quoque ut in Presbyterorum ordinatione Pontifex tradat singulis Presbyteris casulam complicatam super humeros, et à parte anteriori deorsùm pendentem, ut nimirùm brachia habeant expedita ad celebrandam cum Pontifice Missam, cujus post communionem explicat ipsis Pontifex casulam, induitque illos totâ veste.

Veterem hanc casularum formam retinent etiamnùm Græci. Latini ad vitandum incommodum, eam paulatim à lateribus scindere et decurtare cœperunt, donec ad formam quâ hodiè utimur redactæ sunt; quod quidem sine ullo Pontificum aut Synodorum decreto factum est. Ante annos sexaginta casulæ ex lateribus adhuc ultra cubitum protendebantur. (O) Veteres illæ casulæ, quæ totum hominem am-

(N) Joan. Bona S. S. E. Card. *ubi suprà*, *n.* 8. Quia verò planeta totum olim involvebat (corpus).... hinc etiam permansit usus, quem pauci fortassis intelligunt, ut in Quadragesima aliisque diebus jejuniorum, quibus Ministri utuntur planetis, complicatæ sint à parte anteriori, quod olim propter earum amplitudinem necessarium erat, ut expediti essent ad ministrandum : sicque paulatim introductum est, ut Diaconus, cujus in Missa potissimùm est ministerium, planetam exuat, ejusque loco stolam latiorem accipiat : quod ævi recentioris est, nam Ordo Romanus non exui planetam, sed elevari mandat : *Et Diaconi*, inquit, *levant planetas in scapulas.* Usum verò duplicis stolæ, ut ostendimus cùm de stola ageremus, antiqui Canones non permittebant.

(O) Joan. Bona S. R. E. Card. *ubi suprà*, *n.* 8. Hodiè Græcorum casulæ ejusdem etiam formæ sunt ac veteres. Latini verò ad vitandum incommodum ex amplitudine et protensione totum corpus cum brachiis circumcludente proveniens, eas paulatim à lateribus scindere et decurtare cœperunt, donec ad formam quâ hodiè utimur redactæ sunt. In opere musivo, quod olim erat in Basilica Lateranensi, cujus ectypon exstat in Musæo Barberino, posteà typis cusum à Cæsare Raspono nunc S. R. E. Cardinali *lib.* 1. *de Basilica Lateranensi*, *cap.* 14. expressa est effigies Joannis XII. Papæ, quem Ministri induunt planetâ ex utroque latere apertâ, et tam in parte anteriori quàm in posteriori in acumen desinente, et ultra cubitum protensâ, quam certè non erat necessarium in utroque brachio duplicare, aut triplicare ut Gemma animæ ait. Factum autem fuit illud anno 960. Testatur Morinus *lib. de sacr. ordinat. p.* 2. *in notis ad Græcorum ordinationes*, antiquæ formæ casulas ducentos circiter annos præ se ferentes in multis Ecclesiis asservari : ex quo testimonio et ex pictura suprà relata, facilè conjici potest, quo tempore hujusmodi scissio fieri cœperit, et quomodo sensim propagata fuerit; quam nullo Pontificum seu Synodorum Decreto stabilitam invenio.

biebant, videbantur expressiùs significare charitatem, quæ cùm cæteras virtutes in se contineat, debet in Sacerdote maximè eminere, adeò ut ipse totus charitas sit.

Sandaliis et caligis, quibus nunc soli utuntur Episcopi olim Presbyteri cæterique Ministri utebantur in sacro ministerio. His admoneri Episcopos nil vetat quod ait Apostolus, ut *calceatos* habeant *pedes in præparatione Evangelii pacis.* (*Ephes.* VI. 15.)

Tunicæ et Dalmaticæ antiquissimus usus. His vestibus olim et laïci in usu quotidiano primùm, deindè in solemnibus cæremoniis induebantur; cujus rei multa etiamnùm exstant vestigia. Jampridem illæ numerantur inter indumenta Pontificalia, quibus varias virtutes designari jam diximus. (*Hujusce Part. Sect.* I. *Cap.* 7. §. 13.) His autem indumentis superponitur casula, symbolum charitatis, quæ reliquas omnes virtutes in se complectitur.

Pallium, quod à summo Pontifice mittitur ad Metropolitanos, designat plenitudem potestatis Archiepiscopalis. De hujus antiquitate et usu multi multa scripsêre, quæ brevitatis causà prætermittimus. (P)

M. BOCQUILLOT, *Traité histor. de la Liturg. liv.* 1. *ch.* 7. *pag.* 162. Après ce que nous avons dit de l'ancienne figure de la chasuble, il est aisé de voir qu'on ne pouvait agir sans la retrousser. C'est apparemment cette difficulté qui a fait penser à échancrer la chasuble des Prêtres par les côtés, et à donner des tuniques aux Diacres et aux Soudiacres, afin qu'ils eussent les bras libres pour leurs fonctions, et qu'ils fussent moins embarrassés. On commença d'abord par faire les chasubles neuves moins longues par les côtés que par devant et par derrière: comme l'on vit qu'elles en étaient plus commodes et moins chères, on les diminua de plus en plus par les côtés, et on les a enfin tant diminuées qu'elles sont parvenues à présent jusqu'au point de ne plus ressembler aux anciennes chasubles.

(P) *De Pallio et ejus usu vide* R. P. THOMASSIN. *lib.* de veteri et nova Eccles. disciplin. *lib.* 2. *cap.* 53. *et seq. Domn.* THEODOR. RUINART. *Monach. Bened. è Congr. S. Mauri opus posthumum* de Pallio, *tom.* 2. Collect. operum D. Joan. Mabillon et D. Theod. Ruinart. NICOL. DE BRALION *Congr. Orat. D. J. Sacerd.* Pallium Archiep. in 8°. 1648. etc.

PONTIF. ROM. *tit. de Pallio, pag.* 28. Tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii cum Patriarchalis (*vel*) Archiepiscopalis nominis appellatione.

JOAN. BONA S. R. E. Card. *ubi suprà, n.* 16. Postremum Pontificale ornamentum est pallium, quod solis Patriarchis competit. Est autem pallium fascia lanea candida tribus circiter digitis lata, et in modum circuli contexta, quæ super humeros imponitur, ex quo circulo alia similis fascia ante pectus, alia deorsùm ex opposito pendet, duæ super humeros demittuntur: quæ fasciæ purpureis crucibus sunt insignitæ. Ipsum autem pallium tribus aciculis sive spinulis aureis alligatur. Fit ex lana agnorum candidorum sine macula, qui in die sanctæ Agnetis in ejusdem Ecclesia viâ Nomentanâ singulis annis offerri ad Missam solemnem et benedici solent, ac Subdiaconis Apostolicis consignari, et in aliquo monasterio Sanctimonialium nutriri, donec veniat tempus ipsos tondendi. Ex quorum lana texuntur pallia, quæ in basilicam Vaticanam delata super corpora sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ponuntur in vigilia natalis ipsorum, ibique totâ nocte dimittuntur, ac die sequenti deputatis custodienda traduntur. Pallio semper et ubique utitur Romanus Pontifex, cujus est super omnes Ecclesias summum jus ac plenaria potestas. Reliqui eo uti non possunt, nisi intra Ecclesiam certis quibus-

dam et designatis diebus, cùm Missarum solemnia celebrant, idque ex antiqua consuetudine, quam indicat Gregorius magnus *lib.* 2. *Epist.* 54. Joanni Archiepiscopo Ravennati sic scribens, « Illud, Frater charis- » sime, tibi non putavimus ignotum, quòd penè de nullo Metropolitano » in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus » usum sibi pallii vindicasse : » et *lib.* 4. *Epist.* 50. Vigilio Arelatensi, « Pallium, (inquit,) transmisimus, quo Fraternitas tua intra Eccle- » siam ad sola Missarum solemnia utatur. » Idem statutum fuit in Synodo Romana sub Joanne VIII. edita ab Holstenio cap. 3. « Quicumque Metro- » politanorum per plateas vel in Litaniis uti pallio præsumpserit, et non » tantùm in præcipuis Festivitatibus, et ab Apostolica sede indictis tem- » poribus, ad Missarum solummodò solemnia, careat illo honore. » Si tamen verum est quod Flodoardus scribit in historia Remensis Ecclesiæ lib. 3. cap. 10. « Hincmarus, (ejus Ecclesiæ Archiepiscopus,) pro suæ » sanctitatis ac sapientiæ reverenti., per interventionem Lotharii Impe- » ratoris pallium ad quotidianum suscepit usum à quarto Leone Papa, » à quo jam aliud perceperat in designatis sibi solemnitatibus debite » fruendum. Quem quotidianum pallii usum nulli unquam Archiepis- » copo se concessisse, vel deinceps concessurum esse, idem Papa in » Epistola tunc ad eum directa testatur. » Sed commentitiam esse hujus- modi concessionem ex Epistola 47. Nicolai I. ad ipsum Hincmarum, et ex ejusdem ad Nicolaum responsione manifestum fit. Cùm enim memo- ratus Pontifex sibi valdè disciplicere scripsisset, quòd ille pallio uteretur ultra dies sibi ab Apostolica sede indultos, respondet Hincmarus *tom.* 2. *editionis Sirmundi circa finem Epist.* 26. his verbis : « Postremò de pallio » à mea præsumptione non certis temporibus et juxta morem aliis Me- » tropolitanis definitis uso, undè vestræ Sanctitatis auribus intimatum » esse indignitati meæ scripsistis, auctoritati vestræ veraciter fateor, » quòd et in istis regionibus per alios, si vobis placuerit, rescire valebi- » tis, quia nisi in die natalis Dominici, et in die sanctæ Resurrectionis » ejus, vix in toto anno eodem pallio utor. » Falsa igitur est Flodoardi narratio, ipsomet Hincmaro teste, qui oppositam sibi usurpationem facilè potuisset diluere prolato Leonis privilegio, si exstitisset. Concessum tamen Bruno Coloniensi ab Agapito II. ut eo præter consuetudinem uteretur, quoties vellet, scribit Rogerus Monachus in ejus vita *cap.* 23. *apud Surium die* 11. *Octobris.* Milo quoque in vita S. Lanfranci Cantuariensis *cap.* 11. refert Alexandrum II. duo pallia illi dedisse, unum quod de altari Romano more accepit : alterum, quod suâ manu ei porrexit, cum quo Missam celebrare solebat, in indicium sui amoris. Posset etiam pro usu quotidiano pallii afferri *Canon* 6. Concilii I. Malisconensis, quod anno 582. celebratum fuit, quo præcipitur ut Archiepiscopus sine pallio Missas dicere non præsumat, nullâ factâ dierum solemnium et non solemnium distinctione. Sed tunc forsitan non iidem erant mores, cùm præsertim eo tempore solus Arelatensis in Gallia usu pallii potiretur : vel certè explicandus est canon non de quotidiano, sed de solemni dun- taxat celebratione.... Cæterùm non omnibus Archiepiscopis hunc honorem tributum, sed iis solummodò qui inter ipsos præcipui erant, nemo ignorat, qui in veteri historia versatus sit. Nam in Gallia nemini mitte- batur, nisi soli Arelatensi ; de qua re exstant Epistolæ Vigilii ad Auxa- nium, Pelagii I. ad Sapaudum, et Gregorii magni ad Childebertum regem Francorum *lib.* 4. *Epist.* 53. In Hispania soli Hispalensi, in Dal- matia Salonitano, in Italia Ravennati, in Sicilia Syracusano, in Sardi- nia Caralitano, ut ex Epistolis Gregorii liquet : sive hoc fieret intuitu Ecclesiarum seu civitatum præ cæteris eminentium : sive ob vicariatum Apostolicæ sedis illis Archiepiscopis tributum ; quo titulo constat pallio item à summis Pontificibus insignitos fuisse Archiepiscopos Corinthi, Thessalonicæ, et primæ Justinianæ. De S. Malachia hæc narrat Ber- nardus *vitæ ipsius cap.* 15. visum sibi Romam proficisci, quia Metropoli- ticæ sedi deerat adhuc, et defuerat ab initio pallii usus, quod est pleni- tudo honoris. Concessum postèà fuit omnibus Archiepiscopis, ut hoc ornamento ab Episcopis distinguerentur. Nonnullos quoque Episcopos interdùm hoc honore affecerunt, Romani Pontifices, vel intuitu meri- torum, vel alia justa de causa. A Marco Papa, qui obiit anno 336. con-

I. Edissere nobis capparum seu pluvialium, ut vocant, originem.

R. Veteres olim, si fortè pluviis ingruentibus ex una Ecclesia in aliam ad stationem procederent, palliis humeros tegebant: his porrò assutum erat caputium ex eodem panno, ad caput obtegendum. At sequentibus seculis cùm non ex simplici panno, sed pretiosioribus hæc conficerentur, et eorum caputia (Gallicè *Orfrois*) ut et ora vestimenti variis ex auro aut argento acupictis floribus aut aliis imaginibus decorarentur, nec jam protegendo adversùs pluvias corpori aut capiti apta essent, in ornamentum transiêre; neque ut anteà ingruente pluviâ, sed sereno tantùm cœlo, seu potiùs in ipsis basilicis ad solemniora solùm celebriorum solemnitatum officia, his indui solent Ministri altaris, Cantores, et alii. (Q)

cessum Ostiensi Episcopo refert Anastasius: Siagrio Episcopo Augustodunensi à Gregorio magno, cujus exstat hac de re ad illum Epistola 114. *lib.* 7. Actardo Nannetensi ab Adriano II. ut ipse testatur in Epistola ad eum directa, his verbis: « Decus tibi pallii solo miserationis affectu con» tulimus, ut habeas pro exilio et catena pallii ornamenta, non ad » Ecclesiæ cui incardinandus es perpetuum institutum, sed ad tuum » specialem certique temporis usum. » Idem privilegium habuit Theodulfus Aurelianensis, de quo ipse sic cecinit:

Solius illud opus Romani Pontificis exstat,
Cujus ego accepi pallia sancta manu.

Ipsum quoque pallium, ut de cæteris taceam, Gregorius VII. Brunoni Veronensi *lib.* 1. *Epist.* 24. pollicitus est, si Romam iret: *quia*, inquit, *antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi præsenti personæ pallium non esse concedendum.* Eo utuntur perpetuo privilegio Episcopi Lucensis et Ticinensis in Italia, et Bambergensis in Germania. Origo ejus in utraque Ecclesia Orientis et Occidentis antiquissima est.... Græci *omophorion* et *epomadion* vocant, ut Theodorus Balsamon docet *in respons. ad* 11. *quæst. Marci Alexandrini.* Differentia tamen ingens est inter pallium Latinorum, et Græcorum omophorion, sive humerale, ut Latini interpretes vertunt: nam Latinum jam supra descripsimus; Græcorum verò est longa fascia ejusdem cum Latino aut paulò majoris latitudinis, collum primitùs involvens, tum à collo per medium pectus infra genua descendens, crucibus itidem intertexta. Olim usque ad pedes protendebatur; nam Zonaras *in vita Constantini Copronymi* ait Anastasium insistentem vestigiis Germani Patriarchæ omophorion ejus calcasse, ut sic eum moneret ne properaret. Aliud etiam discrimen inter utrumque reperitur, quòd Latinum solis Archiepiscopis tribuitur, Græcum omnibus Episcopis commune est, qui illud deponunt cùm Evangelium legendum est, et reassumunt paulò ante communionem, ut docet Simeon Thessalonicensis *lib. de templo et Missa.* Plura de pallio Franciscus Florens *ad tit. Decretal. de usu et auctoritate pallii*: et de omophorio Græcorum Goar *in notis ad Euchолog. pag.* 312. *num.* 8. Habertus *ad partem secund. Liturgiæ Ordinum, observat.* 3. et Morinus *de sacris Ordinat. p.* 2. *in notis ad Græc. Ordinat. n.* 19. ubi latè ostendit inter pallium Latinorum et Græcorum omophorion magnum discrimen intercedere.

(Q) Joan. Bona S. R. E. Card. *ubi suprà*, *n.* 17. Ordo Romanus agens de ordine Processionis, quando Episcopus celebraturus est: *Dao*, inquit, *Presbyteri ita ut ad Missam, excepto quòd cappis induti sunt, vestiti ministrant ei.* Est autem cappa, prout sumitur hoc loco, vestis Ecclesiastica à sola parte anteriori aperta, ab humeris usque ad pedes protensa, quam recentiores pluviale vocant, quia olim pluviæ tempore sumebatur, ut Ferrarius *lib.* 1. *de re vestiaria cap.* 39. suspicatur. Et hinc fortè emanavit, ut à parte posteriori capitis tegumentum assutum haberet, quod caputium

De cæteris indumentis Pontificalibus jam egimus, ubi de consecratione Episcoporum. (R)

§. 18. Quibus diebus et horis celebrari Missæ sacrificium oporteat.

I. Quibus diebus Missæ sacrificium offerendum est ?

R. 1° Certum est institutum à Christo fuisse sacrificium, ut ad consummationem usque seculorum celebraretur. (A)

2° Verisimillimum est in Ecclesia Jerosolymitana post acceptum in solemni Pentecostes die Spiritum sanctum, quotidie celebratum ab Apostolis sacrificium fuisse. Sic enim loquitur S. Lucas, cap. 2. Actuum (*v.* 46.) QUOTIDIE *perdurantes unanimiter in templo, et* FRANGENTES CIRCA DOMOS PANEM, *sumebant cibum cum exsultatione.* Paulò superiùs dixerat (*Ibid.* 42.) *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, et* COMMUNICATIONE FRACTIONIS PANIS, *et orationibus.* Non obscurè intelligitur ibi per FRACTIONEM PANIS vocamus, cujus quædam forma seu vestigium in hodiernis pluvialibus remansit. Silent de hoc indumento veteres rerum Ecclesiasticarum Scriptores : ejus tamen usum antiquitùs viguisse Ordo Romanus evincit, cui suffragantur Lanfrancus *Epist.* 13. *ad Joannem Normanorum Archiepiscopum*, et alii quos refert Saussaius *primâ part. Panopliæ Sacerdotal. lib.* 5. *cap.* 5. Guillelmum Anglorum regem sancto Hugoni Abbati Cluniacensi misisse cappam penè auream totam, narrat Auctor miraculorum ejus, in qua vix nisi aurum apparebat, vel margaritarum et gemmarum textus ; inferiùs autem undique tintinnabula resonantia, ipsaque aurea, pendebant. Latiùs post annum millesimum extensa est cappæ significatio ad plures vestes sacras et profanas, ut ex Glossariis patet. Cappà pro quotidiana Monachi veste utitur Gaufridus Abbas in vita sancti Petri Tarantasien. cap. 27. *Tolle tibi cappam hanc manicatam :* loquitur autem de cuculla Monachi. Pro veste communi secularium Cæsarius Cisterciensis lib. 1. Dialog. cap. 38. *Videntes illum cappâ tritâ atque vetustâ indutum, æstimantes eum scholarem pauperem et vagum, suscipere renuerunt.* Pro habitu summi Pontificis Petrus Damiani lib. 1. Epist. ad Cadolaum antipapam, *Habes juxta morem Romani Pontificis rubeam cappam.* Sunt et cappæ Episcoporum et Canonicorum, quibus induti Choro intersunt, de quibus non est hîc locus disserendi.

OCTAV. FERRARIUS *lib.* 1. *de re vestiaria cap.* 39. Sed quid pænulam in sacris fuisse dicemus, cujus mentio in actis Concilii Ephesini, si ea non fuit planeta ? *Misimus tunicam candidam et pænulam castaneam*. Ubi in Græco, ut notat Baronius, *phainolion*. Ea etiam vestis sacra fuit, quæ licèt aperta et fibulà nexa, tamen totum hominem cooperiebat. Hæc vulgi voce *pluviale* dicitur, fortè quia ut pænula olim pluviæ tempore sumebatur, ejusque usus in supplicationibus et vespertinis precibus. Eaque omninò à casula, sive planeta distincta, ut propterèa non rectè quidam *phainolion* casulam interpretati sunt, cùm pænulam debuissent. Quanquam ex eo quòd totum hominem involvat, licèt aperta, etiam casula impropriè dici potest.

(R) *Sect.* 1. *hujusce Part. Cap.* 7. §. 13. *de his fusiùs locuti sumus. Porrò* vestium sacrarum mysticas significationes tradit GAVANTUS *part.* 2. *tit.* 1. *n.* 3. 4. 5. *et* 6. *Hunc adeat Lector harum rerum studiosus, nobis quippè ad majora properantibus his immorari haud licet.*

(A) 1. CORINT. XI. 23.... Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. et gratias agens fregit, et dixit : Accipite, et manducate : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur ; HOC FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM. 25. Similiter et calicem, postquam cœnavit dicens : Hic calix novum testamentum est in meo sanguine : HOC FACITE quotiescunque bibetis, IN MEAM COMMEMORATIONEM. 26. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis : mortem Domini annuntiabitis donec veniat.

sacrosanctum Missæ sacrificium designari, adeòque verò simillimum est his verbis innuere S. Lucam, sacrosanctum Missæ sacrificium oblatum quotidiè per domos fuisse ab Apostolis.

3. Constat certissimâ traditione, cujus exstant plura in Scripturis vestigia (B) singulis Dominicis fideles convenisse semper ad sacrificii celebrationem. Idem dicendum de Festis diebus, quorum multa ex Apostolica traditione observari jam suprà probavimus. (§. 1. *Cap.* 2. *Sect.* 4. *Part.* 2. *ubi egimus* de I. Ecclesiæ præcepto, *et Cap.* 5. *in quo* de IV. Eccles. præcepto.)

4° Quod spectat ad profestos dies, varia fuit ea de re variarum Ecclesiarum disciplina. *Alii*, inquit S. Augustinus (*Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. cap.* 2. *n.* 2.), *quotidie communicant corpori et sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt: alibi nullus dies prætermittitur quo non offeratur, alibi sabbato tantùm et Dominico: totum hoc genus rerum liberas habet observationes.* Olim in Ecclesia Romana, itemque in Alexandrina agebatur quotidie Missa, vel saltem fiebat communio. Rariùs agebatur in Ecclesiis Orientalibus, quanquam non deerant quoque, qui ibi quotidiè celebrarent, ut probat Cardinalis Bona. (C) Is est etiamnùm Orientalis

(B) Act. xx. 6. Nos verò navigavimus post dies azymorum à Philippis, et venimus ad eos Troadem in diebus quinque, ubi demorati sumus diebus septem. 7. Unà autem sabbati, cùm convenissemus ad frangendum panem, Paulus disputabat cum eis, profecturus in crastinum, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. 8. Erant autem lampades copiosæ in cœnaculo ubi eramus congregati.... 11. Ascendens autem, frangensque panem, et gustans, satisque allocutus usque in lucem, sic profectus est.

(C) Joan Bona S. R. E. Card. *Rerum Liturg. lib.* 1. *cap.* 14. *Vide suprà* §. 14. *hujusce Cap. litt.* (F) *et* 2. 16. *litt.* (K)

Cap. 18. *n.* 4. Extra controversiam est semper licuisse quacumque die sacrificium offerre, paucis duntaxat exceptis quibus id nominatim vetitum fuit, quales sunt in Ecclesia Orientali dies Quadragesimæ, quibus præsanctificatis utuntur, et in Ecclesia Romana feriâ sextâ et sabbatum majoris hebdomadæ, in Ecclesia autem Mediolanensi omnes feriæ sextæ Quadragesimæ.

Testimonia veterum Patrum de usu quotidiani sacrificii quædam attuli suprà *capite* 14. cùm de Missis privatis agerem, quibus alia hic superaddam, ut privatæ oblationis laudabilis consuetudo firmiùs stabiliatur. Tertullianus de jejun. cap. 14. *Nobis certè omnis dies etiam vulgatâ consecratione celebratur.* Andreas Apostolus se quotidie hostiam incruentam immolasse testatus est, ut acta ejus referunt à Presbyteris Achaïæ conscripta. Cyprianus Epist. 54. ad Cornelium, *Episcopatûs nostri honor grandis et gloria est panem dedisse Martyribus, ut Sacerdotes qui sacrificia Dei quotidiè celebramus, hostias Deo et victimas præparemus.* Basilium Magnum quotidiè sacris operatum scribit Amphilochius in ejus vita: idemque Baronius de S. Ambrosio asseverat. Chrysostomus *hom.* 60. *ad pop. Antioch.* Deum ait nobis sua beneficia per singulos dies quodammodò per hæc mysteria alligare, non annualim sicut olim Hebræis. Et *hom. sequenti:* Dominum per singulos dies venire inquit, ut videat in sacra mensa discumbentes. Innocentius I. *Epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum*, ideò à Sacerdotibus servandam pudicitiam docet, quia non præterit dies, quâ à sacrificiis divinis vacent. Petrus Chrysologus serm. 5. loquens de Christo, *Hic est vitulus*, ait, *qui in epulum nostrum quotidie ac jugiter immolatur.* S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum quotidiè Missam

celebrasse refert Serarius *lib.* 3. *rerum Mogunt. notat.* 12. *in ejus vitam*, ex quodam fragmento S. Lugderi. Gregorius Turonen. *Lib.* 1. *de gl. confess. cap.* 22. calicem et patenam vocat ministerium quotidianum. In veteri Missa edita ab Illyrico, Sacerdos post communionem Deum orat, ne ad damnationem sibi proveniat, quòd corpus et sanguinem Christi quotidie audet accipere. Ne verò decessent diebus singulis propriæ Missæ, Alcuinus Caroli Magni Magister, rogatu S. Bonifacii Archiepiscopi, Missam composuit de Trinitate pro die Dominica, pro feria II. de sapientia, pro feria III. de Spiritu sancto, pro feria IV. de charitate, pro feria V. de Angelis, pro feria VI. de Cruce, pro sabbato de S. Maria. *Et hoc ideò*, teste Micrologo cap. 60. *ut Presbyteri illius temporis nuper ad fidem conversi, nondùm Ecclesiasticis officiis instructi, nondùm etiam librorum copiâ præditi, vel aliquid haberent quo officium suum qualibet die possent explere. Unaè et adhuc quidam easdem orationes quotidie, etiam cùm proprio abundent officio, nolunt prætermittere. In singulis quoque hebdomadibus sextâ feriâ de cruce, sabbato de S. Maria penè usquequâque servatur, non tam ex auctoritate, quàm ex devotione.* Exstat de Missis quotidianis Concilii primi Toletani sub Anastasio Papa hoc decretum cap. 5. *Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, vel quilibet Ecclesiæ deputatus Clericus, si intra civitatem, vel in loco in quo Ecclesia est, aut castello, aut vico, aut villa, ad Ecclesiam ad sacrificium quotidianum non accesserit, clericus non habeatur.* At hic canon ad Missam solemnem pertinet, quandoquidem jubet omnes Ecclesiasticos ordines ad eam convenire. Ex hoc autem infertur eam quotidiè in Ecclesia Toletanâ initio quinti seculi actam fuisse, quod teste Augustino suprà citato alicubi ipso vivente servabatur.... Quo verò tempore sacrum quotidianum atque solemne ubique cœperit frequentari, non liquet: ex antiquis autem Sacramentorum libris, et ex Ritualibus Monachorum manifestum est octavo seculo hunc ritum in omni ferè regione receptum, ut non solùm diebus Dominicis, et festivis, ac in diebus stationum, sive in pervigilio majorum festivitatum solemnis Missa celebraretur, sicut Apostolica traditio, primique et secundi seculi usus ferebat; sed singulis etiam diebus, solâ feriâ VI. ante Pascha exceptâ: qui mos hodiè in omnibus Ecclesiis collegialis et conventualibus exactissimè observatur.

BOCQUILLOT, *Traité hist. de la Liturgie, lib.* 2. *chap.* 3. Il y a lieu de croire que les Apôtres assemblaient tous les jours les premiers fidèles de Jérusalem pour les saints Mystères. La manière dont saint Luc s'explique sur les prières communes qu'ils faisaient au Temple, et sur les assemblées qu'ils faisaient entre eux dans les maisons pour rompre le pain, en est une preuve: après avoir dit, (*Act.* II. 42. *et* 46.) qu'*ils persévéraient dans la doctrine des Apôtres, et dans la Communion de la fraction du pain*, il ajoute peu après: *Ils allaient tous les jours au Temple, unis d'esprit, y persévérant en prières, ils rompaient le pain dans les maisons, etc.* Il me semble que ce mot de tous les jours *quotidie* convient également à ces deux membres de la proposition de saint Luc; et que ceux qui prennent comme moi cette fraction du pain, autant pour l'Eucharistie que pour les agapes, sont portés à croire qu'ils célébraient et communiaient tous les jours.

Je n'en dirai pas autant des Eglises qu'ils fondèrent parmi les nations. Il paraît et par ce que dit saint Paul aux Corinthiens (1. *Cor.* XVI. 2.), et par le récit que saint Luc fait dans les Actes d'un voyage de ce saint Apôtre à Troade, qu'ils ne s'assemblaient que le premier jour de la semaine, qui fut peu après nommé Dimanche, ou jour du Seigneur, parce que c'est le jour que Notre Seigneur ressuscita. *Nous nous embarquâmes à Philippes*, dit saint Luc (*Act.* XX. 6. *et* 7.), *et nous vînmes en cinq jours à Troade, où nous en demeurâmes sept. Le premier jour de la semaine, les Disciples étant assemblés pour rompre le pain, Paul qui devait partir le lendemain leur fit un sermon qu'il continua jusqu'à minuit.* De sept jours que l'Apôtre séjourne en ce lieu, il est dit expressement d'un seul que les fidèles s'assemblèrent pour rompre le pain. Sans doute qu'ils ne furent pas sept jours en ce lieu sans manger, sans se voir et sans se parler. Il s'agit donc ici d'autre chose que d'un repas commun. Qu'on examine toutes les circonstances de ce récit: il n'est pas possible qu'on n'y remar-

que le mystère de l'Eucharistie. C'est le Dimanche ; c'est une assemblée de fidèles faite exprès ce jour-là, pour rompre le pain ; la prédication précède et suit ce repas mystérieux ; on se cache pour le faire à cause des infidèles, on monte au troisième étage d'une maison, et c'est la nuit. Tant de précautions se prendraient-t-elles pour un repas commun ? La version Syriaque dit nettement qu'ils étaient assemblés pour l'Eucharistie, *ad frangendam Eucharistiam* ; la Glose commune le dit aussi, saint Augustin l'a cru (*S. Aug. Epist.* 38. *ad Casul. n.* 28.), et c'est de plus le sentiment le mieux fondé. Concluons donc, que le Dimanche était le jour où les Eglises des nations célébraient les saints Mystères.

Au temps de saint Justin on ne s'assemblait encore que le Dimanche, et point les autres jours de la semaine. (*Saint Justin. Apol.* 2.) Tous les fidèles tant de la ville que des villages se trouvaient à ces assemblées, y offraient du pain et du vin, participaient à l'Eucharistie, et les Diacres la portaient à ceux qui n'avaient pu se trouver à l'assemblée. Peu après ce saint Martyr, on ajouta en diverses Eglises d'autres jours outre le dimanche pour s'assembler, supposé même qu'ils ne fussent pas déjà établis de son temps. Car Tertullien parle des jeûnes et des stations de la quatrième et sixième ferie, comme d'une tradition ancienne dont on ne savait point l'origine. Mais supposé que ces traditions fussent déjà établies dans le second siecle où vivait saint Justin, il faut ou que cet usage de s'assembler ces deux jours ne fût pas universel, ou qu'il fût libre aux fidèles de se trouver à ces assemblées, et qu'elles ne fussent pas d'obligation comme celles du dimanche. Quoi qu'il en soit de ces deux choses, il est certain qu'en Afrique le mercredi et le vendredi étaient consacrés au jeûne et à la prière publique; que les fidèles s'assemblaient, offraient le Sacrifice, y participaient, et ne rompaient le jeûne qu'après l'heure de Nones, c'est-à-dire, à trois heures après midi. Ces assemblées s'appellaient stations, par une métaphore prise de ce qui se faisait à la guerre, où l'on disait des soldats mis dans un lieu pour le garder et le défendre, *qu'ils étaient en station.* C'est ce que l'on peut voir en plusieurs ouvrages de Tertullien. (*Tertull. de Orat. cap.* 13. *De cor. milit. et lib.* 2. *ad uxor.*)... Je me contente d'en rapporter ces paroles si propres à mon sujet : Votre station ne sera-t-elle pas plus solennelle, si vous vous approchez de l'autel de Dieu ? et si ayant reçu le corps du Seigneur, etc. *Nonne solemnior erit statio tua, si et ad aram Dei steteris, accepto corpore Domini, etc.*

Saint Cyprien parle aussi de ces stations dans sa lettre 44. à Corneille, et nous apprend ailleurs qu'il y avait encore d'autres jours d'assemblée où l'on offrait le Sacrifice. (*Cyprian. Epist.* 12. *et* 39.) C'était les Fêtes des Martyrs qu'on célébrait chaque année le jour de leur mort. Dans la douzième Epître il mande à son Clergé de marquer le jour du décès des Confesseurs morts en prison, pour en célébrer la mémoire, dit-il, comme l'on fait dans celle des Martyrs. Dans la 39. parlant de Celerin qu'il avait ordonné Lecteur, parce qu'il avait souffert pour la foi, saint Cyprien dit qu'il a imité le courage de son aïeule et de plusieurs de ses parens qu'il nomme, dont vous savez, dit-il, que nous célébrons la mémoire en offrant le Sacrifice toutes les fois que nous célébrons la fête des Martyrs, *Sacrificia pro eis semper, ut meministis, offerimus, quotiès Martyrum passiones et dies anniversariâ commemoratione celebramus.*

Long-temps avant saint Cyprien cet usage était déjà établi dans l'Eglise: nous en avons une preuve incontestable dans l'Epître que l'Eglise de Smyrne écrivait aux autres Eglises, pour leur apprendre l'illustre martyre de saint Polycarpe et des autres qui souffrirent dans la même persécution que lui. Après avoir dit que le Centenier avait fait brûler le corps de ce saint Evêque, ils ajoutent : *Nous ramassâmes ces os qui nous étaient plus chers que des pierreries, et nous les conservâmes avec respect dans un lieu où Dieu nous fera la grâce de nous assembler avec joie pour célébrer le jour de son martyre, afin d'honorer sa mémoire et d'exciter les autres, par son exemple, à l'imitation de sa vertu.* (*Euseb. Hist. Eccles. lib.* 4. *cap.* 15.) Il serait inutile de rapporter d'autres preuves des assemblées qui se faisaient aux tombeaux ou chapelles des Martyrs le jour de leurs fêtes pour y célébrer les saints Mystères. L'on sait que cette pratique a été reçue et observée dans toutes les Eglises où il y avait eu des Martyrs, et aussitôt que

Ecclesiæ ritus, ut per Quadragesimam sabbato solùm et die Dominica sacrificium celebretur. Non celebratur unquam in Ecclesia Mediolanensi feriis sextis Quadragesimæ. In reliquis Ecclesiis Occidentalibus nunc quotidie celebratur, si feriam sextam majoris hebdomadæ excipias. Is plerorumque Monasteriorum Occidentis ritus olim fuit, ut non nisi Dominicis et Festis diebus Missas agerent: qui ritus perseveravit diutiùs apud Carthusienses. In hoc suum quisque teneat morem, videatque ne cæteros temerè reprehendat. Id unum sanctissimè observandum ex Apostolica traditione, ut Dominicis et Festis diebus sacrificium celebretur. A quâ traditione certissimè desciverunt Protestantes, qui suam cœnam Eucharisticam quater solùm in anno celebrant, præter omnium omninò Ecclesiarum et seculorum morem. Illi temerè jactitant firmiter adhærere se Scripturarum auctoritati. Mirum quàm turpiter aberrent ab earum vestigiis, tùm in hoc, tùm in aliis multis, ne dicam in omnibus in

la persécution eut cessé; que chaque Eglise célebra les siens; qu'ensuite les autres Eglises qui n'avaient point eu de Martyrs célébrèrent la mémoire de ceux dont elles purent avoir quelques Reliques, et qu'enfin on fit partout mémoire de quelques-uns des plus célèbres Martyrs, même dans les lieux où l'on n'en avait point de Reliques.

Outre les dimanches et les fêtes tant des Mystères que des Saints, et des feries quatre et sixième, on s'assemblait encore le Samedi de chaque semaine en diverses Eglises de la Cappadoce. Les constitutions Apostoliques *lib.* 8. *cap.* 33. font même de ce jour une fête comme le dimanche, et enjoignent non-seulement l'assistance au sacrifice, mais encore l'abstinence du travail des mains. Plusieurs Eglises de l'Orient suivaient exactement cette discipline, mais non pas toutes. Le Concile de Laodicée *can.* 29. ne veut pas que les Chrétiens fêtent le Samedi, et dit qu'ils doivent travailler en ce jour, et s'abstenir du travail le dimanche seulement. Mais la plupart de ces Eglises qui ne cessaient pas le travail le samedi, ne laissaient pas de s'assembler ce jour-là pour les saints mystères comme le dimanche. Cet usage était si fort établi dans l'Orient au V. siècle, que l'Historien Socrate *l.* 9. *cap.* 21. croyait même qu'il s'observait partout excepté dans l'Eglise de Rome et dans celle d'Alexandrie. *Toutes les sociétés chrétiennes du monde*, dit-il, *célèbrent les SS. Mystères tous les samedis de chaque semaine: hormis les fidèles d'Alexandrie et de Rome, qui ne les célèbrent point ce jour-là selon une ancienne tradition.*

Ce que dit cet Historien peut être vrai en ce qui regarde l'Eglise d'Alexandrie, et des autres qui en dépendaient. Car saint Epiphane exclut le samedi du rang des jours d'assemblées, et ne compte que les feries quatrième et sixième, et le Dimanche. Mais pour ce qui regarde l'Eglise de Rome, Socrate se trompe certainement, comme nous allons voir en recherchant les jours qu'on y disait la Messe, et ceux où on ne la disait pas. Saint Jérôme paraît avoir cru qu'on célébrait la Messe à Rome tous les jours, comme dans les Eglises d'Espagne; et si cela était, il est évident que Socrate se serait trompé, en ce qu'il assure qu'on n'y célébrait pas les samedis. Mais je ne crois pas que l'on doive entendre de la Messe ce que dit saint Jérôme à Licinius; car il ne parle en ce passage que de la réception, et non pas de la célébration de l'Eucharistie: *De Eucharistia*, dit-il, *an accipienda sit quotidie.* Or l'on pouvait assûrément recevoir l'Eucharistie sans la célébrer: et cela se faisait certainement du temps de saint Jérôme, au moins le vendredi et le samedi saint, comme le Pape Innocent I. nous en assure: *isto biduo non celebrari sacramenta.* Il y a même d'habiles gens qui prétendent que ce passage d'Innocent doit s'étendre à tous les vendredis et les samedis de l'année, etc.

Cætera vide apud Auctorem, apud quem multa scitu dignissima reperies.

quibus alieni sunt ab Ecclesiæ fide et moribus. (Id facilè intelligi potest vel ex sola hujus operis lectione : quod ut seriò meditentur, quotquot ex iis aliquo veritatis indagandæ studio ducuntur, oro eos et obtestor per viscera misericordiæ Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, si quam habent æternæ salutis rationem.)

I. Fuitne veterì in more positum, ut plures in eadem Ecclesia quotidie ut nunc fit, Missæ agerentur ?

R. Jam à nobis observatum fuit (§. 16. *hujusce Cap.*), apud Orientales unum esse in singulis Ecclesiis altare ; nec iterari unquam sacrificium unà die in eodem altari. Quem ritum in Ecclesia Orientali antiquissimum esse constat.

In Ecclesia Occidentali mos invaluit jampridem plures in eadem Ecclesia Missas agendi, sive in eodem altari, sive in variis altaribus. Quin et idem Sacerdos sæpè plures in die Missas olim celebrabat, ut fit etiamnùm apud nos in solemnitate Natalis Domini. Sed ut singuli Sacerdotes diebus saltem Dominicis et festis suam quique Missam seorsùm agerent, non erat olim frequenti in usu positum. Simul omnes ad solemne Sacrificium conveniebant, offerebantque illud unà cum Episcopo vel alio Sacerdote. Quod fit etiamnùm diebus solemnioribus multis in Ecclesiis Galliarum : cujus rei vestigium exstat in Ordinationibus Episcoporum et Presbyterorum, in quibus, ut norunt omnes, novi Episcopi vel Presbyteri celebrant simul cum Episcopo consecrante.

Ut suum quisque Sacerdos sacrificium diebus etiam Dominicis offerret, jampridem usus obtinuit : quod quidem sensim factum est, vel ut fidelium devotioni variisque fundationibus satisfieret, vel aliis de causis. Hæc non ad fidem pertinent, sed ad disciplinam, mutationi utique obnoxiam, et Pastorum arbitrio relictam. (D)

(D) CONSTIT. APOST. *Vide suprà hujusce Cap.* §. 14. *litt.* (B) *et* S. JUSTIN. *Apol.* 2. *ibid. litt.* (A)

Appendix I. ORDINIS ROM. *apud* MABILLON. *Tom.* 2. *Musæi Italici.* Simul cum illo (Episcopo Presbyteri) Canonem dicunt : et simul consecrant corpus et sanguinem Domini.

AMALAR. *De div. Officiis lib.* I. *cap.* 11. Mos est Romanæ Ecclesiæ, ut in confectione immolationis Christi adsint Presbyteri, et simul cum Pontifice verbis et manibus conficiant.

Pontif. MS. ECCLES. ROTHOM. *apud Domn.* HUGON. MENARD. *Not. in Sacram.* S. Gregorii *p.* 80. *et* 21. Simul cum Pontifice verbis et manibus conficiunt.

M. BOCQUILLOT, *Traité historique de la Liturgie liv.* 2. *chap.* 1. Il est évident que le sacrifice de la loi nouvelle a été institué pour être offert en public dans une assemblée de fidèles, les uns et les autres y offrant et communiant. Lorsque notre Seigneur Jésus-Christ l'institua, ce fut en présence de ses Apôtres, qui représentaient alors toute l'Eglise, et qui y participèrent tous. Saint Paul écrivant aux Corinthiens ce qu'il avait appris de Jésus-Christ même, et ce qu'il leur avait déjà enseigné de vive voix touchant ce mystère, ne nous donne point d'autre idée que d'une assemblée publique. Comment est-ce que saint Justin et les autres anciens auteurs ecclesiastiques nous parlent de l'Eucharistie ? C'est en nous décrivant les assemblées du Clergé et du peuple, qui se faisaient régu-

I. Quæ erat olim hora præstituta Sacrificii celebrationi?

R. Vesperè institutum esse Sacrificium à Christo feriâ quintâ post cœnam jam diximus. (§. 9. *hujusce Cap. et alibi.*) (E)

Probabile est ad hunc modum oblatum quandoque fuisse Sacrificium ab Apostolis peractâ cœnâ communi.

Certum est tamen id ab Apostolis deindè ob majorem sacrificii reverentiam observatum et traditione relictum, ut non nisi à jejunis offerretur, nec fieret communio post cœnam. Quod quidem sanctissimè observatum fuit deinceps ab universa Ecclesia. (F) Ab ea tamen lege pluribus in

lièrement à certains jours pour célébrer ensemble ce saint mystère, et pour y participer tous. Aucun d'eux ne nous en parle autrement : et s'il y en a quelques-uns, comme saint Cyprien, qui parlent des mystères célebrés dans la prison : c'est par nécessité qu'on en usait ainsi. Mais de plus les Martyrs et les Confesseurs qui étaient enfermés pour la foi, tenaient lieu d'une des plus illustres assemblées ecclésiastiques, et tous participaient certainement aux saints mystères qu'on y offrait à cause d'eux. C'était donc une assemblée publique et solennelle en un seul lieu, autant que le temps et le lieu le pouvaient permettre. Nous voyons par les interrogatoires des SS. Saturnin et Dative etc. que les fidèles ne laissaient pas de s'assembler pour l'Eucharistie au plus fort de la persécution : que quelquefois ils y étaient surpris et mis en prison ; qu'interrogés pourquoi ils s'assemblaient ainsi malgré la défense des Empereurs, ils répondaient que c'était un devoir et une obligation dont ils ne pouvaient se dispenser. Ils regardaient donc cet auguste sacrifice comme une action publique et solennelle, qui devait se faire en présence de tous les fidèles qui devaient y participer.... Le cardinal Bona a cru que les Ordres mendians, et les fondations dont on a chargé leurs Eglises et les nôtres, sont la principale cause du changement de l'ancien usage.... Mais il me semble que ce changement était déjà introduit dans la plupart de nos Eglises avant les mendians, et la multitude des fondations qui sont venues presque en même temps qu'eux.... Lorsque la pratique des Messes basses commença à devenir commune, soit par la dévotion particulière des Prêtres, soit par celle des peuples qui leur en demandaient avec empressement, la plupart des Prêtres voulurent dire la Messe en particulier aussi-bien les dimanches et les fêtes que les autres jours.

Chap. 4. C'est un fait certain, que dans les premiers siècles, il n'y avait qu'un seul autel dans chaque Eglise, et que l'on n'y célébrait qu'une seule fois dans un jour. Les Prêtres et le reste du Clergé assistaient et communiaient à cette Messe conjointement avec le peuple, soit qu'elle fût célébrée par l'Evêque, soit que ce fût par l'ancien Prêtre en l'absence de l'Evêque.... Lorsque les persécutions eurent cessé, et que le nombre des fidèles fut extrêmement augmenté, ce ne fut pas assez de bâtir plusieurs Eglises dans les grandes villes, où un Prêtre à la tête du Clergé qu'on attachait à ces Eglises célébrait les saints mystères : il fallut même dans les grandes fêtes réïtérer les saints mystères, pour satisfaire à la dévotion des fidèles, que les Eglises, quoique spacieuses et en grand nombre, ne pouvaient plus contenir dans une même station. Les Grecs n'ont point eu d'égard à cette raison, et se sont tenus attachés à l'usage d'une seule Messe par jour dans chaque Eglise.

(E) 1. Cor. xi. 25. Similiter et calicem postquàm cœnavit, dicens : Hic calix, etc.

(F) S. August. *Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar.* Tertull. *lib.* 2. *ad uxorem cap.* 5. S. Cyprian. *Epist.* 63. *etc. Vide superiùs hujusce Partis Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 7. *litt.* (F)

S. Basil. *Oral.* 1. *de Jejunio.* Jejunium Sacerdotem reddit sacris idoneum : neque enim fieri potest, ut is absque jejunio sanctum ministerium cum fiducia peragat, non tantùm in mystico horum temporum veroque cultu, verùm etiam in eo qui juxta legem in figuris peragebatur.

Ecclesiis excepta dudùm fuit feria quinta in cœna Domini, in qua propter anniversariam institutionis hujus Sacrificii celebratione, exemplo Christi, post cœnam sacrificium offerri mos erat. (G) Nonnullis quoque in Ecclesiis mos ille dudùm invaluit, ut si deferendum esset sacrosanctum corporis Christi viaticum ad ægrotum in extremis agentem, nec servata fuisset Eucharistia, Sacrificium offerretur vesperè etiam à Sacerdote non jejuno, et qui manè jam sacrificium obtulisset. (H) Sed jam pridem usus isti sublati sunt; nec jam privatis Sacerdotibus licet eos ad praxim revocare.

Ex hac servandi ante Sacrificii oblationem jejunii lege factum est, ut pro varia hora solvendi jejunii anticiparetur vel differretur oblatio sacrificii. Agebatur olim Missa solemnis quotidiè post tertiam, hoc est, horà post mediam noctem nonà. Diebus jejunii per annum non agebatur nisi post

S. Gregor. Nazian. *Orat. Quadrag. n.* 41. Tactu purgemur, gustu, faucibus, non molliter tangentes, nec rebus lævibus et politis gaudentes, sed Verbum, salutis nostræ causà incarnatum, ut decet attrectantes: ac Thomam hàc in re imitantes: nec succis cupediisque titillati, acriorum titillationum fratribus, sed gustantes et agnoscentes, quoniam suavis est Dominus, præstantior gustus, atque in sempiternum manens: nec denique acerbas illas et ingratas fauces, quæ id quod datur transmittunt, nec unquam retinent, paulùm recreantes, sed divinis sermonibus, qui melle dulciores sunt, eas oblectantes.

(G) Conc. Carthag. III. *ann.* 397. *can.* 29. Ut Sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur. Nam si aliquorum pomeridiano tempore defunctorum, sive Episcoporum, seu Clericorum, seu cæterorum commendatio facienda est, solis orationibus fiat, si illi qui faciunt jam pransi inveniantur.

Conc. Matiscon. II. *ann.* 585. *can.* 6. Item decernimus, ut nullus Presbyter confertus cibo, aut crapulatus vino, sacrificia contrectare, aut Missas privatis festisque diebus concelebrare præsumat. Injustum est enim ut spirituali alimento corporale præponatur: sed si quis hoc attentare curaverit, dignitatem amittat honoris. Jam enim de tali causa et in Conciliis Africanis definitum est. Quam definitionem nostro quoque dignum duximus sociare decreto: et ad locum: *Ut sacramenta altaris non nisi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo cœna Domini celebratur.*

Conc. Autissiodor. *ann.* 578. *can.* 19. Non licet Presbytero, aut Diacono, aut Subdiacono, post acceptum cibum vel poculum Missas tractare; aut in Ecclesia dùm Missæ dicuntur stare.

(H) Bochel. *Decret. Eccles. Gallic. lib.* 1. *tit.* 6. *cap.* 59. *Ex* Synod. Lingonens. *an.* 1404. Potest bis in die Missam celebrare propter necessitatem infirmorum vel mortuorum: ut si non habetur hostia consecrata pro communicando infirmum, vel dùm fieri debet sepultura alicujus defuncti.

Cap. 61. *ex* Synod. Lingonens. *an.* 1452. Quia sunt nonnulli viri Ecclesiastici, qui bis in die præter juris ordinem non verentur celebrare, quæ dolenter referimus, cùm vix justus semel valeat celebrare, hæc de cætero fieri prohibemus sub pœnis juris, et decem librarum Turonensium in eleemosynam nostram convertendarum, nisi in casibus à jure permissis, (scilicet in Synod. præcedenti.)

Cap. 62. *ex* Synod. Lingonens. *an.* 1455. Cùm sufficere debeat regulariter unam Missam in die dignè celebrare, valdeque sit felix qui hoc facere potest, renovantes Constitutionem Domini Ludovici de Barro nostri prædecessoris (*ann.* 1404.) inhibemus omnibus subditis nostris, ne aliquis eorum duas Missas celebrare in die præsumat, nisi in casibus à jure permissis latiùs in dicta Constitutione specificatis. *Id tamen voluerat* Concil. Carthag. III. *ann.* 397. *in can.* 29. *litt. præced. allegato.*

sextam, id est, circa meridiem; quia jejunium non nisi horâ diei nonâ solvebatur: tempore verò Quadragesimæ, post nonam diei horam, id est, horâ à meridie tertiâ; quia jejunium non nisi vesperè sole cadente solvebatur.

Cujus ritûs etiamnùm vestigium exstat apud nos in omnibus Ecclesiis in quibus celebratur Officium Canonicum. Agitur enim quotidiè Missa post officium Tertiæ; in vigiliis autem et quatuor temporibus, post officium Sextæ; per Quadragesimam verò, post officium Nonæ. Sed anticipatam illorum Officiorum horam fuisse jam suprà monuimus, ubi de jejunio Quadragesimæ sermo fuit. (2. *Part. Sect.* 4. *Cap.* 6. §. 2.)

Ad privatam autem sacrificii oblationem quod spectat, id unum olim sanctè fuit observatum, ut à Sacerdote jejuno fieret, nullâ habitâ horæ ratione. Jam id cautum est, ne ante diluculum vel post meridiem offeratur. In Diœcesi tamen Parisiensi licet diebus jejunii paulò post meridiem celebrare: qui ritus ad antiquitatem videtur propiùs accedere. Non licet Parocho horam Missæ parochiali cæterisque solemnibus Officiis præstitutam antevertere in gratiam virorum feminarumve nobilium, adeò ut vel antè vel post celebrentur; idque ne Toparchæ à Parochis exigant, regiis Sanctionibus cautum est. (1)

(1) *Edit de* CHARLES IX. *art.* 3. *Videsis infrà apud* D. BOCQUILLOT.

M. BOCQUILLOT, *Traité histor. de la Liturg. Liv.* 2. *Chap.* 6. Il n'y a point d'Evêque qui n'ait fait imprimer des Ordonnances pour son Diocèse, et qui n'y ait prescrit l'heure de la Messe et des Vêpres pour les Fêtes. Rien n'est plus raisonnable qu'une telle ordonnance.... C'est pour le bien public qu'elle est faite, afin que tout le monde puisse entendre la Messe autant qu'il est possible. Cependant on voit avec douleur qu'une ordonnance si judicieuse et si importante au public, n'est point du tout observée dans la plupart des Paroisses de la campagne; et que faute d'exactitude à l'observer, il n'y a guères de Dimanches et de Fêtes où il n'y ait des Paroissiens qui perdent la Messe pour être venus ou trop tôt ou trop tard. En quelques lieux, c'est par la faute des Seigneurs, qui se rendent maîtres des heures de l'Office, quand ils ont à faire à des Curés lâches, qui pour avoir leur table leur obéissent servilement en tout. En d'autres lieux, et même dans la plupart, la faute vient des Curés seuls... La source de cet abus de la part des Curés, c'est qu'il y a peu de jeunes Prêtres qui aient l'esprit assez bien fait et assez bien éclairé au sortir d'un Seminaire d'un an, pour croire qu'ils ne sont pas maîtres d'une Paroisse, dont ils viennent de prendre possession. Rien n'est plus commun parmi eux que ce mot, Le Curé est maître du dernier coup de la Messe et des autres Offices: et il est vrai que c'est à lui à faire sonner. Mais il est très-faux qu'il soit le maître de dire les jours de Fêtes sa Messe et ses Vêpres quand il lui plaît. Il ne peut sans péché changer l'heure de ses Offices, à moins qu'une vraie nécessité ne l'y oblige: et quand je dis l'heure de ses offices, j'entends, ou celle qui est marquée dans l'Ordonnance de l'Evêque, ou celle dont il sera convenu avec ses Paroissiens dans une assemblée publique: car il se peut faire que l'heure marquée par l'Ordonnance ne soit point convenable à certaines Paroisses, et qu'il soit nécessaire d'en choisir une autre. Mais en ce cas, ce choix se doit faire dans un assemblée publique, et de concert avec le Seigneur et les habitans.

La source de cet abus de la part des Seigneurs, c'est l'orgueil qui leur fait croire que tout leur est dû, la paresse et l'indolence des Dames qui se lèvent tard, et qui ne sont jamais prêtes pour l'heure de la Messe, et

§. 19. Quomodo interiùs affectos esse oporteat, et quâ sanctitate et morum integritate præditos, qui Missæ sacrificium offerunt.

I. Quæ debet esse Sacerdotis sanctitas, quæ interior affectio, ut sacrosanctum Sacrificium ritè offerat?

R. Ea debet ad id muneris esse in Sacerdote sanctitas et interior affectio, quæ deceat eum virum qui Christi ipsius vices et personam gerit in augustissimo Religionis actu; qui totius Ecclesiæ vota Deo commendaturus est; qui *Ex hominibus assumptus*, ut ait Apostolus (*Hebr.* V. 1.), *pro hominibus constituitur in iis quæ sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis.* Sanctos oportuit esse Sacerdotes in veteri lege, ut thymiamata ponerent in altari, panesque propositionis in mensa collocarent. *Sacerdotes*, inquit Moyses (*Levit.* XXI. 6.), *sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus: incensum enim Domini, et panes Dei sui offerunt, et ideò sancti erunt.* Quæ sanctitas ut expressiùs significaretur, nefas erat illis Sacerdotibus ingredi sanctuarium, nisi manus et (ut multi Interpretes aiunt) pedes lavissent priùs ad mare æneum, quod ideò positum erat in vestibulo sanctuarii. (*Exod.* XXX. 19. *et* 20.) Quæ debet ergo esse sanctitas in eo qui Christum ipsum (Sanctum utique Sanctorum) præsentem sistit in altari, et offert et mysticè immolat; et ad placandum Deum pro cæteris accedit, et ministerium exercet omni Angelorum ministerio excellentius et præstantius. Certè verendum non videtur ne hâc in re verbis exaggerando peccemus; quidquid dixerimus de sanctitate quæ ad tantum officium in Sacerdote requiritur, non accedet ad rei veritatem. Meminerint porrò ejus se Sacerdotis summi gerere vices, de quo ait Apostolus (*Hebr.* VII. 26.), *Talis decebat ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, et excelsior cœlis factus.* Sanctus Deus cui offerunt: sanctus Sacerdos cujus vice offerunt: sancta Ecclesia cujus nomine offerunt: sanctificandus populus pro quo offerunt: sint ergo sancti qui offerunt.

Quia tamen hoc ministerium quantumcunque est exerceri in terris nequit nisi per homines, mortales utique adeòque peccatores, certum est hanc in Sacerdotibus sanctitatem

enfin l'erreur où ils sont que le délai de l'Office est un droit seigneurial. Mais ils se trompent certainement: qu'ils lisent l'Edit de Charles IX. art. 3. et ils verront ces termes: *Défendons très-expressément aux Seigneurs temporels et autres personnes quelconques, de contraindre les Curés ou Vicaires, de changer ou différer les heures du service divin ordinaires et accoutumées.* Il n'y a guères de Seigneurs qui n'aient chez soi le traité des droits seigneuriaux par M. Maréchal: ils peuvent y lire dans le Chapitre huitième qu'il ne leur est pas permis d'avancer ni retarder le service. Cet auteur ne leur doit pas être suspect; car ils lui ont l'obligation d'avoir recueilli avec soin tous les droits seigneuriaux et les avoir appuyés sur beaucoup de preuves. Il est juste que les Curés rendent aux Seigneurs les honneurs qui leur sont dus, et qui ont été réglés tant de fois: mais il est manifestement injuste que les Seigneurs étendent ces honneurs au-delà des bornes prescrites.

non requiri ut sint ab omni prorsùs labe peccati venialis immunes, alioqui sacerdotium exerceri posset à nemine. Sed ut ritè sacrificium offerant, debent saltem, non solùm nullo teneri peccati lethalis reatu, sed etiam alieni esse et ab omni affectu culpæ venialis, et à mundi cupiditatibus, ambitione, superbia et inordinato sui ipsius amore: debent uni Christo adhærere ex intimo cordis affectu; Spiritu vivere, spiritu ambulare, non inanis gloriæ cupidi, non invicem provocantes, invicem invidentes (*Galat.* v. 25. *et* 26.): debent parvifacere terrena omnia, et solis inhiare cœlestibus: debent ad sacrificium accessuri, sic offerre se Deo Christum et cum per Christo, ut parati sint semper vitam pro Christo et Ecclesia profundere, atque ita exhibere semetipsos Deo hostiam sanctam, Deo placentem. (*Rom.* XII. 1.) Qui audent sacrificium accedere vel cum lethalis culpæ conscientia, vel cum eâ mentis evagatione, cum eâ festinatione quæ animum indicet à tantæ rei cogitatione alienum, et internis illis affectibus vacuum, bone Deus, quàm tremendum illi sibi ipsis judicium parant!

Maximè quidem exoptaret Ecclesia ut sine baptismali innocentia nemo ad Sacerdotium promoveretur, nemo ad Sacrificium offerendum accederet: sed quoniam jam pridem intellexit vix id in tanta morum corruptela fieri posse; id ægrè quidem, sed urgente necessitate jam tamen indulget, ut ad sacerdotium promoveantur qui amissam innocentiam recuperarunt, si modò et vera diuturnaque pœnitentia præcesserit, et anteacta vita non fuerit infamis et cum multorum offensione, et amissa innocentia majori pietate, majori alienæ salutis studio, excellentioribusque ad utilitatem Ecclesiæ dotibus et adjumentis compensetur.

Id saltem etiamnùm Ecclesia vehementer optat, ut qui post acceptum Sacerdotium gravioribus sceleribus inquinati sunt, illique potissimùm qui corpus suum deinceps impudicitiis commacularunt, ii sese ultrò ab altari sejungant, indignosque se existiment ministerii sacerdotalis, nec accedere audeant unquam ad sacrificium offerendum, nisi fortè cùm ipsis ob evidentem Ecclesiæ necessitatem utilitatemve dispensatum sit: quam quidem dispensationem ægrè semper, nec nisi cum magnà cautione concedendam esse censet Ecclesia. (A)

(A) *Vide testimonia ex SS. Patribus:* (GREG. NAZ. *Orat.* 1. JOAN. CHRYSOST. *Lib. de Sacerdot.* GREG. MAGN. *Pastor. curæ lib.* BERNARD. *lib. de consid. etc.*) *allata suprà hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 7. §. 3. *et* 11. *etc. Legetiam* JOAN. BONÆ S. R. E. Card. *Tract. asceticum de Sacrif. Missæ.* Card. TOLETI è Soc. Jesu *Institut. Sacerd. Diœcesis* RUPELLANÆ *collationes, etc. ubi hæc omnia fusiori stylo describuntur.*

JOAN. BONA S. R. E. Card. *in Tract. ascet. de Sacrif. Missæ cap.* 2. §. 1. Ad Deum igitur accessurus ut ipsius Dei unigenitum Filium incruentè sacrificet, cum timore et tremore tantum opus aggrediatur, probetque seipsum et præviis dispositionibus præparet ad uberrimos sacrificii fructus percipiendos. Sunt autem tres præcipuæ dispositiones quæ in Sacer-

§. 20. Qualiter affectos esse oporteat eos qui Missæ celebrationi intersunt. Quæ sit optima Missam audiendi ratio.

I. Quâ ratione affectos esse oportet qui intersunt sacrosancto Missæ sacrificio?

R. Illos necesse est habere fidem, fiduciam, reverentiam.

Fidem, quia solâ fide apprehenduntur et intelliguntur Mysteria hoc sacrosancto sacrificio comprehensa.

Fiduciam, quia, ut Apostoli verbis utar, accedendum est cum fiducia ad thronum gratiæ et misericordiæ (*Hebr.* IV. 6.): Nec est quidquam quo ad fiduciam magis excitari possit Christiana plebs, quàm si fide respiciatur Christus offerens semetipsum Patri hostiam pro nobis.

Reverentiam, nihil enim agi sanctius potest hoc sacrificio. In eo offert semetipsum Christus Deo Patri, offert et Ecclesia Christum Deo per manus Sacerdotis, offert se Ecclesia et quilibet Christianus hostiam Deo per Christum et in Christo, ut hâc oblatione placetur Deus, ut impetretur divina misericordia, ut agantur gratiæ pro acceptis beneficiis, ut summo Numini litetur. Quantâ reverentiâ res tantas peragi oporteat quis non intelligit?

I. Quinam peccant contra debitam tanto sacrificio reverentiam?

R. 1. Qui ipsâ suâ præsentiâ circumstantium oculos offendunt; nimirùm quia vultu imcomposito et inverecundo, statu corporis indecoro, collocutionibus præposteris, ornatu penè meretricio satis superque innuunt nullo se affici religionis sensu.

2. Qui cùm mortali crimine teneantur, sine ullo pœnitentiæ affectu, sine ullo contritionis ac emendationis studio sacrosancto Missæ sacrificio intersunt.

I. Cur ais contra debitam huic sacrificio reverentiam peccare qui cùm mortalis peccati reatu teneantur, Missam tamen frequentant sine ullo pœnitentiæ affectu?

R. Quia illi mendaces et hypocritæ. Nimirùm ore tenùs et exteriori habitu Deum videntur honorare, cor autem eorum longè est à Deo. (*Isaï.* XXIX. 13. *Matth.* XV. 8.) Si speciem spectes, Deum colunt, divinam misericordiam supplices petunt; reipsà Deum ne cogitant quidem: omni pœnitentiæ sensu destituti, abjecto penitùs contritionis affectu, certè provocant Deum ad iracundiam, nedùm ad misericordiam; Deum non placant, sed illudunt. (*Vide suprà hujusce Sect. Cap.* 1. §. 5. *hæc SS. Patrum auctoritate confirmata.*)

dote requiruntur: Puritas vitæ, rectitudo intentionis, et actualis devotio. Puritas vitæ in duobus consistit: primùm ut sit mundus ab omni peccato non solùm mortali sed etiam veniali deliberato, et scienter admisso, atque ab omni affectu erga ipsa peccata venialia. Levia siquidem peccata omninò vitare nequimus; at ipsorum affectum penitùs ex animo evellere et possumus et debemus, adeò ut nulli et voluntate et affectu inhæreamus. Alterum, ut conetur omni studio esse purus et sanctus, et ornatus omni virtute, etc.

I. Cur ergo præcipit Ecclesia etiam peccatores interesse sacrosancto Missæ sacrificio ?

R. Hoc præcepto monet Ecclesia peccatores ut Missæ intersint cum eo fidei, humilitatis et contritionis sensu quo eos affici par est.

Hinc *vetat* (Ecclesia) *sacrosanctum hoc sacrificium peragi, nisi priùs qui intersint, decenter composito corporis habitu, declaraverint, se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solùm corpore adesse.* Verba sunt Concilii Tridentini (*Sess.* 22. *Decreto de observ. et evitand. in celebratione Missæ*), quibus non obscurè innuitur quâ ratione interiùs affectos oporteat qui sacrificio intersunt. Certè qui nullo penitùs pœnitentiæ stimulo, nullâ cordis contritione vel levissimâ, nullo melioris vitæ desiderio ducuntur, illi non devoto cordis affectu, non mente, sed corpore solùm adsunt Missæ sacrificio. Cùm Ecclesia non judicet de occultis, non potest interiorem hunc affectum nisi ex habitu corporis æstimare.

I. Si quis peccati lethalis conscientiâ irretitus, nondùm experiatur interiorem pœnitentiæ sensum, sed illum habere exoptet, petatque à Deo spiritum compunctionis, peccatne contra debitam sacrificio reverentiam qui sic affectus adest Missæ sacrificio ?

R. Agit ille laudabiliter, nedùm peccet : nec dicendus est is omni pœnitentiæ affectu carere. Neque enim impœnitens est prorsùs, qui dolet se non affici interiore pœnitentiæ sensu, qui petit à Domino spiritum compunctionis. Qui ergo nondùm experiuntur illum doloris sensum, in quo pœnitentiam positam esse jam diximus, doleant saltem de cordis sui duritia, postulent à Deo cor carneum, et sic affecti accedant ad sacrosanctum sacrificium, cujus virtute hoc impetrare à Deo possint. Hæc Ecclesiæ mens est : is scopus, dùm peccatores occultos omnes vocat ad sacrificium non secùs ac justos, interposito præcepto.

I. Quo corporis habitu interesse oportet sacrosancto Missæ sacrificio ?

R. Si Missa agatur sine cantu, maximè decet eam audiri flexis genibus, nec assurgere populum nisi ad utriusque Evangelii lectionem. Si solemniter et cum cantu celebretur, quem tenet chorus corporis statum, hunc decet maximè et ab abstantibus fidelibus teneri, stare cùm chorus stat, sedere cùm sedet. Si tamen laïci flectant genua dum Canon Missæ peragitur, licèt stet Clerus, laudabile est. Certè sedere non debent, nisi urgeat corporis infirmitas, dum Canon Missæ recitatur, usque dum communio peracta sit.

I. Quâ mente interesse oportet sacrosancto Missæ sacrificio ?

R. Eâdem mente quâ offertur ab Ecclesia. Est enim Missa, ut jam diximus, (§. 9. *hujusce Cap.*) sacrificium pro salute populi Christiani oblatum : illud offert Sacerdos, offert et

suo modo populus Sacerdoti se adjungens ; eadem ergo debet esse mens utriusque.

Diximus autem offerri sacrificium ab Ecclesia, (§. 10. *hujusce Cap.*)

1° Ut colatur Deus ceu supremum Numen.

2° Ut significetur gratus animus pro beneficiis acceptis.

3° Ut obtineatur peccatorum remissio.

4° Ut postuletur quidquid necessarium est tam vivis quàm defunctis.

Et id quidem agit Ecclesia tùm militans, tùm triumphans, per Christum et cum Christo et in Christo. Hoc ipsum et quisque Christianus agere debet dùm sacrificio interest.

I. Quæ preces adhibendæ sunt ab iis qui sacrificio intersunt ?

R. Si modò quis intersit sacrificio cum reverentia, cum fide ; si id in mente habeat, ut sacrificium offerat per manus Sacerdotis ad mentem Ecclesiæ, postuletque in genere quidquid Sacerdos in sacrificio postulat, ejusque se jungat actioni et precibus, rectè agit, nec preces inutiles fundit, quæcunque tandem illæ sint, etiamsi preces intereà privatim adhibeat, quæ parum habere videantur cum sacrificio connexionis.

Hæc tamen est optima audiendæ Missæ ratio, si quis non in genere solùm sed in specie animo jungat se singulis Sacerdotis sacrificantis actionibus et precibus, si cum Sacerdote precante precetur, si cum offerente offerat, cum laudante laudet, si lectiones legat aut auscultet, si ritus omnes mente percipiat et assequatur. Eà ratione magis ad mentem Ecclesiæ sacrificium offerentis acceditur ; singulæ quippè preces, singuli ritus sacrificii populum suo modo spectant ut Sacerdotem. Facit primò populus confessionem peccatorum cum Sacerdote ; canit populus Introïtum ; canit *Kyrie ;* canit Hymnum *Gloria in excelsis*, Graduale, Symbolum, Offertorium, *Sanctus*, Communionem ; respondet populus *Amen* ad singulas Sacerdotis preces, quà voce significat attentum habuisse animum ad illas orationes : audit lectionem Epistolæ, audit Evangelium, et quidem stans, ut major significetur attentio et reverentia sacrosanctis Evangelii verbis. In ipsa Sacrificii actione preces omnes ita institutæ sunt, ut nihil ferè agat, nihil dicat Sacerdos quos simul populus suo modo agere et dicere non censeatur, ut patebit explicatiùs ex infrà dicendis. Non videntur itaque satis assequi mentem Ecclesiæ, qui cùm facilè id possint, se non jungunt singulis Sacrificantis actionibus et precibus, solà generali cum Sacerdote conjunctione contenti, quæ satis est rudi et ineruditæ plebi.

Nec tamen propterea putes peccare eos qui preces singulas Sacerdotis sacrificantis mente non assequuntur : sufficit fateor generalis illa cum Sacerdote connexio. Hoc unum

aio, perfectiorem esse, et Ecclesiæ menti magis consentaneam posteriorem audiendæ Missæ rationem. Idque demonstrabitur efficaciùs in singularum precum, singulorum rituum explicatione. (*A*)

§. 21. De Ordine Missæ in genere.

I. Quot constat Missa partibus ?

R. Duabus. Prima (quæ dicebatur olim *Missa catechumenorum* , quia fas erat catechumenis huic interesse ,) ea complectitur omnia quæ dicuntur ab initio usque ad recitationem Symboli. (A) Altera pars (quæ dicebatur olim *Missa Fidelium*, quia solis fidelibus licebat huic interesse , (cætera complectitur à Symboli recitatione usque ad finem ; hoc est , præparationem Sacrificii , Sacrificium ipsum , et gratiarum actionem peracto Sacrificio.

I. Solisne fas erat olim catechumenis interesse Missæ quæ catechumenorum dicebatur ?

R. Non solùm catechumenis sed et pœnitentibus , et excommunicatis , et energumenis , quin et ipsis infidelibus patebat aditus ad priorem hanc Missæ partem , idque ut possent audire verbum Dei , quod à Sacerdotibus intra Missarum solemnia tractabatur. Ideoque in publicis precibus Missæ catechumenorum , nunquam fiebat olim mentio Sacrificii , quia nefas erat de illo agere coram iis qui non essent sacris mysteriis initiati. Sed peractâ concione , catechu-

(*A*) *Id fusiùs probat pius et doctus Auctor libri Gallicè scripti, de optima audiendæ Missæ ratione*, De la meilleure manière d'entendre la Messe *par* M. LE TOURNEUX. *Idem planè sentit* Domn. JOAN MABILLON *Traité des études monastiques Part.* 2. *chap.* 12. Les Prêtres doivent prendre garde surtout de bien prononcer lorsqu'ils célèbrent l'auguste sacrifice de la Messe. Ils doivent parler non-seulement distinctement, mais avec gravité, et proportionner le ton de la voix, en sorte qu'ils se puissent faire entendre des assistans, au moins de ceux qui sont plus proches. C'est un sacrifice public, offert par tous les fidèles conjointement avec le Prêtre : on doit entendre ce qu'il dit, pour s'unir à lui et pour le suivre. On y loue Dieu, et on le prie ; on y fait la lecture de l'Epître et de l'Evangile, pour disposer les assistans à ce redoutable mystère. Il faut donc lire d'une manière intelligible, en sorte que les assistans puissent entendre ce que dit le Prêtre, et en profiter. Cependant combien y en a-t-il qui le fassent, je ne dis pas avec la gravité et dignité convenable, mais avec quelque décence ? On précipite, on mange les mots, on bredouille souvent d'une telle manière, qu'on ne s'entend pas soi-même. Enfin cette manière indécente se tourne tellement en habitude, qu'on ne peut plus s'en corriger. On dira ce que l'on voudra : mais pour moi, j'ai bien de la peine à me persuader, qu'un Prêtre ait dans le cœur le respect qui est dû à Dieu, lorsqu'il lui parle d'une manière qui ne serait pas supportable en parlant à un honnête homme. Ce n'est pas là honorer Dieu, mais c'est déshonorer son ministère, et scandaliser les assistans au lieu de les édifier. On en pourrait dire autant de la récitation du Bréviaire.

(A) S. AMBROS. *Epistol. class.* 1. *Epist.* 20. *aliàs* 14. *aut* 33. *n.* 4. Sequenti die, erat autem Dominica, post lectiones atque tractatum, dimissis Catechumenis, Symbolum aliquibus competentibus in baptisteriis tradebam Basilicæ.

CONSTIT. APOST. *Lib.* 8. *Cap.* 8 *et* 9. *Vide suprà* §. 14. *hujusce Cap. litt.* (B) S. AUG. *Serm.* 49. *aliàs* 237. *de temp. n.* 8. Post sermonem fit Missa Catechumenis, manebunt fideles.

meni, energumeni, si qui fortè aderant, excommunicati infidèles, pœnitentes secundi et tertii ordinis solemniter dimittebantur per Diaconum his verbis : *Si quis est Catechumenus, exeat foràs. Si quis non communicat, det locum. Sancta sanctis. Foris canes.* His verbis alludebat tùm ad verba Christi : *Nolite dare sanctum canibus* (*Matth.* VII. 6.), tùm ad verba hæc Apocalypseos : *Foris canes, et venefici, et impudici, et homicidæ, et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium.* (*Apocal.* XXII. 15.) His egressis, fideles soli remanebant usque ad finem sacrificii. (B)

(B) M. Bocquillot, *Traité histor. de la Liturg. liv.* 1. *chap.* 1. *pag.* 16. Il est évident que le mot de Messe dont nous nous servons en France, vient du mot latin *Missa*, et que *Missa* vient du verbe latin *mittere*, qui signifie envoyer, congédier. L'on a fait *Missa* pour dire renvoi ou congé, comme on a fait *remissa* du verbe composé *remittere*, pour signifier la remise d'une dette.... Aussi se trouve-t-il communément en ce sens dans nos anciens auteurs ecclésiastiques. *Post sermonem*, dit saint Augustin, *fit Missa Catechumenis, manebunt fideles*, (*Aug. serm.* 49. *n.* 8.) après le Sermon on renvoie les catéchumènes, les fidèles demeureront encore ici. Le quatrième concile de Carthage s'exprime de même, pour dire qu'il sera permis à toutes sortes de personnes, même aux infidèles, de demeurer dans l'Eglise jusqu'à ce qu'on renvoie les catéchumènes, il dit, *usque ad Missam Catechumenorum.* (*Conc. Carthag.* IV. *Can.* 84.) Rapporte plus de preuves pour un fait si constant, ce serait abuser des Lecteurs. Voilà donc assurément le premier usage que l'Eglise a fait de ce nom *Missa;* ça été pour exprimer le renvoi des catéchumènes, etc. Et c'est de là qu'il est passé au sacrifice. Aussi est-ce le sentiment de saint Avite de Vienne, (*Avit. Ep.* 1. *ad Gondob. etc.*) de saint Isidore, Raban, Florus, Remy d'Auxerre, etc. dont je rapporterais les paroles, si ce sentiment n'était à présent suivi par les plus habiles gens de notre siècle comme le meilleur.

Peut-être que quelqu'un s'étonnera qu'un si grand mystère ait été ainsi nommé, à cause de l'une de ses moindres parties : mais son étonnement cessera dès qu'il aura fait attention à la solennité avec laquelle on renvoyait les catéchumènes. Aussitôt que les saintes lectures et l'instruction étaient finies, un Diacre congédiait d'un lieu élevé et à voix haute, premièrement les hérétiques, les infidèles et les écoutans : secondement l'Evêque venait dans la nef faire des prières sur les catéchumènes, que le Diacre congédiait ensuite. L'on faisait successivement la même chose aux énergumènes ou possédés, aux compléens, et aux pénitens prosternés en terre ; et ils sortaient après que l'Evêque leur avait imposé les mains, et prié pour eux. Quoi de plus éclatant que ces proclamations du Diacre, et de plus capable de frapper les sens et l'imagination des fidèles ? Il n'y a donc pas lieu de s'étonner qu'ils aient donné au sacrifice le nom de *Missa*, Messe, qu'on donnait depuis long-temps à ces proclamations du Diacre pour renvoyer les Catéchumènes. On dénonçait aussi publiquement le congé aux fidèles à la fin des saints Mystères : *Post transacta sacrificia*, dit Tertullien, *dimissâ plebe.* Peut-être même le donnait-on déjà dans les termes qui nous restent encore, *Ite, Missa est*, allez, on vous donne congé. En ce cas cette expression aura aussi contribué à faire donner le nom de Messe au Sacrifice. Il se peut faire néanmoins que le renvoi des catéchumènes étant accompagné de prières, d'impositions de mains, et par conséquent le plus solennel, ait d'abord donné son nom à tout le commencement de la Messe ; et que de là par opposition à cette Messe des catéchumènes, on soit venu à nommer Messe des fidèles, l'autre partie de la Liturgie où les seuls fidèles pouvaient se trouver.

Mais de quelque manière que cela soit arrivé, il est certain que l'on a appelé tout le commencement de la Liturgie, où les catéchumènes étaient admis, la Messe des catéchumènes ; et que l'on a nommé Messe des fidèles le reste de la Liturgie, où les seuls fidèles avaient droit d'assister. Voici une preuve de cette distinction. La plupart des fidèles de l'Eglise

I. Quibus rebus constat Missa catechumenorum ?

R. Confessione, Introïtu, quem sequitur oratio, *Kyrie eleison*, cantico *Gloria in excelsis*, Collectâ, Epistolâ, Graduali, et Evangelio. His omnibus præit in diebus Dominicis Benedictio et aspersio aquæ, et Processio. Et in Ecclesiis parochialibus post Evangelium fiunt denuntiationes, et explicatur à Sacerdote doctrinâ Evangelica, quod Pronaum dicitur.

I. Quibus rebus constat Missa fidelium ?

R. Recitatione Symboli, Offertorio, Lotione manuum, orationibus quæ Secretæ dicuntur, Præfatione quam sequitur *Sanctus*, Canone qui multas complectitur preces, quarum aliæ præcedunt, aliæ sequuntur consecrationem, oratione Dominicâ, oratione *Libera nos*, fractione Hostiæ quam sequitur *Agnus Dei*, pacis osculo, Communione, et gratiarum actione post communionem.

Preces illæ multos adjunctos habent ritus eximios et antiquos, quorum aliqui in Missis singulis etiam privatis usurpantur, alii in Missis solemnibus duntaxat. Singulos trademus et explicabimus.

I. Estne apud Græcos idem ordo Missæ qui apud Latinos ?

R. Idem est in rebus quæ ad sacrificii substantiam pertinent. In rebus quæ non pertinent ad sacrificii substantiam

d'Arles, au lieu d'assister aux divins Mystères jusqu'à la fin, prenaient occasion du renvoi des catéchumènes de sortir de l'Eglise en même temps qu'eux ou peu après. Saint Césaire pour les arrêter, leur disait : « Si vous » faites attention à ce qui se passe dans nos assemblées, vous jugerez bien » qu'on ne célèbre pas encore la Messe, quand on fait les saintes lectu- » res; mais quand on offre les dons, et que l'on consacre le corps et le » sang de notre Seigneur. Vous pouvez lire ou entendre lire dans vos mai- » sons les Prophètes, les Apôtres, et l'Evangile, aussi bien qu'à l'Eglise; » mais vous ne pouvez assister à la consécration du corps et du sang du » Seigneur ailleurs que dans la maison de Dieu. Pour entendre la Messe » entière avec fruit, il faut demeurer à l'Eglise le corps humilié, et le » cœur contrit, jusqu'à ce qu'on ait dit l'Oraison Dominicale, et donné » la bénédiction au peuple. »

Nous voyons clairement dans ce passage ce qu'on appelle Messe de catéchumènes et Messe des fidèles; et quoique saint Césaire ne donne le nom de Messe qu'à la seconde partie de la Liturgie, où les fidèles doivent assister, Il ne laisse pas de marquer en quoi consistait la première, où les catéchumènes étaient admis; savoir, dans les leçons des Prophètes, des Apôtres, de l'Evangile, et dans l'instruction qui suivait ces lectures. Que s'il ne lui donne pas le nom de Messe, c'est évidemment pour ne pas donner lieu à l'abus qu'il reprend. Apparemment que le peuple accoutumé à entendre appeler Messe cette première partie de la Liturgie, s'était mis dans la tête que cette Messe suffisait pour ceux qui ne voulaient pas communier. Il était donc à propos que ce saint Evêque ne donnât point le nom de Messe aux lectures et aux instructions qu'ils écoutaient, et qu'au contraire il insistât, comme il fait, sur la Messe des fidèles, qui commence à l'Offrande, et finit à la bénédiction qu'on donnait au peuple : afin de les porter à assister aux saints Mystères qu'ils négligeaient si lâchement.

DD. Benignus Bossuet Meldensium Episcopus *eadem ediderat in libro quem inscripsit*, Explication de quelques difficultés sur les prières de la Messe : *Enucleatio nonnullarum difficultatum circa orationes Missæ, etc. quem videsis suprà hujusce Cap. §. 8. litt.* (C)

varius est ; verbi gratiâ, non eadem est orationum series, non eadem leguntur ad populi eruditionem, non eadem verba sunt quibus preces constant, quanquam et isthæc omnia ad eumdem apud Græcos et apud Latinos finem referantur. Apud eos sicut apud Latinos est lectio ex veteri seu ex novo Testamento, Evangelii lectio et explicatio, Offertorium, Consecratio, fractio Hostiæ, recitatio Symboli, et orationis Dominicæ, oratio tàm pro vivis quàm pro defunctis, Sanctorum memoria et invocatio, Communio, gratiarum actio post communionem, aliaque multa quibus demonstratur Græcam Ecclesiam cum Latina mirè convenire. Sunt etiam apud Græcos vestes sacræ, ritus varii et multiplices : de quibus omnibus dicemus infrà fusiùs. (§. *seq.*)

I. Preces Liturgicæ quibus nunc utitur Ecclesia, suntne aliæ ab iis quibus olim utebatur ?

R. Eædem ferè sunt quibus nunc utitur, et quibus olim jam à primis seculis utebatur. Id constat ex sanctis Patribus antiquioribus, qui dùm preces Liturgicas sui temporis referunt et explicant, easdem ferè adhibent quibus nunc utimur. (C) Sancti Basilius et Chrysostomus, ut fatentur omnes

(C) Justinus *Apol.* 2. *pro Christian. n.* 85. *Vide superiùs* 2. 14. *hujusce Cap. litt.* (A)

Constit. Apostol. *lib.* 2. *cap.* 57. Tu verò Episcope.... cùm.... Ecclesiam Dei congregaveris, velut magnæ navis gubernator, cum omni prudentia et disciplina jube fieri conventus, præcipiens Diaconis sicut nautis, ut loca fratribus, quasi vectoribus, adhibità omni curâ et decentiâ, disponant. Ac primò quidem ædes sit oblonga, ad Orientem versa, ex utraque parte pastophoria versùs Orientem habens, et quæ navi sit similis. In medio autem situm sit Episcopi solium, et utrimque sedeat Presbyterium, et adsint Diaconi expediti ac leviter induti ; assimilantur enim nautis, ac iis qui lateribus navis præsunt. Eorum curâ ad alteram Ecclesiæ partem laïci omninò quietè et ordinatim sedeant ; mulieres quoque separatim et ipsæ sedeant, à sermone abstineant. Medius autem Lector in quodam loco excelso stans legat libros Moysis, et Jesu filii Nave, et Judicum, et Regnorum, item Paralipomenon, et quæ de populi reditu conscripta sunt ; ad hæc Jobi et Salomonis volumina, simulque sexdecim Prophetarum. Peractisque per binos lectionibus, quidam alius Davidis hymnos psallat, et populus extrema versuum succinat. Dein Acta nostra recitentur, et Epistolæ Pauli adjutoris nostri, quas sancti Spiritûs ductu ad Ecclesias misit. Posteà Diaconus aut Presbyter legat Evangelia, quæ ego Matthæus et Joannes vobis tradidimus, et quæ adjutores Pauli Lucas et Marcus accepta reliquerunt vobis. Cùmque recitabitur Evangelium, omnes Presbyteri ac Diaconi, universusque populus magno cum silentio stent.... Post hæc Presbyteri exhortentur populum, singuli nimirùm, non autem omnes ; et cunctorum postremus Episcopus, qui similis est rectori navis. At Ostiarii stent ad virorum introïtus quos custodiant. Diaconissæ verò ad mulierum, instar eorum qui naulum à vectoribus exigunt.... Quòd si quis extra locum suum sedens reperiatur, increpetur à Diacono, qui vice Prorelæ fungitur, et ad locum convenientem traducatur. Ecclesia enim non solùm navi, sed etiam caulæ comparatur. Nam sicut pastores singulas pecudes, capras dico et oves, secundùm genus et ætatem collocant, atque inter eas similis simili concurrit : sic et in Ecclesia, juniores quidem seorsùm sedeant, modò sit locus, alioquin arrecti stent ; ætate verò jam provecti ordine sedeant ; ac stantes pueros recipiant eorum patres et matres ; rursùs adolescentulæ separatim maneant, si locus fuerit ; secùs, ponè mulieres statuantur ; quæ jam nup-

eruditi, ordinarunt Liturgiam sacram, quæ paucis additis in usu est etiamnùm apud Orientales, ut taceam Liturgias vetustiores, quæ ipsis tribuuntur Apostolis, quas constat saltem esse antiquissimas, licèt liquidè non constet qui earum auctor sit. Olim Ecclesia Gallicana suam habebat Liturgiam non multùm discrepantem, quantùm ad ritus et precum ordinem, à Liturgiis Orientalibus : undè innuitur eam introductam fuisse a primis Galliarum Episcopis, quorum multi fuêre origine Græci. Missa Mozarabica, quæ viget etiamnùm in una ex capellis Ecclesiæ Metropolitanæ Toletanæ non multùm differt à veteri Liturgia Gallicana. Liturgia Romana, quâ nunc utimur per totum Occidentem, non introducta est in Gallias ante tempora Pippini, ejusque filii Caroli Magni. Hujus Liturgiæ ritus antiquissimus. Id patet ex libro Sacramentorum sancti Gregorii Magni. Gregorius ipse Liturgiam hanc non introduxerat, sed dectractis multis precibus et ritibus, eam contraxerat quæ fuerat à Gelasio primo ordinata. Quin nec Gelasius edidit primus Liturgiam, quæ ejus nomine vulgata est à viro doctissimo Thomasio, cujus Liturgia Gregoriana compendium est ; sed acceptam à majoribus in novum ordinem redegit. Adeoque Liturgiam quâ nunc utimur, primæ et remotissimæ antiquitatis esse constat. Nec minoris antiquitatis est Liturgia Ambrosiana,

serunt, et liberos quibus imperent habent, privatim etiam locentur ; at virgines et viduæ et anus primæ omnium stent, aut sedeant. Diaconus etiam locis provideat, ut ingredientium quisque locum suum petat, et nemo in introïtu resideat. Similiter Diaconus inspiciat populum, ut nemo susurret, aut dormitet, aut rideat, aut nutus faciat. Oportet enim in Ecclesia sapienter, sobriè, ac vigilanter stare, auribus ad verbum Domini intentis. Deindè cuncti pariter surgentes, et Orientem contemplantes, egressis Catechumenis et pœnitentibus orent Deum, *qui ascendit super cœlum cœli, idque ad Orientem....* Atque Diaconi post orationem, alii quidem oblationi vacent, Eucharistiæ, corpori Domini cum timore ministrantes ; alii turbam circumspectent, eique silentia faciant. Qui autem Pontifici assistit Diaconus, plebi dicat : *Ne quis contra aliquem : ne quis in hypocrisi.* His transactis mutuò se salutent viri, mutuò se mulieres osculo in Domino : nemo tamen dolosè id agat, quemadmodùm Judas Dominum osculo tradidit. Et post hoc precetur Diaconus pro universa Ecclesia, pro toto mundo et ejus partibus, et frugibus terræ, pro Sacerdotibus, et Principibus, pro Pontifice ac Rege, pro pace universali. Deindè Episcopus pacem populo precatus benedicat ei ; sicut et Moses Sacerdotibus præcepit ut populo his verbis benedicerent : (*Num.* VI. 24. *et seq.*) *Benedicat tibi Dominus et custodiat te, et ostendat tibi Dominus faciem suam super te, et det tibi pacem.* Precetur ergo Episcopus, et dicat, *Salvum fac populum tuum. Domine, et benedic hæreditati tuæ ; quam acquisivisti ac possedisti pretioso sanguine Christi tui, et appellasti regale Sacerdotium et gentem sanctam.* Post illa sacrificium fiat, stante omni populo et tacitè precante ; cùmque oblatum fuerit, unusquisque ordo seorsùm Dominicum corpus ac pretiosum sanguinem sumat, accedentes ordinatè ac cum reverentiâ ac timore, utpotè ad corpus Regis : mulieres etiam velato capite, uti feminarum ordinem decet, accedant. Portæ autem custodiantur, ne quis infidelis, aut nondùm Baptismo initiatus ingrediatur.

Lib. 8. *cap.* 5. *et sequent. usque ad cap.* 16. *Vide superiùs* §. 14. *hujusce Cap. litt.* (B)

S. CYRIL. HIEROSOLYM. *Catech. mystagog.* 5. *eadem ferè habet, uti videre est* §. *seq. variis in locis.*

quæ Mediolani viget etiamnùm. Hac sanctum Ambrosium usum esse non sine fundamento asseritur, quæ quidem in multis differt à Liturgia Romana, in multis cum ea convenit. Quod autem non iidem fuerint olim ritus Ecclesiæ Romanæ et Ecclesiæ Mediolanensis testis est ipse sanctus Augustinus. (*S. August. Ep.* 36. *aliàs* 86. *ad Casul. cap.* 13. *n.* 31. *et* 32. *et Epist.* 54. *aliàs* 118. *ad Januar. cap.* 2. *n.* 3.) (D)

§. 22. Explicantur ad litteram Missæ preces et Ritus. Quid facto opus sit ut in iis mens Ecclesiæ teneatur.

N° I. *Missa Catechumenorum. Psalmus* Judica.

I. Cur ante Missam diebus Dominicis fit benedictio et Aspersio aquæ, ac deindè Processio, quæ fit etiam diebus solemnioribus?

R. De iis ritibus agemus infrà (§. 10. *Cap.* 8. *et Cap.* 9. *hujusce Sect.*), ubi de Benedictionibus, et de supplicationibus quæ Processiones dicuntur.

I. Cur fit initio Missæ signum crucis cum expressa invocatione sanctissimæ Trinitatis, his verbis : † *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti?*

R. Quia in nomine sanctissimæ Trinitatis congregamur ad celebrandam memoriam Christi Passionis. (A)

I. Cur recitat Sacerdos cum Ministris in infimo altaris gradu Psalmum XLII. *Judica me Deus, etc.?*

R. Ut Sacerdos et populus sese mutuò excitent ad accedendum cum lætitia et fiducia ad altare Dei, in quo Sacrificium offerendum est.

Hunc Psalmum David cecinit cùm fugiens à facie Saülis, et exul è patria ut declinaret Regis furorem, consolabatur seipsum hâc spe fretus quòd reversurus esset tandem in urbem Jerusalem, et introïturus ad altare Dei ad offerenda sacrificia. Hoc ipsum Christianis apprimè convenire palam est. Exules enim à patria cœlesti mœrorem exilii nostri levare debemus spe patriæ tandem repetendæ. Altare Dei in cœlis est, ut habetur in Apocalypsi. (*Apoc.* VI. 9. VIII. 3. 5. IX. 13. *etc.*) Hujus typus est, ut diximus (*hujusce Cap.* §. 16.), altare Eucharisticum : ad hoc accedere debemus cum fiducia et spirituali lætitia.

(D) *Circa ea quæ hoc §. dicta sunt plura apud piissimos doctissimosque Scriptores habentur; præsertim verò apud* D. JOAN. BONA S. R. E. Card. *in exquisitis ejus libris* de rebus Liturgicis; *Apud.* D. JOAN. MABILLON *in doctissimo suo Comment. in ordinem Romanum*, Musæi Italici *Tom.* 2. *et in eximio illius opere* de Liturgia Gallicana; *In libro de antiquis Liturgiis, Gallicè*, le livre des anciennes Liturgies, *qui prostat Parisiis apud* Nully; *In Tractatu historico de Liturgia et rebus Liturgicis* D. BOCQUILLOT, *apud* Anisson *in* 8° *Gallicè* : Traité historique de la Liturgie, *quem sæpius in superioribus* §. *laudavimus.*

(A) *Hæc et alia multa, ad illustranda mysteria et cæremonias Missæ, in decursu hujus Capitis mutuati sumus ex Libro Gallicè scripto, et Parisiis apud J. B. Coignard typis mandato cum hac inscriptione : Idæa Sacerdotii et Sacrificii D. N. J. C.* Idée du Sacerdoce et du Sacrifice de J. C. *Quem Lector adire poterit.*

Juvat ipsa Psalmi verba subjicere, quibus hæc omnia luculenter exprimuntur.

Recitat primùm Sacerdos cum Ministris antiphonam ex eo Psalmo desumptam.

S. *Introibo ad altare Dei.*

M. *Ad Deum qui lætificat juventutem meam.* (*v.* 4.)

Tùm Psalmum ipsum alternis versibus Sacerdos et Ministri recitant.

S. *Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo et doloso erue me.* (*v.* 1.)

M. *Quia tu es Deus fortitudo mea : quare me repulisti ? et quare tristis incedo, dùm affligit me inimicus ?* (*v.* 2.)

S. *Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* (*v.* 3.)

M. *Et introïbo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam.* (*v.* 4.)

S. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ?* (*v.* 5.)

M. *Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultûs mei et Deus meus.* (*v.* 6.)

S. *Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.*

M. *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum. Amen.*

Tùm repetitur Antiphona ut suprà ante Psalmum.

I. Cur Sacerdos recitat hunc Psalmum alternatim cum Ministris ?

R. Quia populi adstantis est, non secùs ac Sacerdotis, accedere cum fiducia et lætitia ad altare Dei, offerendum Deo sacrificium per manus Sacerdotis. Ideòque ea est Ecclesiæ mens, ut adstantes hunc Psalmum secretò recitent cum Sacerdote.

I. Cur Sacerdos recitat hunc Psalmum in infimo altaris gradu ?

R. Quia Psalmus hic est velut præparatio ad accessum altaris.

I. Cur prætermittitur hic Psalmus in Missis pro defunctis, et toto tempore Passionis ?

R. Quidam existimant ideò illis diebus non recitari Psalmum hunc, quia tempore Passionis, et in Missis pro defunctis abstinet Ecclesia ab omni lætitiæ significatione. At Psalmum hunc ad spiritalis lætitiæ significationem recitari mox diximus. (*Hocce* §.)

Sed verisimiliùs asseritur hoc ritu vestigium antiquitatis retineri, ut retinentur alia multa illis diebus.

Quod ut intelligatur, adverte apud Carthusianos, Dominicanos, Carmelitas, sicut et aliis quibusdam in Ecclesiis, nunquam hunc Psalmum recitari ad altare : sed ejus loco recitari versiculos ex Psalmis aliis desumptos : idque ex ritu

veteri in Liturgia Romana omnibusque ferè in Ecclesiis olim observato. Addita subindè est hujus Psalmi recitatio, vel ad præparationem Sacerdotis in sacrario, vel ut à Sacerdote ad altare procedente recitaretur. Tandem ut ad altare recitaretur usus invaluit. Sed veterem ritum multæ Galliarum Ecclesiæ dudùm retinuêre, et quædam retinent etiamnùm. (B) In Ecclesia Laudunensi diebus solemnibus recitatur hic Psalmus in ipso chori ingressu. (C)

N° II. *Confessio. Subjectæ Preces usque ad Introïtum.*

I. Cur post recitationem Psalmi XLII. Sacerdos et Ministri recitant formulam confessionis peccatorum ?

R. Ut hâc generali confessione purgentur vel à levissimis peccatorum maculis, sicque puriores et alacriores accedant ad sanctum altare.

I. Quæ est illa confessionis formula ?

R. Varia illa fuit olim et est etiamnùm variis in Ecclesiis. Duas solùm subjiciemus, alteram usitatiorem, quâ nunc utitur Ecclesia Romana ; alteram, quam retinet etiamnùm Ecclesia Narbonensis ex veteri ritu.

In Ecclesia Romana post recitatum hunc versiculum Psalmi CXXIII. à Sacerdote :

Adjutorium nostrum in nomine Domini ;

Cui respondent Ministri,

Qui fecit cœlum et terram. (*v.* 8.)

Sacerdos in hunc modum peccata sua confitetur :

Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini,

(B) *In antiquo Missali Parisiensi jussu* PETRI DE GONDY, *et in Missali ab* HENRICO DE GONDY *ejus successore in publicam lucem emisso, Sacerdos statim atque induit se casulâ dicit :* Introibo ad altare Dei, etc. *et Ps.* XLII. Judica me, *solus recitat, scilicet è sacrario ad altare procedens.*

(C) *Ritus* ECCLES. LAUDUN. *redivivi, part 3. cap. 12. n. 8.* Pervenientes, (*è Sacristia*) ante ostium Presbyterii firmant se capitibus detectis in modum coronæ, seu choreolæ : ibi Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum dicit *Introïtum* et *Kyrie eleison* summissâ voce, ex Missali per Diaconum, et Subdiaconum sibi ministrato : quibus dictis, stant omnes ibidem dùm à choro cantatur Introïtus Missæ, donec à Præcentore dicatur, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto ;* tunc enim ascendunt omnes Presbyterium ordine præfato, et procedunt ad altare, cui factâ per eos ante infimum gradum profundâ inclinatione, salutatoque choro, Celebrans stans ibidem, medius inter ministros....

N. 9. Dicit intelligibili voce, *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti. Amen....* Facto ut suprà crucis signo.... pronuntiat eadem voce versum, *Dignare Domine die isto*, Ministris respondentibus, *sine peccato nos custodire.* Deindè Celebrans eodem modo stans dicit : *Confitemini Domino quoniam bonus.* Resp. *Quoniam in seculum misericordia ejus.* Deindè profundè inclinans junctis manibus dicit, *Confiteor ;* et prosequitur eodem modo, stans inclinatus, donec à Ministris dictum sit *Misereatur, etc.*

In observat. pag. 359. *col.* 1. Ritus Ambrosianus etiamnùm hodiè Psalmum hunc (*Judica*) initio Missæ nequaquàm admittit.... Missale verò Ambrosianum dicto solo versu *Introibo ad altare Dei*, præscribit ritum peragendæ confessionis, ut in nostra Laudunensi Ecclesia, in qua Celebraturus, dicto versu *Confitemini Domino quoniam bonus*, publicâ confessione se purgat ab omni labe peccati, ut majori cum puritate ad sacrosancta mereatur accedere mysteria.

beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, (et vobis fratres,) quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: Meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideò precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, (et vos fratres,) orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

In Ecclesia Narbonensi Sacerdos in hunc modum peccata sua confitetur :

Confiteor Deo omnipotenti, et beatæ Mariæ semper virgini, et omnibus Sanctis ejus, me graviter peccasse in lege Dei mei, cogitatione, verbo, opere et omissione, meâ culpâ, meâ gravissimâ culpâ. Nec quidquam ampliùs subjicit. Sunt et variæ confessionis formulæ, quæ proximè ad præcedentes accedunt. (A)

Factâ confessione, Ministri recitant in Ecclesia Romana quod sequitur :

Misereatur tui (vestri) omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis (vestris) perducat te (vos) in vitam æternam.

Respondet Sacerdos, *Amen.*

Tùm Ministri recitant confessionem ut suprà, et pro his verbis (*et vobis fratres*, et *vos fratres*) dicunt (*tibi Pater*, et *te Pater.*)

Factâ à Ministris confessione, Sacerdos orat pro populo hac verborum formulâ, *Misereatur vestri*, etc. ut suprà, ac deindè tam sibi quàm populo precatur divinam indulgentiam, his verbis :

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. ℟. *Amen.*

(A) Ordinar. Carthus. *cap.* 25. *n.* 13.

S. Pone Domine custodiam ori meo :

C. Et ostium circumstantiæ labiis meis. (*Ps.* cxl. 3.)

S. Confiteor Deo, et beatæ Mariæ, et omnibus Sanctis, et vobis, Fratres, quia peccavi nimis, meâ culpâ per superbiam, cogitatione, locutione, opere et omissione : precor vos oratè pro me.

C. Misereatur tui omnipotens Deus : per intercessionem beatæ Mariæ et omnium Sanctorum, et dimittat tibi omnia peccata tua, et perducat ad vitam æternam.

S. Amen.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini :

C. Qui fecit cœlum et terram. (*Ps.* cxxii. 8.)

N. 14. Post hæc manibus semper junctis et demissis oculis, maturè accedit ante medium altaris : ubi inclinatus dicit, *Pater noster* et *Ave Maria ;* deindè osculatur altare.

Missale Dominican. Confiteor Deo et beatæ Mariæ semper virgini, et beato Dominico Patri nostro, et omnibus Sanctis, et vobis, Fratres, quia peccavi nimis cogitatione, locutione, opere et omissione meâ culpâ : precor vos, orare pro me.

Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimittat vobis peccata vestra, liberet vos ab omni malo, salvet et confirmet in omni opere bono, et perducat ad vitam æternam.

Joan. Bona S. R. E. Card. *lib.* 2. *Rer. liturg. cap.* 2. *n.* 5. *et* 6. *multas refert confessionis formulas, quas Lector adire poterit.*

In Ecclesia autem Narbonensi sic dicitur *Misereatur.*

Misereatur tui (*vestri*) *omnipotens Deus, et dimittat tibi* (*vobis*) *omnia peccata tua* (*vestra,*) *et perducat te* (*vos*) *ad vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Nec subjicitur oratio, *Indulgentiam.*

I. Cur Sacerdos et Ministri recitant alternatim formulam confessionis, ac dein orationem *Misereatur*?

R. Singuli se peccatores esse confitentur, ac deindè orant pro sese invicem, juxta illud Jacobi Apostoli: *Confitemini alterutrum peccata vestra: et orate pro invicem ut salvemini: multum enim valet deprecatio justi assidua.* (*Jac.* v. 16.) Hâc ergo mutuâ confessione, et pro sese invicem oratione, confidunt, tam Sacerdos quàm populus se accepturos à Deo levium peccatorum remissionem, ad offerendum puriori mente sacrificium.

I. Cur in formula confessionis, confitemur peccata non solùm Deo, sed et B. Mariæ virgini, beato Michaëli Archangelo, et Sanctis, et fratribus?

R. Hâc formulâ confitemur coram Deo, et Angelis, et Sanctis omnibus, et coram universa Ecclesia, habere nos plurimorum peccatorum conscientiam. Id confitemur coram Deo, qui peccatis offenditur, et pœnitentiâ placatur; coram Sanctis, qui cum Christo in fine seculorum sedebunt judices mundi, et interim peccatis hominum offenduntur non secùs ac Deus ipse. (B) Imploramus hâc confessione Ecclesiæ triumphantis et militantis auxilium, ad obtinendam peccatorum remissionem: et ex Sanctis, eos appellamus potissimùm quorum speciali apud Christum patrocinio gloriamur.

I. Cur ad hæc verba, *meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ*, pectus pugno percutimus?

R. Percussio pectoris signum est contritionis. Imitamur eo ritu Publicanum, qui confitendo peccata sua, et percutiendo pectus suum, impetravit à Deo peccatorum veniam. (C)

I. Quas preces peractâ confessione recitat Sacerdos cum Ministris in infimo altaris gradu?

R. Preces è Scripturis desumptas, quibus petitur à Deo

(B) Ps. CXLIX. 5. Exsultabunt Sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis: 6. Exaltationes Dei in gutture eorum, et gladii ancipites in manibus eorum. 7. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.... 9. Ut faciant in eis judicium conscriptum; gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

MATTH. XIX. 28. Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.

1. COR. VI. 2. An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt.

JUDÆ 14. Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes.

(C) LUC. XVIII. 13. Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.

venia delictorum, et puritas mentis et cordis necessaria ad celebrandum ritè sacrosanctum Missæ sacrificium. Hac ergo mente recitandæ sunt et à circumstante populo. Illas subjicio :

S. *Deus, tu conversus vivificabis nos ;*

M. *Et plebs tua lætabitur in te.* (*Ps.* LXXXIV. 7.)

S. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam ;*

M. *Et salutare tuum da nobis.* (*Ibid.* 8.)

S. *Domine, exaudi orationem meam ;*

M. *Et clamor meus ad te veniat.* (*Ps.* CI. 2.)

S. *Dominus vobiscum.* (*Ruth.* II. 4.) (D)

M. *Et cum spiritu tuo.* (E)

S. *Oremus.*

Deindè Sacerdos ascendens ad altare ait :

Aufer à nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oramus te, Domine, per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt (*His osculatur altare*), *et omnium Sanctorum ; ut indulgere digneris omnia peccata mea.*

I. Debetne populus privatim recitare easdem preces ?

R. Has si recitet faciet rem Ecclesiæ menti apprimè convenientem : neque enim eas Sacerdos suo solùm, sed et totiùs populi nomine recitat : hinc utitur plurali numero. Adde quòd eas recitaturus ait altâ voce, *Oremus*, antequam ascendat ad altare : quâ voce monet populum ut attentum habeat animum ad illas preces. (*Vide suprà* §. 20. *litt.* (A)

I. Cur toties dicitur inter Missarum solemnia, *Dominus vobiscum. Et cum spiritu tuo.*

R. His verbis continetur mutua Sacerdotis et populi salutatio. Sacerdos suâ salutatione, populi excitat attentionem. Populus suâ vicissim salutatione, attentum esse se profitetur.

I. Cur Sacerdos accedens ad altare, hoc osculatur, idemque facit ferè quoties ab eo recedit ?

R. Hoc salutationis genus est. Osculatur Sacerdos altare, qui typus est Christi, eoque osculo profitetur adhærere se Christo, cui sicut membra capiti connexi sunt Sancti, quorum reliquiæ ibi servantur.

Pluribus in Ecclesiis non osculo, sed solâ capitis demissione, Sacerdos altare salutat.

Is mos est etiamnùm Carthusianorum, Dominicanorum, etc. Eadem est utriusque ritûs ratio.

(D) Ruth. II. 4. Et ecce ipse veniebat de Bethlehem, dixitque messoribus : Dominus vobiscum : Qui responderunt ei : Benedicat tibi Dominus.

(E) Galat. VI. 18. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, Fratres. Amen.

N° III. *Introitus. Cur quædam in cornu Epistolæ, quædam in cornu Evangelii, quædam in medio altari recitentur.*

I. Postquam Sacerdos accessit ad altare, quam orationem recitat ad cornu Epistolæ ?

R. Recitat antiphonam, ferè semper desumptam ex aliquo Psalmi versu. Dictâ antiphonâ, primum versum Psalmi recitat : (olim totus Psalmus dicebatur :) subjicitur Psalmo versus *Gloria Patri*, qui ex more Ecclesiæ juxta traditionem Apostolicam post Psalmos omnes recitari solet. (A) Denique

(A) Joan. Bona S. R. E. Card. *lib. de divin. Psalmod. cap.* 16. §. 6. *n.* 1. Magnus Basilius incomparabilis Ecclesiæ doctor, qui sub Valente Imperatore floruit, *libro de Spiritu sancto*, quem in sui defensionem ad Amphilochium Iconii Episcopum scripsit, hujus versiculi, *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, quem Patres antiqui hymnum glorificationis vocabant, duobus locis mentionem facit. Primò, capite septimo his verbis : *Proindè quod à majoribus nostris dictum est, et nos dicimus, gloriam esse communem Patri cum Filio : quapropter et glorificationis hymnus Patri simul cum Filio offerimus.* Clariùs deindè, et fusiùs capite vigesimo septimo, *Professionem fidei velut initium quoddam glorificationis fecimus. Sed quid faciendum est ? Nunc enim docemur nos, ne baptizemus quemadmodùm accepimus, aut ne glorificemus quemadmodùm credimus ?* Et paucis interjectis : *Dictum est igitur nihil referre ad sensum, sive dicas*, Gloria Patri et Filio cum Spiritu sancto, *sive dicas* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Magnus item Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus, qui triginta et amplius annis ante Basilium florere cœpit, libro de Virginitate, sive de Meditatione, nonne diversis verbis hunc Hymnum commemorat ? *Cùm*, inquit, *surrexeris à mensa, rursùm gratias agendo trinis vicibus dicas :* Miserator et misericors Dominus escam dedit timentibus se (*Ps.* CX. 4. *et* 5.) ; Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto ; *rursùmque post peractam glorificationem preces tuas absolves....* Lapsi sunt, qui ex Theodoreto, ex Sozomeno, ex Tripartita, et clariùs ex Nicephoro Flavianum Monachum Antiochenum Hymni hujus faciunt auctorem.... Sed hunc Hymnum Flaviano antiquiorem esse, Athanasii et Basilii citatæ auctoritates convincunt. Errarunt et alii, qui post Walfridum Strabonem à magna Synodo Nicæna compositum fuisse affirmant, idque Hermias Sozomenus indicare videtur, cùm agens de Leontio Episcopo Antiocheno ait illum, tametsi Arianus esset, eos tamen qui hymnis fidei Concilii Nicæni consentientibus Deum laudarent, prohibere noluisse, ne populus seditionem conflaret. At verò glorificationis hymnum non esse à Nicænis Patribus inventum Baronius, Ecclesiæ antiquitatis instructissimum promptuarium, concludit, tùm ex allato Basilii testimonio, tùm quia fideles, cùm ab ipsis Apostolorum temporibus in nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti baptizarentur, tres easdem personas jam dicto Hymno conglorificare cœperunt.

N. 2. Cùmque iidem Ariani ore sacrilego blasphemantes assererent fuisse tempus, quandò Filius non erat cum Patre, adversùs hujuscemodi sceleratam loquelam decrevit Nicæna Synodus, ut illa appendix, *Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in secula seculorum, Amen*, ad aliquam glorificationem adjungeretur. Testatur id Concilium primum Vasense seu Vasalense, verius Vasionense in Gallia paulò post Nicænum tempore Constantini Imperatoris sub Julio Papa celebratum, licet ejus Canones confusi existant cum Vasionensi secundo sub Leone Magno, hac sanctione editâ. « Quia non solùm in sede Apostolica, sed etiam per » totum Orientem, et totam Africam, vel Italiam, propter hæreticorum » astutiam, quâ Dei Filium non semper cum Patre fuisse, sed à tempore » cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto, sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in* » *secula seculorum, Amen*, dicitur : etiam nos in universis Ecclesiis nostris » hoc ita dicendum esse decernimus. » Sicut autem diximus solemnem

repetit antiphonam : quæ quidem etiamnùm repetitur post singulos Psalmi versus quibusdam in Ecclesiis, diebus saltem solemnioribus.

I. Quod nomen huic preci ?

R. Introïtus : quia canitur à choro dùm Sacerdos procedit è sacrario ad altare.

I. Debetne populus recitare seu canere Introïtum ?

R. Introïtus institutus est primùm ut à Clero et populo caneretur, ut fit etiamnùm. Hinc multis in Ecclesiis Sacerdos illum privatim non recitat, neque enim vetus mos erat ut privatim à Sacerdote legerentur quæ palàm à choro canebantur : canebat nimirùm ipse cum choro. Quæcunque autem in Missis majoribus canuntur à choro, ea privatim à circumstantibus recitari maximè expedit in Missis privatis, ubi legentem Sacerdotem commodè audire nequeunt.

I. Cur quædam ad cornu Epistolæ, quædam in medio altari recitat Sacerdos ? Recitat in cornu Epistolæ Introïtum cæteraque usque ad Evangelium : legit Evangelium in altero cornu : recitat in medio altari *Gloria in excelsis*, *Credo*, et preces omnes ad substantiam sacrificii pertinentes : peracto sacrificio redit ad cornu Epistolæ, Postcommunionem recitaturus. An non satius foret cuncta eodem in loco recitare ? Vereor ne quid levitatis esse videatur in frequenti illâ mutatione ?

R. Cave ne quid suspiceris esse in eo levitatis. Apage istam loquendi rationem ad impios, qui, ut ait Judas Apostolus, *Quæcunque ignorant*, *blasphemant*. (*Jud.* 12.) Quidquid agit Ecclesia, totum id grave et sanctum est. Hujus porrò ritûs accipe rationem. Hæc duplex tradi solet, litteralis una, altera mystica. Trademus utramque : sed quæ mystica est, ea ritum hunc non invexit : sed ex eo jam usurpato piæ cogitationes subortæ mysticis explicationibus occasionem dederunt. Rem audies.

doxologiam non fuisse à Nicæna Synodo adinventam ; ita etiam asseveramus non fuisse ab ea statutum, ut in fine cujusque Psalmi concineretur. Nam cùm fuerint posteà hac de re diversæ diversarum Ecclesiarum consuetudines, consentaneum est credere nullam fuisse communem universalis Ecclesiæ præceptionem, à qua procul dubio nullus fidelium deviare præsumpsisset.... Vigilius Papa in fine omnium Psalmorum dici ab omnibus ex more *Gloria Patri* asseverat : atque etiam quorumdam reprehendit errorem, qui subductâ unâ syllabâ conjunctivâ perfectum conabantur minuere vocabulum Trinitatis, dicentes, *Gloria Patri*, *et Filio Spiritui sancto*. Apud Baronium exstat Canon Narbonensis Concilii, quod celebratum fuit æra 627. anno scilicet Christi 589. centum sexaginta et ampliùs annis post obitum Hieronymi : ut in psallendis ordinibus per quemque Psalmum gloria dicatur omnipotenti Deo : per majores verò Psalmos, prout fuerint prolixiores, pausationes fiant, et per quamque pausationem gloria Trinitatis Domino decantetur. Ex quibus colligi potest, usum canendi gloriam in fine Psalmorum non tantam præ se ferre antiquitatem, quantam vulgus Scriptorum existimat.... Illud autem certissimum est, Hymnum glorificationis ab Apostolis compositum, à Patribus Nicænis auctum, ab universa Ecclesia receptum, omni reverentiâ cantandum esse. Qui enim irreverenter et nimis festinanter cum pronuntiant, non Deum glorificare, sed blasphemare dicentur.

Veteri ritu, cujus multa retinuêre vestigia Missæ Pontificalis, quin et singulæ Missæ majores quibusdam in Ecclesiis, Sacerdos non ascendebat ad altare nisi ad celebrandam Missam fidelium, id est, ad peragendum Sacrificium. Dùm autem perageretur Missa Catechumenorum, sedebat Sacerdos extra altare, ibique audiebat Epistolam legente Subdiacono, et Evangelium legente Diacono : nec legebat ipse privatim quod ab aliis canebatur, ut fit etiamnùm apud Carthusianos et Cluniacenses ; et ex novo Missali Parisiensi idem fieri licet in Missis solemnibus à quocunque Sacerdote celebrante. Tunc Sacerdos stans in medio altari, legebat quidquid erat legendum canendumve : ideòque habebat præ oculis librum positum ad lævam, neque enim alibi liber poni poterat : non in medio altari, in quo necesse erat poni calicem ; nec ad sinistram Sacerdotis, ibi enim ponebantur oblationes populi. Is erat ritus Missarum solemnium. (B)

(B) Domn. EDMUND. MARTENNE Monach. Bened. è Congr. S. Mauri, *de antiquis Eccles. ritibus lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 3. *n.* 4. Residens igitur in throno Pontifex permanet usque ad Offertorium, atque ibi recitat aut cantat quæcunque recitanda interim au' cantanda sunt. Eodem fere privilegio gaudent in Ecclesia Ramensi celebrantes omnes, etsi non Episcopi. Nihil enim recitant aut cantant ad altare ante Offertorium, sed in pulpito ad altaris latus collocato. Idem etiam usus in aliis ejusdem Metropolis Ecclesiis forte vigebat : saltem de Laudunensi id constat ex MS. Ordinario ejusdem Ecclesiæ, in quo præscribitur, ut *finitâ Glorià*, *Sacerdos veniat ad lectreolum ad dicendas orationes.*

ORDO ROMANUS I. *n.* 15. Tunc surgens Pontifex à sede, descendit ad altare, et salutat altare, et suscipit oblatas de manu Presbyteri hebdomadarii et Diaconorum, etc.

ORDO ROM. II. *n.* 9. Tunc surgens Pontifex à sede, et cantantibus adhuc Cantoribus, descendit ad altare, et orat, et salutat altare, et suscipit oblatas de manu Presbyterorum et Diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare.

ORDO ROM. III. *n.* 14. Tunc Pontifex surgens à sede, descendit ad altare, et salutat altare, et suscipit oblatas de manu Presbyteri hebdomadarii, et Diaconorum atque Primiceriorum, etc.

ORDO ROM. V. *n.* 8. Per brachia sustentando ducant Episcopum ad altare, accedantque Presbyteri offerentes, etc.

ORDO ROM. VI. *n.* 9. Lotis autem manibus surgat Episcopus, ut accipiat oblationes à duobus Presbyteris et Diaconibus, et ab omnibus Clericis.

ORDO ROM. XI. *n.* 40. Solus Pontifex intrat ad altare ad Sacrificium.

ORDO ROM. XVI. *n.* 53. *pag.* 301. Pontifex.... pergat ad altare, deducentibus eum Capellano et Subdiacono, etc.

N. 71. Indutus Dominus Papa omnibus Pontificalibus, dicit ante altare versiculum *Introïbo*, etc.... Ps. *Judica*, etc. et *Confiteor*, etc. osculatur altare.... et incensat altare.... Posteà vadit ad sedem suam, et sedendo incipit Introïtum.... Lotis verò manibus, et Offertorio cantato, vadat ad altare, et ibi recipiat patenam cum hostia, quam sibi offert Diaconus Cardinalis, etc.

M. BOCQUILLOT, *Traité histor. de la Liturg. liv.* 1. *chap.* 9. *n.* 3. *pag.* 217. L'ancien usage était que le Célébrant dans les grandes Eglises ne récitait à l'autel ni l'Epître ni l'Evangile, ni rien de ce qui se chantait au chœur. Comment l'aurait-il pu faire, rien de tout cela n'étant écrit dans le Missel qu'il avait devant ses yeux ?.... Tout le monde, le Prêtre même, écoutait assis l'Epître chantée par le Soudiacre, avec ce qui la suit chanté par les Chantres ; et debout l'Evangile chanté par le Diacre, etc... Lorsque les Missels pléniers furent devenus communs à cause des Messes basses, il se trouva des prêtres qui par scrupule ou par une dévotion particulière

Ut distinguerentur autem in Missis privatis ea quæ in solemnibus legebantur extra altare, ab iis quæ legebantur in altari; in cornu Epistolæ lectum est quidquid in Missis solemnibus extra altare legebantur, in medio autem altari continuata est lectio cæterorum omnium; isque ritus sensim in Missis quoque majoribus invaluit. Evangelium autem in Missis privatis ideò lectum est à Sacerdote stante in sinistra altaris parte, quia in Missis majoribus, dùm canebat Evangelium Diaconus in ambone, Missale Sacerdotis positum erat in ea altaris parte quam nunc cornu Evangelii dicimus : illùc nempè allatum fuerat Missale post recitatam Collectam; quâ recitatâ nihil ampliùs legebat Sacerdos è Missali usque ad orationes secretas, quas sicut et cæteras preces Liturgicas, ad communionem usque, posito ad lævam Missali recitabat, ut nunc fit, stans in medio altari. Peractâ autem communione, alteraque altaris parte jam oblationibus vacuâ ad cornu Epistolæ Missale referebatur, ut ibi Sacerdos Postcommunionem recitaret, dùm Subdiaconus in altero cornu mundabat calicem et componebat, illum mox ad sacrarium relaturus.

Hæc vera ratio est cur in Missa preces recitentur partim ad dextram, partim ad sinistram ejus partem. Hæc accepimus à Micrologo, non contemnendo Scriptore undecimi seculi, in suis ad Ordinem Romanum observationibus. (C)

Aliam vulgò rationem afferunt hujus ritùs, eamque mysticam. Eam quoque subjicere juvat. Aiunt ergo dextrâ altaris parte significari Judæos, qui priores ad fidem vocati sunt : sinistrâ significari Gentiles, qui rejectum ab Judæis Evangelium ultrò susceperunt.

voulurent réciter à voix basse ce qui se disait par les ministres et par les chantres. Les Chartreux et les Cisterciens furent les premiers qui permirent à leurs Prêtres d'en user ainsi.... Le Prêtre va à sa chaise (dit l'ordinaire des Chartreux) où le Diacre lui donne une serviette, et le livre ouvert; il écoute attentivement l'Epître, ou il la lit avec le Répons et l'*Alleluia* ou le Trait. *Epistolam attentè audit aut legit, cum Responsorio, et* Alleluia *vel Tractu.* Et voici la rubrique des Cisterciens, *Us. Cist. cap.* 53. *Interim Sacerdos usque ad Evangelium sedere, et in Missali legere potest : et Diaconus ad nutum ejus sedere, et in textu legere si voluerit.* Pendant que le Soudiacre lit l'Epître etc. le Prêtre peut s'asseoir et lire dans le Missel; et le Diacre le peut aussi si le Prêtre l'ordonne, et lire le texte s'il le veut.... Une dignité ou un chanoine de N. D. de Paris qui suit les rubriques de son Missel en disant la Messe du chœur, va s'asseoir après qu'il a chanté la dernière Collecte, écoute assis l'Epître, le Graduel, l'*Alleluia* ou le Trait, et ne se lève que pour monter à l'autel, et y entendre debout l'Evangile, sans lire en particulier aucune de ces choses. L'on observe la même pratique dans l'Eglise de Lyon; le célébrant va s'asseoir après la dernière Collecte, et ne remonte à l'autel que pour ecouter debout l'Evangile. Il est vrai néanmoins que dans cette dernière Eglise, il y a un pupitre mouvant à côté du siége du célébrant pour y mettre son missel, marque visible qu'on lui laisse la liberté de lire assis l'Epitre, le Graduel, etc. et l'Evangile en particulier s'il le veut.

(C) Micrologus *Tom.* 10. *Biblioth. Patrum* Hittorpii *Eccles. Officior. cap.* 9. *pag.* 737. Ad sinistrum verò cornu altaris habent librum, cùm legunt Evangelium, vel cùm sacrificant : ut in dextera parte sint expediliores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda altaris Sacramenta.

Ut ergo, inquiunt, exhibeatur in Missa grande hoc mysterium Evangelii gentibus annuntiati post Judæorum repulsam, quidquid in Missa recitatur ante Evangelium, hoc legitur in dextera altaris parte : in sinistra verò Evangelium legitur. Quoniam autem Judæi tandem ad fidem Christi convertentur, ideò peractà communione Missale refertur ad dexteram altaris partem.

I. Ad plenam ergo hujus mysterii significationem, in dextera altaris parte legi oporteret, non in sinistra, ut fit, Initium Evangelii secundùm Joannem, quod peracto sacrificio in singulis Missis legitur ? Hoc enim Evangelium legitur post preces quibus aiunt significari tempus ultimæ Judæorum conversionis ?

R. Ad hoc responderi nihil vetat, alterum hoc Evangelium quod peractà Missâ legitur, ad preces liturgicas minimè pertinere. Hinc olim illud vel non legebatur omninò, vel legebatur in sacrario : nec legitur etiamnùm multis in Ecclesiis in Missis majoribus. Hinc Evangelium hoc nunquam canitur à Diacono, cujus partes sunt publicè legere Evangelium in solemni conventu. Et certè non legitur nisi dimisso jam populo. Cùm ergo recentioris ævi sit lectio illa alterius Evangelii ad altare, et eo solùm introducta sit tempore quo jam Evangelium ubique legebatur in sinistra parte altaris, quæ idcircò cornu Evangelii dicta est : nihil mirum si in ea altaris parte hoc Evangelium lectum sit, quæ jam erat omnium Evangeliorum lectioni ex veteri et recepto ritu destinata.

Sed ingenuè loquor, mystica ratio ex allegoria conversionis Judæorum ducta, pia illa quidem, at non veram exhibet cur Evangelium in sinistra parte legatur. Nam ante annos sexcentos, Romæ Diaconi recitabant Evangelium versi ad dexteram Ecclesiæ partem, in qua stabant viri, fœminis in sinistra parte stantibus. Nec nisi succedente ætate annis abhinc circiter quingentis factum est, ut Diaconi ad sinistram partem versi canerent illud, idque ex more Sacerdotum qui in Missis privatis ob rationem superiùs traditam legebant Evangelium versi ad sinistram altaris partem. Qui tandem mos ita invaluit, ut jam Evangelium à Diaconis non nisi ad sinistram partem versis legatur ex Rubricarum lege. (D)

(D) Micrologus *ubi suprà*. Diaconus cùm legit Evangelium, juxta Romanum Ordinem in ambone vertitur ad Meridiem, ubi et masculi conveniunt : non ad Aquilonem, ubi fœminæ consistunt. Ad principalem enim sexum meritò vertitur, cui, ut Apostolus instituit, infirmior sexus domi instituendus committitur. Quòd autem presbyteri ad legendum Evangelium, non se ad Meridiem vertunt, hoc ideò inolevisse credimus, quia nec Ordo illis injunxit, ut in ambonem ad legendum, sicut Diaconus ascenderent, ubi necessariò ad masculos potiùs quàm ad fœminas se vertere deberent. Nam juxta Ecclesiasticam consuetudinem ad altare legunt, ubi nulla diversitas auditorum approximat, quæ legentes magis in hanc partem quàm in aliam converti exigat. Nusquam ibi fœminæ,

N° IV. Kyrie eleison. Gloria in excelsis.

I. Quid significant illæ voces, *Kyrie eleison*, *Christe eleison*?

R. Græcæ illæ sunt. Harum hic sensus est : *Domine miserere ; Christe miserere.*

I. Cur hæc orandi formula à Latinis Græcè non Latinè recitatur?

R. Perantiquus ille ritus : nec ejus initium scitur. Jam à sexto seculo ritum hunc ubique apud Latinos obtinuisse constat, tùm ex Concilio Vasensi, tùm ex Epistolis sancti Gregorii Magni. (A) Ex Apostolica traditione voces quædam Hebraïcæ in Ecclesia Latina usurpantur, quales sunt, *Amen*, *Alleluia*, *Hosanna*, *Sabaoth.* Et in die sancto Parasceves jampridem receptus est mos canendi Græco sermone celebre Græcorum trisagion, *Agios ô Theos*, sanctus Deus ; *Agios ischyros*, sanctus fortis ; *Agios athanatos eleison ymas*, sanctus immortalis miserere nobis. Harum sive Græcarum, sive Hebraïcarum vocum significationem norunt fideles omnes, easque ideò retentas fuisse probabile est, ut ostenderetur Ecclesiam unam esse, quæ ex Hebræis et Græcis primùm, deindè ex Latinis quoque coadunata est. Quæ quidem linguæ titulo crucis quodammodò consecratæ sunt : et Liturgias antiquiores unâ ex tribus linguis conscriptas fuisse constat.

I. Cur Ecclesia *Kyrie eleison*, *Christe eleison* novies repetit?

R. Hac formulà ter invocatur quælibet Persona sanctissimæ Trinitatis. Hinc post *Kyrie eleison* ter repetitum, dicitur ter *Christe eleison :* quibus verbis secunda Persona sanctissimæ Trinitatis invocatur.

Ex Ordine Romano colligitur nullum olim fuisse in Ecclesia Romana præscriptum numerum repetitionis *Kyrie elei-*

sed soli religiosi ad dexteram et ad sinistram permittuntur stare. Ad sinistrum verò cornu altaris habent librum, cùm legunt Evangelium, vel cùm sacrificant : ut in dextera parte sint expediliores ad suscipiendas oblationes, sive ad conficienda altaris sacramenta. Undè ad Aquilonem magis quàm ad meridiem versi videntur, cùm annuntiant Evangelium. Hinc itaque illa usurpatio emersisse videtur, ut etiam Diacones in ambone, contra Romanum ordinem se vertant ad Aquilonem, potiusque se ad partem fœminarum quàm masculorum vertere non vereantur. Quæ usurpatio jam adeò inolevit, ut apud plerosque quasi pro ordine teneatur. Sed quia certissimè contra ordinem est et inhonesta, à diligentioribus ordinis servatoribus meritò refutatur.

(A) Concil. Vasens. III. *Ann.* 529. *can.* 3. Et quia tam in sede Apostolica quàm etiam per totas Orientales atque Italiæ provincias, dulcis et nimium salutaris consuetudo est intromissa, ut *Kyrie eleison* frequentiùs cum grandi affectu et compunctione dicatur ; placuit etiam nobis, ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo et ad Matutinum, et ad Missas, et ad Vesperas Deo propitio intromittatur.

S. Gregor. Magnus *lib.* 8. *Epist.* 12. *aliàs* 64. *ad Joan. Syracus. Episc. Kyrie eleison* autem nos neque diximus, neque dicimus sicut à Græcis dicitur : quia in Græcis simul omnes dicunt, apud nos autem à Clericis dicitur, et à populo respondetur ; et totidem vicibus etiam *Christe eleyson* dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem Missis, aliqua quæ dici solent tacemus, tantummodò *Kyrie eleyson* et *Christe eleyson* dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulò diutiùs occupemur.

son : sed impositâ hâc litaniâ chorum prosecutum fuisse *Kyrie eleison :* et hoc tandiù repetitis vicibus cecinisse, donec dato signo hujus canendi finis innueretur à summo Pontifice celebrante. (B)

I. Cur in Missis solemnibus Sacerdos incensat altare dùm *Kyrie* canitur à choro ?

R. Ut preces populi supplicantis offerat Deo, rogetque Divinam majestatem, ut preces illæ dirigantur sicut incensum in conspectu ejus, et suscipiantur in odorem suavitatis per Christum, cujus altare typus est.

I. Quid agere debet populus dùm *Kyrie eleison* canitur ?

R. Et ipse cum choro canere debet, vel in Missis privatis recitare cum Sacerdote *Kyrie eleison.* Sed ex intimo cordis affectu, *in spiritu humilitatis, et in animo contrito* (*Orat. Missæ ad oblat.*), ut quam supplici voce petit misericordiam consequatur, et *gratiam inveniat in auxilio opportuno.* (*Hebr.* IV. 16.) Hinc toties *Kyrie* repetitur.

I. Quid est ea orationis formula, cujus initium est, *Gloria in excelsis Deo ?*

R. Hymnus est, cujus initium Angeli ipsi cecinêre, ut annuntiarent hominibus Christi nativitatem. Reliquum Ecclesia composuit. Hymnum hunc totum subjicio, egregium illum quidem, pietatem et divinum amorem apprimè spirantem.

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. (*Luc.* II. 14.) *Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cœlestis ! Deus Pater omnipotens ! Domine Fili unigenite Jesu Christe ! Domine Deus Agnus Dei, Filius Patris ! Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, Tu solus Dominus, Tu solus Altissimus Jesu Christe ; cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.*

I. Quid agere debet populus dùm canitur hic hymnus ?

R. Maximè expedit ut illum cum choro canat, et in Missis privatis recitet secretò simul cum Sacerdote. Cogitet tamen id fieri oportere cum intimo amoris sensu, ita ut cor voci consonet. Hæc Ecclesiæ mens est. Propterea canitur hic hymnus à toto choro.

I. Cur in Missis defunctorum, in feriis per annum, (excepto tempore Paschali) et in Dominicis Adventûs, Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ, Quadragesimæ, et toto tempore Passionis hic hymnus non canitur in Missa ?

(B) Domn. JOAN. MABILLON. M. B. *comment. in Ordin. Rom. art.* 6. *n.* 3. In primis *Kyrie eleison* toties repetebatur, quoad Pontifex aliquo nutu finem designaret. Undè Paris de Crassis observat *Kyrie* in Missis Pontificiis tandiù protrahi, quandiù reverentia Papæ à Cardinalibus facienda durat. Verùm in iis Missis, quæ Litanias sequebantur, *Kyrie eleyson* omitti mos erat, ut ex libellis nostris patet : ob eam videlicet causam, quòd in Litaniis jam cantatum fuisset.

R. Quia cùm hic hymnus ad solemnitatem et spiritalem lætitiam pertineat, abstinet Ecclesia ab ejus recitatione diebus luctûs et pœnitentiæ.

N° V. Dominus vobiscum. *Collecta.*

I. Cur in Missa Sacerdos vertit se sæpiùs ad populum, cum interpellans his vocibus, *Dominus vobiscum ?*

R. Hâc voce, *Dominus vobiscum*, Sacerdos populum salutat ut diximus (*hocce* §. *n.* II.), ejusque attentionem excitat. Ideò autem vertit se ad eum hæc loquens, quia naturâ duce ad eos facies verti debet ad quos dirigitur oratio. Hinc factum est, ut in Ecclesiis in quibus altare sic erat dispositum ut Sacerdotis celebrantis facies versa esset ad populum, non converteret se Sacerdos ad dicendum, *Dominus vobiscum.* Quod etiamnùm Romæ servatur quibusdam in Ecclesiis (A).

I. Cur Sacerdos non se convertit quoque ad populum ad hanc vocem : *Oremus ;* sed eam pronuntiat elevatis in cœlum oculis, et junctis versùs Dominicum corpus in pyxide servatum, alioqui extensis versùm Christi crucis affixi effigiem manibus.

R. Quia hoc verbo, *Oremus*, Sacerdos seipsum non secùs ac populum excitat ad orandum ; ideoque vocem hanc pronuntians, se convertit ad Christum. (B)

I. Cur Episcopus sacra faciens non salutat populum his verbis, *Dominus vobiscum :* sed horum vice dicit, *Pax vobis ?*

R. Alteram hanc salutandi formulam Episcopi retinuêre : hanc adhibent quoque cæteri Sacerdotes ante fractionem hostiæ ; tunc enim aiunt, *Pax Domini sit semper vobiscum.*

I. Cur diebus pœnitentiæ Episcopi adhibent consuetam cæteris Sacerdotibus salutandi formulam, *Dominus vobiscum ;* nec dicunt *Pax vobis ?*

R. Fortè quia salutatio illa, *Pax vobis*, aliquid videtur adjunctum habere solemnitatis et lætitiæ ; quod diebus pœnitentiæ non admittitur. Sed veriùs dixerim isthæc ad ritus arbitrarios pertinere : nam diebus pœnitentiæ Episcopi cæterique Sacerdotes omnes dicunt more solito ante fractionem hostiæ, *Pax Domini sit semper vobiscum.*

I. Ad hoc verbum, *Dominus*, Sacerdos manus extendit ; ad hoc autem, *vobiscum*, jungit manus : quæ ritûs illius ratio ?

R. Hoc ritu Sacerdos gestum verbis accommodat, innuitque ipso gestu optare se ut Dominus Spiritu suo populum intùs moveat, et cum illo sit. Olim Sacerdos ad hoc verbum,

(A) S. Joan. Chrysost. *Homil.* 18. *in* 2. *ad Corinth. in morali.* Jam in tremendis quoque Mysteriis, ut Sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit. Hæc enim verba, *Et cum Spiritu tuo*, nihil aliud, quàm hoc, significant.

(B) S. Joan. Chrysost. *Homil.* 2. *in* 2. *ad Corinth. in morali.* Illud enim, *Oremus*, non ad Sacerdotes tantùm, sed etiam ad populum spectat. Nam cùm ait (Sacerdos,) *Rectè stemus, oremus,* omnes ad precandum hortatur.

Dominus, caput inclinabat versùs altare, convertebatque se statim ad populum dicturus, *vobiscum :* qui ritus servatur etiamnùm à Carthusiensibus.

I. Quæ est ea precatio quam *Collectam* dicimus ?

R. Precatio est ea quà varia, pro solemnitatum et variarum necessitatum ratione, beneficia petuntur à Deo.

I. Cur hæc orâtio *Collecta* dicitur ?

R. Varia significatio hujus nominis *Collecta :*

1° Accipitur ab Apostolo pro eleemosynis, quæ à fidelibus colligebantur in pauperum sustentationem. *De collectis*, inquit, *quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite, ut non, cùm venero, tunc collectæ fiant.* (1. *Cor.* XVI. 1. *et* 2.)

2° Accipitur pro qualibet hominum multitudine in unum congregata, ut habetur lib. 5. Capitularium Caroli Magni cap. 130. *De itinerantibus, ut per collectam nemo ausus sit adsilire.*

3° Pro conventu seu collectione fidelium ad orationem simul convenientium ; atque hoc sensu phrasis est apud antiquos Scriptores usitatissima, *collectas agere, congregari ad collectam, adesse ad collectam* : Id est, agere Divina officia, congregari ad Divina, adesse Divinis officiis, maximèque sacrosancto Missæ sacrificio.

4° Sumitur *Collectæ* nomen pro brevi oratione quam Sacerdos salutato populo recitat, quæ ideò dicitur *Collecta*, vel quia populo in unum congregato et collecto recitatur, vel quia Sacerdos legatione apud Deum pro omnibus fungens, omnium vota colligit ; vel quia ex selectis sacræ Scripturæ et Ecclesiæ verbis compendiosà brevitate colligitur ; vel quia per eam singuli collectis animis affectus suos ad Deum attollunt. Quæ notiones ut planiùs intelligatur duo præcipuè observanda sunt.

1. Dùm canebatur Introïtus, populus olim et Clerus Ecclesiam ingrediebatur, et suum quisque locum occupabat. Post Introïtum canebatur, ut nunc fit, *Kyrie*, et *Gloria in excelsis.* Quibus absolutis, Sacerdos recitabat orationem quæ quoniam prima recitabatur post collectum et congregatum populum, ideò fortè *Collecta* appellata est. (C)

2. Post salutatum populum, hàc voce, *Dominus vobiscum*, vel, *Pax vobis*, Sacerdos ad orationem omnes excitabat hàc

(C) Bona Cardinalis *Liturg. lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 3. Accipitur Collectæ nomen pro brevi oratione, quam Sacerdos salutato populo in unum congregato et collecto recitat ; vel quia Sacerdos, legatione apud Deum fungens, omnium vota in unum colligit : vel quia ex selectis sacræ Scripturæ et Ecclesiæ verbis compendiosà brevitate colligitur : vel quia omnes collectis animis affectus suos et mentem ad Deum attollunt. Claudius Espencæus *tract. de Collectis Ecclesiasticis*, Innocent. III. lib. 2. *de Myster. Missæ, cap.* 27. et Joan. Beleth. *lib.* 2. *de divin. officiis, cap.* 37. Collectam propriè dici volunt eam orationem quæ olim super populum, quandò collectus in unum erat cum universo Clero in una Ecclesia, ut ad aliam procederet in qua statio facienda erat, *dicebatur.*

voce, *Oremus.* Quâ auditâ, omnes orabant aliquantulùm in silentio collectis animis; et interpositâ morulâ Sacerdos velut collectis omnium votis recitabat orationem, quæ fortè hinc quoque *Collectæ* nomen accepit. Servatur etiamnùm hic ritus apud Cluniacenses, ejusque vestigium exstat in Missis quæ feriis Quadragesimalibus cæterisque jejuniorum diebus celebrantur. His enim diebus post dictum à Sacerdote *Oremus*, Diaconus ait altâ voce, *Flectamus genua*, ac deindè Subdiaconus, *Levate.* Sed olim postquàm Diaconus dixerat, *Flectamus genua*, omnes flexis genibus orabant aliquantulùm secretò, et collectis animis; et interpositâ aliquâ morâ, dicebat idem Diaconus, *Levate:* et surgebant omnes, stantesque Collectam audiebant: qui ritus perseverat etiamnùm in Ecclesia Parisiensi (*Missale Paris.*), et fortè aliis in Ecclesiis. (D)

I. Cur Sacerdos extensis et sublatis aliquantulùm manibus Collectam cæterasque preces liturgicas recitat?

R. Huic ritui locum dedit Apostolus, his verbis ad Timotheum scribens, *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus.* (1. *Timoth.* II. 8.) Quæ quidem orandi ratio solemnis erat in veteri Testamento: Moyses enim extensis et sublatis brachiis orabat, dùm Josuë adversùs Amalecitas præliaretur. (*Exod.* XVII. 11.) De manibus extensis in oratione sæpiùs loquitur David in Psalmis: *Exaudi*, inquit, *deprecationem meam, Domine, dùm extollo manus meas ad templum sanctum tuum.* (*Ps.* XXVII. 2.) Et alibi: *In nomine tuo levabo manus meas.* (*Ps.* LXII. 5.) Et alibi: *Expandi manus meas ad te.* (*Ps.* LXXXVII. 10.) Hunc ergo ritum Ecclesia ex veteri Testamento, Apostolo præcipiente, mutuata est.

I. Cur omnes Collectæ, omnes Ecclesiæ preces sic concluduntur, *Per Dominum nostrum Jesum Christum?*

R. Quia, ut jam diximus, (*Cap.* 1. *hujus Sect.* §. 7.) Christus mediator est Dei et hominum, nec accessum habere possumus ad Patrem nisi per ipsum. Hæc alibi tradita sunt.

I. Cur in fine collectarum cæterarumque Ecclesiæ precum respondet populus, *Amen*?

R. Id jam explicatum à nobis fuit. (*Cap.* 4. *hujus Sect.* §. 2. *in interpretat. vocis*, Amen.) Ut hinc fideles significent, id petiisse se quod Sacerdos totius Ecclesiæ nomine petiit.

Hæc ergo Ecclesiæ mens est, ut populus attentum ani-

(D) CÆREMONIAL. PARIS. *anni* 1703. *cap. prævium, pag.* XIX. Orationes (in Galliis ante tempora Caroli Magni) plurimæ secundùm illum antiquum ritum adhibebantur, de quibus omnibus non est hic necesse dicere. Sciendum tamen quòd post datam seu indictam orationem per vocem Sacerdotis, *Oremus*, omnes per aliquam moram sub silentio orabant: in Dominicis quidem, Festis, et toto Paschali tempore stantes; extra autem illa tempora ad monitionem Diaconi, genu flexi: tùm stantibus omnibus Sacerdos concludebat seu absolvebat altâ voce orationem, quam omnes complebant per acclamationem vocis, *Amen.* Hæ orationes autem, Collectæ, Collectiones, Absolutiones, aut Benedictiones vocabantur. Cæterùm illa vox *Amen* à plebe in Missa usurpabatur prætereà, post verba sacra consecrationis, et ante receptionem Eucharistiæ.

mum habeat ad Sacerdotis orationem, jungatque se Sacerdoti, idem cum ipso rogaturus. (E)

(Olim post recitatam Collectam, in Ecclesia Romana cæterisque in Ecclesiis, diebus solemnioribus fiebant speciales orationes pro summo Pontifice, pro Imperatore, pro Rege, pro Episcopo in sua cujusque Ecclesia : quæ orationes *Laudum* nomine appellabantur. Qui ritus servatur etiamnùm in pluribus Galliarum Ecclesiis, nimirùm in Viennensi, Lugdunensi, Remensi, Rhotomagensi, Suessionensi.) Harum *Laudum* formulam legere licet apud Cardinalem Bona ; item apud Mabillonium (*Musæi Ital. t.* 2.), et apud Edmundum Martenne. (F)

(E) Le Tourneux. *De la meilleure manière d'entendre la Messe, chap.* 4. *Il ne faut pas*, dit Durand Evêque de Mende, *que les assistans récitent d'autres prières, mais qu'il écoutent avec attention celle du Prêtre, et que lorsqu'elle sera finie ils répondent tous*, Amen. Cet *Amen* est donc, comme le remarquent les Pères, la souscription que le peuple fait aux paroles du Prêtre. *C'est*, dit saint Augustin, (*Lib.* 2. *in Epist Parmen. cap.* 7.) *votre consentement et votre suffrage. C'est*, dit saint Cyrille, (*Catech. mystag.*) *comme le sceau de la prière. Ce n'est pas le seul Prêtre*, dit Theodoret, (*In* 2. *ad Cor.* 1. 20.) *qui prie, et qui offre des Hymnes ; mais celui qui répond* Amen, *participe au Sacrifice de louange qui est offert.* C'est par cette acclamation solennelle que les assistans ratifient la demande que le Prêtre a faite pour eux.

(F) Domn. Edmund. Martenne Monach. Bened. è cong. S. Mauri. *De Antiq. Eccles. ritibus lib.* 1. *cap.* 4. *art.* 3. *n.* 13. *Post orationem*, inquit, MS. Ecclesiæ Viennensis Ordinarium, *duo milites, seu in eorum absentia duo de Majoribus Capellanis laudes pronuntient*, Christus vincit. Idem præstant in Ecclesia Lugdunensi sex, quos etiam equites vocant, seu advocatos, aut capituli consiliarios.... Ejusdem consuetudinis meminit Gentius *in X. Ordine Romano cap.* 1. apud Mabillonium *Musæi Italici tom.* 2. viguitque in insignioribus Galliæ Ecclesiis, ut in Turonensi, Rothomagensi, Lemovicensi, Remensi, Laudunensi, Suessionensi, Silvanectensi, Bellovacensi, etc. ut passim testantur earum MS. Ordinaria. Ut autem quid Laudum nomine sit intelligendum, minùs antiquorum rituum peritis pateat, eas hic ex MS. codices Ecclesiæ Suessionensis repræsentamus.

Duo Sacerdotes.	Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Chorus iterùm.	Christus vincit: *et sic repetitur ter.*
Presbyteri.	Christus.
Chorus.	Christus.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici et universali Papæ vita.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici et universali Papæ vita.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Summo Pontifici et universali Papæ vita.
Presbyteri.	Redemptor mundi.
Chorus.	Tu illum adjuva.
Presbyteri.	S. Petre.
Chorus.	Tu illum adjuva.
Presbyteri.	S. Paule.
Chorus.	Tu illum adjuva.
Presbyteri.	S. Andrea.
Chorus.	Tu illum adjuva.
Presbyteri.	Exaudi Christe.
Chorus.	Philippo excellentissimo à Domino coronato magno et pacifico Regi vita et victoria.

Presbyteri. Exaudi Christe.
Chorus. Philippo excellentissimo, etc.
Presbyteri. Salvator mundi.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Michaël.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Gabriel.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Raphaël.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. Exaudi Christe.
Chorus. Elisabeth Reginæ salus et vita.
Presbyteri. Redemptor mundi.
Chorus. Tu illam adjuva.
Presbyteri. S. Dei genitrix.
Chorus. Tu illam adjuva.
Presbyteri. S. Agnes.
Chorus. Tu illam adjuva.
Presbyteri. S. Agatha.
Chorus. Tu illam adjuva.
Presbyteri. Exaudi Christe.

Hic surgant omnes, si Pontifex præsens fuerit, et ter repetatur, Exaudi Christe, etc. Domino Niveloni Pontifici nostro salus et vita.

Presbyteri. Redemptor mundi.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Gregori.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Principi.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. S. Ansarice.
Chorus. Tu illum adjuva.
Presbyteri. Exaudi Christe.
Chorus. Omnibus Judicibus et cuncto exercitui Francorum vita et victoria.
Presbyteri. Redemptor mundi.
Chorus. Tu illos adjuva.
Presbyteri. S. Stephane.
Chorus. Tu illos adjuva.
Presbyteri. S. Gervasi.
Chorus. Tu illos adjuva.
Presbyteri. S. Prothasi.
Chorus. Tu illos adjuva.
Presbyteri. Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.
Chorus. Christus vincit, etc.
Presbyteri. Lux, via, et vita nostra.
Chorus. Christus vincit, etc.
Presbyteri. Arma nostra invictissima.
Chorus. Christus vincit, etc.
Presbyteri. Fortitudo et justitia nostra.
Chorus. Christus vincit, etc.
Presbyteri. Ipsi soli imperium, gloria, et potestas per immortalia secula seculorum Amen.
Chorus. Ipsi soli, etc.
Presbyteri. Ipsi soli virtus, fortitudo, et victoria per omnia secula seculorum. Amen.
Chorus. Ipsi soli.
Presbyteri. Ipsi soli honor, laus et jubilatio per infinita secula seculorum. Amen.
Chorus. Ipsi soli.
Presbyteri. Exaudi nos.
Chorus. Exaudi nos.
Presbyteri. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.

N° VI. *De Epistola, Graduali*, Alleluia, *Prosa., Tractu.*

I. Quid est ea lectio quæ fit à Subdiacono post recitationem Collectæ ?

R. Lectio hæc fit ad eruditionem populi Christiani, ut eâ lectione præparetur ad Sacrificium. Hanc Epistolam dicimus, quia sumitur plerumque ex B. Pauli, aliorumve Apostolorum Epistolis : ideoque hoc semper retinet nomen, tametsi sumatur aliquandò ex veteris Testamenti libris. Quandoque autem duplex Epistola legitur, una ex veteri Testamento, altera ex novo : qui ritus, olim in singulis Missis observatus, jam retinetur solùm in quibusdam jejuniorum diebus. (A)

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm legitur Epistola ?

R. Debet lectionem attentis auribus excipere, simulque petere à Deo, ut quod legitur intret in cor, nec sine fructu excipiatur.

I. Quas preces canit chorus ad pulpitum ante lectionem Evangelii ?

R. Preces desumptas ut plurimùm ex Psalmis aliisve Scripturæ sacræ libris. Variæ illæ sunt pro variâ ratione temporum et solemnitatum. Canuntur illæ, ut lectâ Epistolâ chorus occupetur sacris precationibus, dùm Diaconus præparat se ad solemnem Evangelii lectionem. Non abs re autem fore puto, totam hanc precationum illarum rationem paulò fusiùs exponere.

Epistola et Evangelium canebantur olim (ut fit etiamnùm in plerisque Ecclesiis) in ambone (B), inter chorum et nar-

(A) Domn. JOAN. MABILLON Monach. Bened. è Cong. S. Mauri, *lib.* 1. *de Liturg. Gallic. cap.* 3. *n.* 10. In ordine Gallicano, testante Gregorio Turonensi Antistite, facta est prima lectio ex Prophetis, altera ex Apostolo, tertia ex Evangelio. Id colligitur ex facto Chramni Chlotarii Regis filii, qui cùm Divionem die Dominico accessisset, sortem suam à Clericis expetiit. Clerici positis super altare tribus libris, *id est*, *Prophetiæ*, *Apostoli et Evangeliorum*, pro more illorum temporum rem explorant, eo pacto, *ut unusquisque in libro quod primum aperiebat, hoc ad Missas etiam legeret.* Ita Gregorius in libro 4. cap. 16. Et in lib. 8. cap. 7. meminit Prophetiæ die Dominico ad missam pronuntiatæ à Palladio Santonensi Episcopo, qui sacris tunc operabatur.

(B) Dom. JOAN. MABILLON. M. B. *Comment. in Ordinem Rom. n.* 3. *pag.* 21. *tom.* 2. *Musæi Italici Paris. in* 4. *ann.* 1689. Ambon sive lectorium unum aut alterum adjunctum erat : quatuor aut quinque hinc indè gradus duplices habens pro ascensu et descensu. Ex quo videas longè disparem fuisse formam ambonum à forma odeorum nostrorum, quorum situs etiam diversus : cùm ambones illi plurimùm ad Septentrionem positi essent, odea verò nostra eâ parte, quæ chorum à navi disterminat.

DUCANGE *in Glossario mediæ et infimæ Latinit. hac voce* Ambo. Pulpitum, tribunal Ecclesiæ, ad quod gradibus ascenditur. Papias : *Ambonem dicendo gradum significamus.* Walafridus Strabo libro de reb. Eccl. c. 6. *Ambo ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit et cingit.* At constans est doctorum sententia à voce Græca *anabainein*, Latinam formatam.... *Pulpitum Ecclesiæ* semel ac iterùm vocat Victor Turonensis.... Ad conscendendum ambonem duplex patebat ascensus. Durandus lib 4. Ration. cap. 24. n. 17. » Dicitur autem Ambo, quia gradibus ambitur ; sunt enim in quibusdam

» Ecclesiis duo paria graduum, sive duo ascensus in illum per medium » chori, unus à sinistris, videlicet versùs Orientem, quo fit ascensus: » alter à dextris, videlicet versùs Occidentem, quo fit descensus. *Ugutio*: » Ambo, pulpitum, ubi ex ambabus partibus sunt gradus. *Anastasius in* » *S. Silvestro PP. pag.* 17. Fecit Basilicam B. Laurentio Martyri.... in qua » fecit gradum ascensionis et descensionis, etc. » In ambone legebantur Lectiones, Epistolæ, et Evangelia in sacris Liturgiis. Cæremoniale Episcop. lib. 1. cap. 12. *Ambones, ubi Epistolæ et Evangelium decantari solent, etc.* In ambonis parte superiore bini erant gradus; alter altior, in quo Evangelium legebatur: aller inferior, in quo Epistola. Ordo Romanus: *Subdiaconus verò qui lecturus est ascendit in ambonem, ut legat; non tamen in superiorem gradum, quem solet ascendere qui Evangelium lecturus est.* Neque tantùm lectiones et Evangelia, sed etiam quæ ad populum recitanda vel exhibenda erant, in ambonibus recitabantur.... In ambonibus etiam orationes, seu sermones habebantur ad populum.

M. BOCQUILLOT, *Traité de la Liturgie, liv. 1. ch. 3. n. 2. parlant des anciennes Eglises de Rome, dit*: Au haut de la Nef était le chœur des Chantres.... Là était un lieu élevé de quatre ou cinq degrés, capable de contenir huit personnes, environné de balustres qu'on nommait *Ambo*, peut-être à cause de cette enceinte, ou *Analogium*, apparemment parce qu'on y lisait l'Epitre et l'Evangile, et qu'on y prêchait. C'est ce que nous appelons à présent le *Jubé*. Mais ces Jubés étaient tout différens des nôtres pour la figure, la hauteur et la situation. Ils étaient placés différemment selon les différentes situations des Eglises; en sorte néanmoins qu'ils étaient toujours à la droite du Presbytère, et à la gauche de ceux qui entraient. Dans les Eglises, dont la porte regardait l'Orient, le Jubé était situé au Midi, et faisait face au Nord; et dans celles dont la porte regardait l'Occident, il était placé au Nord, et faisait face au Midi: Mais dans les unes et les autres, il était presque au milieu du chœur. L'un des degrés était à l'Orient, et c'est par là qu'on y montait: et l'autre par où l'on descendait, était à l'Occident. Dans les Jubés situés au Nord, le lecteur de l'Evangile le récitait tourné au Midi; et dans ceux qui étaient placés au Midi, il le récitait tourné au Nord. S'il n'y avait qu'un pupitre, il tournait sur un pivot, selon la Leçon qu'on avait à lire. S'il y en avait deux, celui de l'Epitre était plus bas d'un degré que celui de l'Evangile, et faisait face à l'Autel. S'il y en avait un troisième pour les Prophéties, (comme à saint Clément de Rome), il était tourné vers le peuple. Ce lieu est appelé par saint Cyprien le Tribunal de l'Eglise.

Chap. 4. n. 7. Le Jubé était un petit edifice élevé de quatre ou cinq degrés, capable de contenir commodément huit personnes. Il était environné de balustres, et peut-être à cause de cela on le nommait *Ambo* du verbe Latin *Ambire*, qui signifie environner: d'autres croient que ce mot vient du Grec, *Ambon*, qui signifie un lieu élevé.... Il y avait des degrés par deux côtés, les uns à l'Orient par où l'on y montait, et les autres à l'occident par où l'on descendait. Voila à peu près de quelle figure il était communément.

Pour ce qui est de sa place, elle n'était pas la même dans toutes les Eglises; mais on observait partout qu'il fût situé de telle sorte, que de là on pût être vu, et se faire entendre du peuple et du Clergé; et pour cela on l'appelait *Pulpitum*, pupitre, et on le plaçait ordinairement au milieu de l'Eglise; et selon que ce milieu se trouvait, ou dans l'Avant-Chœur, ou dans la nef, ou dans les balustres mêmes qui les séparaient, il y avait des Jubés dans l'Avant-Chœur, d'autres à l'entrée, et d'autres dans la nef même. Dans les lieux où l'on ne pouvait les placer commodément au milieu, on les mettait plutôt ou du côté du Midi, ou du côté du Nord, selon la différente situation des Eglises. Mais à Rome sa place ordinaire était du côté du Nord, parce que celui qui chantait l'Evangile sur le Jubé se tournait vers le Midi, où les hommes étaient placés. Il n'y en avait aucun qui traversât comme les nôtres toute la nef ou le chœur; et l'on voit bien que ces nouveaux n'ont été inventés que depuis qu'on a pensé à fermer le chœur de murs. Mais ceux qui étaient placés aux balustres, étaient directement au milieu, et avaient à leurs côtés deux portes par lesquelles on entrait dans le chœur. Communément il n'y en avait qu'un

thecem Ecclesiæ posito, undè facilius Lector exaudiri poterat à populo circumstante. Inter Epistolæ et Evangelii lectionem multi ritus exstant. Facienda est benedictio thuris; debet Diaconus recitare orationem ante Evangelium, et petere benedictionem à Sacerdote, tùm præcedentibus Acolythis et Subdiacono solemniter procedere ad ambonem ubi legitur Evangelium. Dùm hæc fiunt, ut chorus occupetur, simulque possit populus meditari quæ continentur in Epistola, canuntur versus nonnulli ex Psalmis, aliæve preces vel laudes è Scripturis petitæ. Hoc Graduale dicitur, quia ex Romanæ Ecclesiæ ritu canitur in gradu ambonis seu pulpiti; ex ritu autem aliarum aliquot Ecclesiarum, verbi gratiâ, Remensis, canitur in gradibus Presbyterii; quod quandoque fiebat olim et in Ecclesia Romana. Post Graduale canitur *Alleluia*, vox jubilationis et laudis, quæ Hebræâ linguâ idem sonat quod Latinè, *Deum laudate*. Canitur autem cum jubilo et exsultatione, ideoque cum modulatione musica, repetitis sæpiùs variis sub ultima syllaba tonis; quam repetitionem notarum sine verbis, antiqui *Neuma* seu Jubilum appellarunt. Subindè autem ad tonos illos verbis vacuos accommodarunt antiqui quibusdam in Ecclesiis voces rhythmicas, quas Sequentias seu Prosas dixêre; Sequentias quidem, quia sequuntur canticum *Alleluia;* Prosas autem, quia cum modulatione ac jubilo cantantur. Sequentias ejusmodi seu Prosas proprias Missis singulis succedente tempore canendas composuerant nonnulli librorum Missalium Editores, ut videre est in pluribus ævi superioris Missalibus, quale est id quo usa est Ecclesia Parisiensis ad annum 1608. Postquam autem ex decreto Concilii Tridentini librorum Liturgicorum correctioni vacatum est paulò attentiùs, ad paucissimum numerum illæ redactæ sunt, et retentis iis solùm quæ diebus solemnioribus ex prisco ritu cani solebant, cæteræ rejectæ sunt; et si quæ de novo addantur, id agitur ut quidquid iis continetur redoleat pietatem, et ad celebranda divina Mysteria sit apprimè accommodatum. Cùm autem canitur Prosa, tunc ultimum *Alleluia* canitur ex veteri ritu sine neumate seu jubilo, quia Prosa jubili locum tenet. (C)

dans chaque Eglise. En quelques-unes néanmoins il y en avait deux, et en d'autres, trois. On en voit encore trois dans l'Eglise de saint Clément de Rome, l'un du côté du Midi pour l'Evangile, et les deux autres au Nord, dont l'un sert pour l'Epître, et l'autre pour les Prophéties. Toutes les lectures qui se faisaient publiquement dans l'Eglises pendant les divins offices du jour ou de la nuit, se récitaient au Jubé; celles de l'ancien ou du nouveaux Testament, celles des Actes des Martyrs, qu'on nomme aujourd'hui la Legende, les Homélies des saints Peres, les Prophéties, l'Epître de l'Evangile de la Messe. Et parce que le Lecteur avant que de commencer sa lecture, demandait la bénédiction au Celébrant en ces termes: *Jube domne benedicere*, le Peuple appela *Jubé* le lieu même où les Lecteurs répétaient si souvent ce mot.

(C) Bona *Liturg. lib.* 2. *cap.* 6. *n.* 5. *Dùm psallimus* Alleluia, *jubilamus magis quàm canimus*, ut observat Rupertus Abbas lib. 1. de div. offic. cap. 11.

35. *unamquæ brevem digni sermonis syllabam in plures neumas protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur, et rapiatur illùc, ubi Sancti exsultabunt in gloria, et lætabuntur in cubilibus suis.* (*Ps.* CXLIX. 5.) Sunt autem neumæ seu neumata. vel neumatum distinctiones, ut vocant Musici, notæ illæ quæ in fine hujus vocis *Alleluia* prolixè decantantur, de quibus Seraphicus Bonaventura lib. de expos. Missæ cap. 2. *Solemus*, ait, *longam notam post* Alleluia *super hanc litteram* A. *prolixius decantare; quia gaudium Sanctorum in cœlis interminabile et ineffabile est.* Et Stephanus Eduensis lib. de Sacramento altaris cap. 12. *Alleluiatici cantûs modulatio*, inquit, *laudes fidelium Deo dicatas exprimit, et gratiarum actiones, quibus suspirant ad æterna gaudia. Verbum est breve, sed longo protrahitur pneumate.* Porrò his notis, quæ post *Alleluia* sine verbis cantantur, Jubili sive Jubilationis nomen tribuerunt antiqui. Ab aliis Sequentiæ dictæ sunt, quia sunt quædam veluti sequela et appendix cantici *Alleluia*, quæ sine verbis post ipsum sequitur. Utriusque nominis meminit Amalarius lib. 3. cap. 16. dicens: « Hæc jubilatio, quam cantores Sequentiam vocant, » statum illum ad mentem nostram reducit, quando non erit necessaria » locutio verborum; sed solà cogitatione mens menti monstrabit quod » retinet in se. *Et Ordo Romanus*, Sequitur, *ait*, jubilatio, quam Sequen- » tiam vocant. »

N. 6. Hinc factum est ut Prosæ illæ seu rhythmicæ modulationes, quæ rariùs in Romana Ecclesia, in aliis quibusdam frequentiùs post *Alleluia* cantantur, Sequentiæ dictæ sint, quia loco sequentiæ psalli cœperunt. Radulfus Tungrensis propos. 23. *Abbas Notgerus sequentias aliquas pro neumis de* Alleluia *composuisse dicitur.* Et paucis interjectis: *Jubili autem seu neumata graduatium et de* Alleluia *resecandi non sunt, nisi cùm illorum loco sequentiæ decantarentur.* Hugo Victorinus de mysteriis Ecclesiæ cap. 7. *Quando sequentia dicitur, posterius* Alleluia *non habet pneuma; sed chorus loco ejus Sequentiam concinit.* Guibertus Tornacensis lib. de offic. Episcopi cap. 23. *Additur Sequentia, et non protrahitur secundum* Alleluia; *sed Sequentia loco ejus canitur....* Notat autem Petrus Cirvelus in expositione Missalis *lib.* 2. *cap.* 115. impropriè dici Sequentiam in Missis defunctorum; quia hoc officium nec *Alleluia* nec Sequentiam debet habere, quæ sunt cantica lætitiæ: idque ex eo quòd suprà ostendimus confirmari potest: nam Sequentia neumati post *Alleluia* addito suffecta est: atque inde deducitur hanc nulli antiquorum tribuendam esse, sed alicui recentiori, cùm ritus Ecclesiastici immutari cœperunt. Porrò Sequentiæ in vita Pauli Abbatis S. Albani Troparia nuncupantur.

Rupertus Abbas Tuitiens. *lib.* 1. *de divin. offic. cap.* 35. *Alleluia....* quoniam futuræ beatitudinis quasi proprium est vocabulum, jure eo tempore magis frequentatur, quo resurgens Dominus, ejusdem beatitudinis spem nobis propinavit et promissum. Ut autem aliis quoque temporibus ad Missam caneretur, olim Romanæ Ecclesiæ consuetudo non erat, sed à B. Gregorio institutum, imò restitutum est. Namque à tempore Damasi Papæ, cum priùs fuisset, eadem consuetudo defecerat. Denique cùm de hoc et de aliis nonnullis quosdam murmurare sentiret, tanquam constanter Ecclesiæ consuetudines non sequeretur, non dedignatus est rationem reddere, dicens: « Nos in nullo horum aliam Ecclesiam secuti » sumus. Nam ut *Alleluia* hic diceretur de Hierosolymorum Ecclesia, ex » B. Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ tra- » ditur tractum. Et ideò in hac magis sede *Alleluia* consuetudinem am- » putavimus, quæ hic à Græcis fuerat tradita. » Canitur ergo *Alleluia* post Graduale, canticum lætitiæ, post luctum pœnitentiæ: et summoperè nitentes exprimere magnitudinem consolationis, quæ reposita est illis, qui nunc lugent, jubilamus magis quàm canimus; unamquæ brevem digni sermonis syllabam in plures neumas, vel neumarum distinctiones protrahimus, ut jucundo auditu mens attonita repleatur et rapiatur illùc, ubi *Sancti exsultabunt in gloria, et lætabuntur in cubilibus suis.* (*Ps.* CXLIX. 5.)

Hugo Victorin. *Speculi de Mysteriis Eccles. cap.* 7. *Biblioth. Patrum* Hittorpii *tom.* 10. *Alleluia*, quod jubilum habet, exprimit gaudium et amorem credentium, et quanta lætitia et laus secuta sit fidem auditâ prædicatione.... *Alleluia* modicum est in sermone, et multum in pneu-

Quæ cùm ita sint, incongruè prorsùs adjecta esse videbitur Prosa seu Sequentia in Missis defunctorum, siquidem in illis nunquam *Alleluia* canitur. Hàc ratione ductæ nonnullæ Ecclesiæ, qualis est Senonensis Ecclesia, nondùm introduxerunt Prosam in Missis defunctorum. Reliquæ vulgò Ecclesiæ eam quæ sic incipit, *Dies iræ, dies illa*, etc. jam diù receptam retinuerunt, quia licèt à primævà Prosarum origine nonnihil recedere videatur, tamen tantæ dignitatis illa est et majestatis, ut eam propterea non incongruè retineri posse visum sit.

Ad normam Prosarum illarum quæ loco neumatis canuntur post *Alleluia*, multis olim in Ecclesiis aliud Prosarum genus sensim introductum fuerat post introïtum Missæ, post Responsaria officii nocturni, et ad *Kyrie eleïson* quod noviès in Missa repetitur. Qui quidem ritus usurpatur etiamnùm nonnullis in Ecclesiis Galliarum : sed is Romæ jam aliisque ferè omnibus in Ecclesiis exolevit.

Diebus jejunio vel pœnitentiæ consecratis non canitur *Alleluia*, sed ejus loco canuntur versus aliquot ex Psalmis desumpti : quæ quidem modulatio *Tractus* dicitur, vel quia versus illi tractim et graviter notarumque seu vocum prolixo decursu cantantur, vel quia uno veluti tractu, unà serie canuntur à Cantoribus, non respondente choro. In hoc enim Tractus à Responsorio differt, quòd in Responsorio post cantatum à Cantoribus versum, fit à choro responsio, quæ *Reclamatio* dicitur : in *Tractu* nemo respondet.

I. Quid agere debet populus circumstans dùm canitur in pulpito Graduale, *Alleluia*, Prosa, Tractus ?

R. Potest populus vocem suam jungere choro canenti, vel meditari ea quæ lecta sunt in Epistola, vel privatim aliquà piâ cogitatione occupari, vel recitare preces quaslibet, quousque legatur Evangelium.

N° VII. *De Evangelii lectione.*

I. Quid recitat Diaconus flexis in infimo altaris gradu genibus, antequam petat benedictionem à Sacerdote ad lectionem Evangelii ?

R. Hanc orationem :

Munda cor meum et labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito : ita me tuâ gratâ miseratione mundare dignare, ut dignè sanctum Evangelium valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Hanc ipsam orationem recitat Sacerdos prono versùs

male ; quia gaudium illud majus est, quàm sermone possit explicari, ad cujus magnitudinem revelandam omnis lingua modica est et imperfecta. Quis enim planè enarraret, quod in cor hominis non ascendit ? Hoc ergo gaudium quia nec penitùs exprimi, nec penitùs taceri potest : Ecclesia quasi demissis verbis jubilando quasi in admirationem prosilit.... Quando autem Sequentia sequitur, posterius *Alleluia* non habet pneuma, sed chorus in loco ejus Sequentiam concinit, quâ idem significat, id est, æternæ vitæ gaudium atque delicias.

medium altare corpore, sive in Missis privatis ; sive etiam in Missis solemnibus, in illis nimirùm Ecclesiis in quibus Evangelium privatim legitur à Sacerdote Missam canente.

I. Quid debet intereà facere populus circumstans ?

R. Suppliciter petere, ut, Deo miserante, circumstantibus prosit ad salutem Evangelii lectio.

I. Cur Diaconus ante suprà dictam orationem ponit in medio altari librum Evangeliorum ?

R. Ut eo ritu significet à se nuntiatum iri Evangelium jussu et in nomine Christi, cujus altare typum gerit. Simulque ut innuat verba Christi ipsius Evangelio contineri.

I. Quibus utitur verbis Sacerdos ad Diaconi benedictionem?

R. His verbis : *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut dignè et competenter annunties sanctum Evangelium. In nomine Patris † et Filii et Spiritûs Sancti. Amen.*

I. Cur chorus populusque circumstans assurgunt dùm procedit Diaconus ad Evangelii lectionem, librum Evangeliorum gestans præ manibus ?

R. Assurgit Clerus et populus in honorem Evangeliorum libri, qui tunc solemniter præfertur. (A) Eamdem ob causam præfertur multis in Ecclesiis crux erecta, præeunt Acolythi cæterique altaris Ministri, portantur luminaria, et thuribulum thure fumans ad spargendos per viam odores. (*Vide hujusce Sect. Cap.* 6. §. 3. *et* 4.) Hoc ritu, cujus usus desumptus est à solemni pompa Magistratuum cæterorumque virorum Principum, quibus olim præferebantur faces accensæ et luminaria dùm solemniter procederent ; hoc, inquam, ritu significatur per Evangelium accendi lumen sensibus, infundi divinum amorem cordibus, et Christi bonum odorem usquequaque diffundi.

I. Cur Diaconus, vel Sacerdos lecturus Evangelium, præmittit hæc verba : *Dominus vobiscum ?*

R. His verbis populum salutat, monetque ut attentis auribus excipiat Evangelii lectionem.

I. Cur cruce signat Evangelii librum ?

R. Ut hoc ritu significet totam Evangelii vim et virtutem à Christi cruce derivari.

I. Cur frontem, et os, et pectus cruce signant tam Diaconus seu Sacerdos Evangelium annuntiaturus, quàm Clerus et populus circumstans ?

R. Hoc ritu singuli innuunt sic se esse affectos, ut non erubescant Evangelium, sed gestent illud in fronte, in ore, et corde, paratos scilicet fidem Evangelicam, quam corde retinent, ore et moribus profiteri. Debent igitur singuli ad ejus tantæ rei significationem sibi frontem, os et pectus cruce signare.

(A) S. IGNATIUS Martyr *in Epist. ad Philadelph.* Confugiens Evangelio ut carni Jesu. *In interpolata expressiùs :* Confugiens ad Evangelium tanquam ad corpus Jesu Christi.

I. Cur stant omnes erecti dùm legitur Evangelium ?

R. Ut hoc corporis habitu singuli significent paratos esse se ad obediendum Evangelio, et summâ cum reverentiâ excipi oportere verba sancti Evangelii : sic itaque affectum esse oportet unumquemque.

I. Quid causæ est, cur multis in Ecclesiis sanctorum Evangeliorum liber deferatur singulis os osculandus ?

R. Ut singuli profiteantur suam erga sancta Evangelii verba et venerationem, et fidem, et obedientiam.

N° VIII. *De Pronao.*

I. Cur *Pronaum* (et voce Gallicâ *Prône*) appellamus quas faciunt Parochi denuntiationes, preces, orationes ad populum inter Missarum parochialium solemnia ?

R. Pronaos vox Græca est, quâ *narthecem*, id est, eam Ecclesiæ partem intelligimus, quæ ab introïtu Ecclesiæ ad chorum usque extenditur. In pronao stant laïci, in choro et presbyterio Clerus. Denuntiationes illæ et orationes fiunt in pronao Ecclesiæ, quia ad plebem Christianam ibi stantem vel sedentem dirigitur oratio. Tandemque pro denuntiationibus ipsis *Pronaï* vox obtinuit, usu recepto, *quem penès arbitrium est et mox et norma loquendi :* (*Horat. de arte Poëticâ.*) Hinc vox Gallica *Prôner* idem significat quod palàm facere, promulgare.

I. Cur statim post recitatum Evangelium, fit Pronaum ?

R. Tribus de causis fit Pronaum : 1° ut Parochus exponat quæ continentur in Evangelio vel Epistola, mox recitatis, cæteraque doceat omnia quæ ad fidem et mores pertinent.

2° Ut denuntiet et faciat preces in libro Rituali præscriptas.

3° Ut denuntiet populo leges et præcepta Ecclesiæ, festa, jejunia, abstinentias à carnibus, Matrimonia contrahenda, monitiones excommunicationum ferendarum, excommunicationes latas, indulgentias concessas ab summo Pontifice vel Episcopis, cætera denique omnia quæ populo denuntiari jubet Ecclesia.

I. Quid potissimùm agere debet Parochus ad eruditionem populi Christiani ex mente Ecclesiæ ?

R. Id agere debet potissimùm, ut orationem suam accommodet ad captum auditorum. Deindè nihil ad eruditionem populi facere potest utilius, quàm si omnia quæcunque pertinent ad Religionis intelligentiam sic tractet, ut singulis diebus Dominicis partem eorum aliquam planâ et facili methodo sine ullâ verborum pompâ doceat et exponat. Sic fiet ut succedente tempore Christiana plebs ea noverit omnia quæ pertinent ad fidem, mores, ritus, preces Ecclesiæ. Nec dubitet Parochus eadem sæpiùs repetere, ubi id expedire judicaverit ; quæ enim omninò retinenda sunt, ea sæpiùs imperitæ plebis auribus inculcare multùm juvat. Videat tamen Parochus id apprimè esse utile, ut ne quid nimis.

Itaque nec aures populi obtundat ad nauseam usque de re eadem, nec longiori oratione fatiget, nec inutili eruditionis ostentatione à scopo longiùs aberret, nec alienis ab sacri suggestûs majestate et loci sanctitate salibus et scurrilibus jocis risum moveat, nec quemquam carpat nominatim, nisi id publici delicti ratio Episcopi jussu fieri postulet, post præmissas incassùm privatas monitiones. Uno verbo, sic vocem, gestum, corporis habitum, orationem ipsam adtemperet, ut singulorum auditorum et mens luce veritatis perfundatur, et corda divinæ charitatis flammis exardescant.

I. Quid agere debet populus ad capiendum fructum ex illis adhortationibus et documentis?

R. Qui Pastorem docentem audiunt assiduè, attentè, reverenter, et animo docili; dici non potest quantos indè fructus percipiant.

I. Quas preces indicit Parochus in Pronao?

R. Denuntiat preces ex mente Apostoli faciendas (1. *Tim.* II. 1.) pro singulis ordinibus Ecclesiæ, pro Pastoribus, pro Regibus et Principibus, pro Magistratibus, pro Dynastis et parochiæ Toparchis, pro singulis populi Christiani necessitatibus, pro omnibus vivis et defunctis, sed maximè pro parochianis. Facit commendationem eorum omnium pro quibus orandum est, et subjungit pro illis orationes.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm illæ preces publicè recitantur?

R. Vel debet eas simul cum Sacerdote recitare, vel attentum habere ad recitationem animum, ut possit respondere *Amen* ex intimo cordis affectu.

I. Quid agere debet Parochus circa denuntiationes quæ fiunt intra Missarum solemnia?

R. Gravibus de causis fiunt illæ denuntiationes: necesse est certè ut tam Parochus quàm populus et norint et sequantur in iis mentem Ecclesiæ.

Primò, non licet Parochis ea denuntiare intra Missarum solemnia, quæ spectant ad forum civile, nisi id gravi de causa speciatim jubeat Episcopus: non licet itaque denuntiare in Pronao futuras locationes domorum, agrorum, censuum, subhastationes, et alia id genus, quæ non per Parochum, sed per publicum præconem vel apparitorem denuntianda sunt, peracto sacro, extra Ecclesiæ parochialis ambitum.

Secundò, debet Parochus clarè et distinctè, non raptim et compressis dentibus, pronuntiare quidquid denuntiandum est, ut singula à plebe intelligantur.

Tertiò, debet docere identidem, quæ sit earum denuntiationum causa et ratio; quid Ecclesia postulet ab iis quibus illæ res denuntiantur: quomodò obtemperandum sit Ecclesiæ; quos præcipuè spectent illæ denuntiationes. Quod ut planiùs accipiatur, operæ pretium est hìc summatim tradere quid velit Ecclesia singulis hisce denuntiationibus.

Denuntiat Ecclesia populo Christiano per Parochum suas leges, sua præcepta, Episcoporum mandata et edicta; ut eâ denuntiatione singulis innotescant, et norint omnes ea vim habere obligandi.

Denuntiat eàdem de causâ Festos dies, jejunia, abstinentias à carnibus, publicas supplicationes, etc.

Debet Parochus de his omnibus sic populum Christianum erudire, ut omnes planè intelligant quæ sit in singulis mens Ecclesiæ, quid quàque lege præcipiatur, quid prohibeatur, quid postuletur.

Denuntiat Ecclesia futura Matrimonia (*Vide hujusce Partis, Sect.* 1. *Cap.* 8. §§. 3. 4. *et* 5.), 1° Ut inquirat num futuri conjuges aliquo impedimento detineantur : 2° Ut omnibus nota sint futura conjugia, ne si fortè clandestina essent, multis pateret fraudibus et delictis aditus : 3° Ut commendet futuros conjuges orationibus fidelium.

Debet ergo Parochus docere interdùm quænam sint impedimenta matrimoniorum, ne quis fortè eorum ignorantiâ peccet, vel contrahendo matrimonium per nefas, vel non declarando si quid norit obstare quominùs denuntiatum matrimonium celebrari possit.

Denuntiat Ecclesia futuras Ordinationes (*Vide ibid. Cap.* 7. §. 13.), 1° Ut inquiratur num ordinandi aliquâ labe notentur, aliquâ impediantur irregularitate : 2° Ut probentur populo, et sic ministrent : 3° Ut commendentur orationibus fidelium tam Ordinator quàm ordinandi.

Debet itaque Parochus docere populum quos Ecclesia rejiciat ab altaris ministerio, quos admittendos putet.

Denuntiantur monitiones excommunicationum ferendarum (*Vide ibid. Cap.* 5. §. 26.), ut fideles norint teneri se sub excommunicationis interminatione retegere si quid sciant eorum, de quibus hàc denuntiatione vocantur in testimonium.

Debet itaque Parochus docere populum quæ sit vis ejusmodi denuntiationis, quinam ex vi illius teneantur ferre testimonium, quinam possint à testimonio ferendo jure abstinere.

Denuntiantur excommunicationes latæ (*Vide ibid.* §. 2.), ut norint fideles quorum communionem et consortium fugere oporteat; eoque salutari remedio excommunicati reducàntur ad meliorem frugem.

Debent ergo Parochi docere populum quos excommunicatos fugere oporteat, quid intelligatur per excommunicatorum fugam, quæ pœna sit communicantium cum excommunicatis, quinam ab eâ lege excipiantur.

Tandem denuntiantur Indulgentiæ concessæ à summo Pontifice vel ab Episcopis, ut possint fideles eâ Ecclesiæ benignitate faciliùs ad agendum seriò pœnitentiam excitari.

Debent ergo Parochi tradere populo quid sentiat Ecclesia

de salutari Indulgentiarum usu, cæteraque docere omnia quæ eà de re superiùs et quidem fusè prosecuti sumus. (*Vide ibid.* §. 19. 20. *et* 21.)

(In totâ hujusce libri serie sigillatim exponimus quid de quaque re scire Christianos oporteat. Hinc possunt Parochi haurire documenta singulis accommodata denuntiationibus quæ fiunt in Pronao.)

I. Quæ sunt Christianæ plebis officia circa denuntiationes ejusmodi?

R. Ut mentem Ecclesiæ in iis assequantur fideles, debent opere perficere quod denuntiat Ecclesia faciendum; orare pro iis qui fidelium orationibus commendantur, observare quæ præcipiuntur, cavere et abstinere ab iis quæ fieri prohibentur, retegere et denuntiare si quid norint Ecclesiæ jussu retegendum et denuntiandum. Quæ quidem omnia ut expressiùs intelligant, necesse est ut frequentes adsint Missæ parochialis officio, ibique à Sacerdote sedulò doceantur quidquid ad horum pleniorem notitiam pertinet; facientque fideles rem sibi perquàm utilem, si suæ ipsi saluti consulant legendo privatim librum hunc cæterosque hujusmodi in eam rem scriptos.

N° IX. *De Missa fidelium: ac primò, de recitatione Symboli.*

I. Quod est initium Missæ fidelium?

R. Recitatio Symboli.

Et certè ideò solùm admittebantur olim catechumeni, infideles, publici pœnitentes ad priorem Missæ partem, quæ catechumenorum dicebatur, ut interessent Pastorum sermonibus et documentis, quæ post Evangelium fiebant; quibus expeditis solemniter dimittebantur.

I. Cur post Evangelium lectum, et Pronaum absolutum, Missa fidelium incipit à Symbolo?

R. Ut simul collecti fideles solemniter ante omnia profiteantur credere se quidquid credit Ecclesia, quidquid in Missa catechumenorum ex sacris Scripturis recitatum est, quidquid Pastor mox docuit.

I. Quod Symbolum recitatur?

R. Symbolum Nicænum et Constantinopolitanum his verbis conceptum:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum. Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia secula; Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine; et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertiâ die secundùm Scripturas; et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris; et iterùm ven-

turus est cum gloria judicare vivos et mortuos ; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit : qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum ; et vitam venturi seculi, Amen.

I. Cur Symbolum hoc dicitur Nicænum et Constantinopolitanum ?

R. Quia hæc fidei formula edita magnâ ex parte primùm fuit à Patribus Nicænis, ad convellendam impietatem Arianorum, qui negabant Verbum esse ejusdem cum Patre substantiæ. Cætera addita sunt à Patribus Constantinopolitanis, excepta hâc unâ voce, *Filioque*, quæ ævi recentioris est. Rem fusiùs explico.

Hanc fidei formulam non totam Nicæni Patres, sed magnâ ex parte ediderunt : sunt enim in eâ articuli quidam adjecti subindè ab Ecclesia. In Symbolo Nicæno de Spiritu sancto pauca pro temporis illius ratione dicta sunt ; nimirùm hæc verba solummodò : *Credimus in Spiritum Sanctum.* Quibus verbis hæc addidêre Patres Constantinopolitani congregati contra Macedonium et Eunomium hæreticos negantes Spiritum sanctum esse verè Deum : addidêre, inquam, hæc verba, *Dominum et vivificantem, qui à Patre procedit, qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* Addita tandem hæc est vox, *Filioque ;* dicimusque jam, *Qui à Patre Filioque procedit.* Quæ quidem additio facta est ab Ecclesia, ut occurreretur eorum errori qui ex illis Symboli verbis, *Qui à Patre procedit*, perperàm inferebant Spiritum à solo Patre procedere. Facta autem est hæc additio primùm à quibusdam Ecclesiis sine Romanæ Ecclesiæ consensu et auctoritate ; sed accessit tandem summorum Pontificum et Conciliorum œcumenicorum Lugduni, Florentiæ, et Tridenti congregatorum auctoritas : adeò ut jam nemine Catholicorum contradicente recitetur Symbolum cum illa additione : quin et illud cum eadem additione recitatur etiamnùm in Britannia majori ab Heterodoxis, qui utuntur Liturgiâ Anglicanâ.

Ex quibus manifestè colligitur esse in Ecclesiæ potestate positum, ut novas subindè voces suæ fidei professioni adjiciat, ubi id expedire judicaverit ad planiorem explicationem veterum suorum dogmatum, contra insurgentes identidem hæreticorum sectas.

I. Quid causæ est cur Symbolum hoc in Missis singulis non recitetur ?

R. Id hodierni ritûs est in Liturgia Romana, ut non in singulis Missis Symbolum recitetur ; sed in solemnioribus solùm, quales sunt Missæ dierum Dominicorum, Festorum solemnium, quibus adjiciuntur Missæ in festis Apostolorum

et Doctorum Ecclesiæ, qui tot et tanta pro stabilienda Christi fide sustinuerunt; itemque Missæ votivæ aliquot si solemniter celebrentur pro re gravi. Primævo Ecclesiæ Romanæ ritu non recitabatur unquam Symbolum intra Missarum solemnia. Contrà in Orientalibus Ecclesiis illud intra Missarum solemnia recitari antiquissimi moris est. (A) In Eccle-

(A) Bona *Liturg. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 1. Ejectis extra Ecclesiam catechumenis, pœnitentibus, et aliis quibus peracto sermone nefas erat in ea permanere, incipit Missa fidelium, quæ, cùm severior disciplina vigebat, clausis januis agebatur, easque custodiebant Ministri, ne quis intraret immundus, vel indignus.... Ejus initium à Symbolo, quod diebus Dominicis et in aliis quibusdam Festivitatibus cantari solet. In eo præcipua Christianæ fidei dogmata continentur, de quo Tertullianus initio libri de velandis virginibus ait, *Regula fidei una omninò est, sola immobilis et irreformabilis, credendi scilicèt in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem, et filium ejus Jesum Christum, natum ex virgine Maria, crucifixum sub Pontio Pilato, tertiâ die resuscitatum à mortuis, receptum in cœlis, sedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos et mortuos, per carnis etiam resurrectionem:* Et in præscriptionibus cap. 37. *In ea regula*, inquit, *incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit.* Loquitur autem de Symbolo, quod ab Apostolis compositum fuisse priusquàm in varias orbis partes ad prædicandum Christi Evangelium dispergerentur, ut eo veluti signo seu tesserâ veri fideles à falsis discernerentur, communis Patrum sententia et vetus Ecclesiæ traditio est.... Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium cap. 9. ait: « In Symbolo fidei et spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non » scribitur in charta et atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post » confessionem Trinitatis et unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogma» tis sacramentum carnis resurrectione concluditur.... » Trecentis et ampliùs annis solo Apostolico Symbolo usa est Ecclesia, donec Arius detestandæ hæresis impiissimus auctor emersit, pro cujus damnatione coacta Nicæna Synodus novam fidei tesseram tradidit Orthodoxis, quâ ab Arianis discernerentur.... Hoc verò Symbolo in eadem Synodo recitato omnes Episcopos exclamasse legimus: *Hæc est Catholicorum fides, huic omnes credimus, in hac baptizati sumus, in hac baptizamus.* Postquàm enim publicatum fuit, omnes Ecclesiæ Orientales illud statim receperunt, et catechumenis ac fidelibus ediscendum tradiderunt, adeò ut Arianus censeretur quicunque ipsum non profitebatur. In partibus verò Occidentalibus à quibusdam Ecclesiis citiùs, ab aliis seriùs receptum fuit, prout seriùs vel citiùs Arianâ hæresi contaminari cœperunt. Novis posteà exortis hæresibus secunda Synodus œcumenica Constantinopoli coacta est, in cujus primo congressu aliud Symbolum editum fuit, quod Marcus Ephesinus in Synodo Florentina tanquàm ex communi Græcorum Patrum sententia à Gregorio Nazianzeno compositum fuisse asseruit. Utrumque autem tam Nicænum quàm Constantinopolitanum pro uno et eodem semper habitum fuit: et quod nunc cantamus in Missarum solemniis, quamvis sit Constantinopolitanum, à Magistro sententiarum *lib.* 1. *dist.* 11. et ab aliis Scholasticis Nicænum nuncupatur. Utrumque etiam confundunt Patres, quia quidquid additum est à Constantinopolitano, jam virtute in Nicæno continebatur: et cùm fides una sit, unum etiam Symbolum est, quamvis Nicænum Apostolico, Nicæno autem Constantinopolitanum quædam majoris explicationis gratiâ adjunxerint. Hoc verò ultimum in Missa cantari potiùs quàm Nicænum antiqui Patres instituerunt, non quia modulis musicis aptius sit, ut parùm rectè autumat Walfridus Strabo *cap.* 22. sed quia in eo dogmata orthodoxa clariùs exprimuntur, et omnes hæreses cò usque exortæ plenius confutantur.

N. 2. Quis omnium primus illud Liturgiæ inseruerit, aut cantari præceperit, incertum est. Radulfus Tungrensis *prop.* 23. à Marco Papa Sylvestri successore sanctum fuisse ait ut Symbolum Nicænum in Missa diceretur: at Innocentius III. *Lib.* 2. *de mysteriis Missæ cap.* 49. et alii passim scribunt, S. Damasum id recitari jussisse ad exemplum Græco-

rum. In hoc autem conveniunt omnes, quòd publicè cantari cœperit in Ecclesiis Orientalibus adversùs pravas hæreticorum opiniones, à quibus posteà ad Occidentales laudabilis usus transfusus est. Verùm Græci vivente Damaso hunc ritum nondùm admiserant: ait enim Theodorus Lector *lib.* 2 *collectaneorum*, Timotheum Patriarcham anno 510. Constantinopoli instituisse, ut Symbolum fidei per singulas synaxes diceretur, cùm anteà semel tantùm in anno diceretur in magno die Parasceves, cùm Episcopus catechumenos instruebat. Eamdem Symboli recitationem in omni conventu Petro Guapheo tribuit Nicephorus Callistus *lib.* 15. *cap.* 28. Sed hic fortassis in Antiochena, ille in Constantinopolitana Ecclesia hunc morem induxerunt; quem posteà Hispani primi inter Latinos receperunt. Exstat de hac re decretum Concilii tertii Toletani anno 589. cap. 2. « Pro reverentia sanctissimæ fidei, et propter corroborandas » hominum invalidas mentes, consultu piissimi et gloriosissimi Domini » nostri Reccaredi Regis, sancta constituit Synodus, ut per omnes Eccle» sias Hispaniæ et Galliciæ secundùm formam Orientalium Ecclesiarum, » Concilii Constantinopolitani, hoc est CL. Episcoporum, Symbolum fidei » recitetur, et priusquàm Dominica dicatur oratio voce clarà à populo » decantetur, quò et fides vera manifestum testimonium habeat, et ad » Christi corpus et sanguinem prælibandum pectora populorum fide pu» rificata accedant. » Exprimit hic Canon ritum Hispanicum, qui adhuc permanet in Missali Mozarabico, in quo post consecrationem et aliquot brevissimas preces dicit Presbyter: *Fidem quam corde credimus, ore autem dicamus.* Tùm elevat corpus Christi, ut videatur à populo, et dicit chorus Symbolum fidei, videlicet: « Credimus in unum Deum, Patrem » omnipotentem, factorem cœli et terræ; visibilium omnium et invisi» bilium conditorem. Et in unum Dominum nostrum Jesum Christum » Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia secula. Deum » ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero. Natum non fac» tum, *omousion* Patri, hoc est, ejusdem cum Patre substantiæ, per » quem omnia facta sunt, quæ in cœlo et quæ in terra. Qui propter nos » homines et propter nostram salutem descendit de cœlis, et incarnatus » est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, et homo factus est. Passus sub » Pontio Pilato, sepultus, tertiâ die resurrexit: ascendit ad cœlos, sedet » ad dexteram Patris omnipotentis. Indè venturus est judicare vivos et » mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum » vivificatorem, ex Patre et Filio procedentem, cum Patre et Filio ado» randum et conglorificandum, qui locutus est per Prophetas. Et unam » sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confitemur unum bap» tisma in remissionem peccatorum. Exspectamus resurrectionem mor» tuorum, et vitam venturi seculi. Amen. » Sic ibi cantatur Symbolum, post quod dicitur oratio Dominicalis. Hispanicas Ecclesias Gallicanæ et Germanicæ postmodùm imitatæ sunt, regnante Carolo Magno, post Felicis Hæretici damnationem, ut Walfridus testatur cap. 22.... Quando cœperit Romæ in publica Missarum celebratione cantari, narrat testis oculatus Berno Augiensis cap. 2. libri de rebus ad Missam pertinentibus: « Romani, inquit, Symbolum post Evangelium usque ad hæc tempora » divæ memoriæ Henrici Imperatoris nullo modo cecinerunt. Sed ab » eodem interrogati cur ita agerent, me coram assistente audivi eos hu» jusmodi responsum reddere, videlicet quòd Romana Ecclesia non fuis» set aliquandò ullâ hæreseos fæce infecta; sed secundùm sancti Patris » doctrinam in soliditate Catholicæ fidei permaneret inconcussa. Et ideò » magis his necessarium esse illud Symbolum sæpiùs cantando frequen» tare, qui aliquando ullâ hæresi potuerunt maculari. At Dominus Im» perator non anteà desiit, quàm omnium consensu id Domino benedicto » Apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarent. » Contigit hoc anno MXIV. quo illud suis Annalibus consignavit Baronius, hæc verba ex solida sua sapientia adjiciens: *Placent ista, sed nobis gratius, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset quàm novitati....* Exstat Symbolum in omnibus Liturgiis Græcorum, Maronitarum et cæterarum gentium, quæ in Oriente sunt.

Dom. MABILLON. M. B. *Comment. in Ordin. Rom. art.* 6. *n.* 3. *pag.* XLII. Post Evangelium Gregorius M. nullam facit mentionem de Symbolo....

sia ex ritu Mozarabico Symbolum intra Canonem et ante orationem Dominicam recitatur. (B)

I. Quid agere debet populus circumstans dùm Symbolum recitatur à choro, vel (in Missis privatis) à Sacerdote?

R. Debet illlud vel simul recitare, vel attentum habere animum ad ejus recitationem; et quidquid eo continetur id corde et ore profiteri.

N° X. *De populi Oblationibus et Eulogiis.*

I. Quid agit Sacerdos post recitationem Symboli?

R. Populum salutat his verbis: *Dominus vobiscum:* et vicissim ab eo salutatur hâc responsione: *Et cum spiritu tuo.* Deindè *oremus*, inquit: Quo verbo admonet jam jam inchoandum esse Sacrificium. (*Vide Innocent.* III. *infrà hujusce* §. *n.* XIII. *litt.* (D)

Tum accedit populus ad faciendam oblationem: et chorus intereà canit antiphonam constantem verbis è Scriptura petitis, quæ ut plurimùm exprimunt sensus ad sacrificium accommodatos. Canebatur olim Psalmus dùm populus offerret; Psalmum sequebatur pro more antiphona. Sed jam pridem, fortè ob paucitatem offerentium, sola antiphona canitur.

Et quidem plerique existimant, Symbolum in Romana Ecclesia non fuisse recitatum ante Henrici I. Imperatoris tempus: atque ad id probandum afferunt Bernonis Abbatis Augiensis testis oculati auctoritatem, qui reverà id diserlè affirmat; additque Romanos hujusce rei causam ab imperatore interrogatos respondisse, *videlicet quòd Romana Ecclesia non fuisset aliquando ullà hæreseos fœce infecta.* Sed tamen Imperatorem à Benedicto Papa id impetrasse, ut Symbolum in posterum *ad publicam Missam decantaretur:* quod anno MXIV. contigit. Verùm longè ante id tempus Symbolum in Missa Pontificali decantari mos erat, ut fidem facit libellus secundus de Ordine Romano. Et ne quis interpolationem hoc in loco causetur, Amalarius in Ecloga super hoc libello eumdem locum commentatur. Quin etiam in libellis V. et VI. de Missa Episcopali secundùm Romanos, qualis in usu erat ante seculum nonum, Symbolum post Evangelium assignatur. Itaque per illud intervallum, quod à seculo nono ad undecimum effluxit, Symboli recitationem in Missa intermissam à Romanis fuisse dicendum est.

(B) Dom. MABILLON. *Liturgiæ Gallic. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 2. Præclarum est in Missa Mozarabica institutum, ut recitato Canone Sacerdos hostiam consecratam super calicem tenens, Symbolum Constantinopolitanum præcinat ex Decreto Concilii III. Toletani, subsequente Cleri et populi concentu. Hàc enim confessione omnes et singuli contestari videntur, se eâ fide verum Christi corpus et sanguinem in Eucharistia credere, quâ fide omnipotentem Deum unum atque trinum, ac Filium incarnatum credunt. Ideò quippè Toletani Patres hoc Symbolum, « priusquàm Dominica dicatur oratio, clarâ voce à populo decantari *præcipiunt*, quò » et fides vera manifestum testimonium habeat, et ad Christi corpus et » sanguinem prælibandum pectora populorum fide purificata accedant. » Quod non solùm de fide Trinitatis et incarnationis, sed etiam de fide Eucharistiæ intelligendum est, secundùm illud quod in Missali Gothico Gallicano legitur, nimirùm in Missa LXXV. « Ut solemne hoc sacrificium » sanctificet corda nostra dùm creditur, deleat peccata dùm sumitur.

Cap. 2. *n.* 1. *In quo Ritûs Mozarabici ordinem prosequitur ait*: Posteà eam tenens (hostiam) supra calicem recitat Symbolum Nicænum seu C. P.

Eadem fusè Card. BONA *loco suprà citato litt.* (A)

I. Quid populus offert?

R. Populus olim offerebat panem, vinum, et aquam in sacrificium. Nunc panem offert, à Sacerdote solemniter benedicendum, et peracto sacro distribuendum adstantibus in signum communionis. Offert prætereà populus cereos, pecuniam, oleum alicubi, idque vel in sumptus fabricæ, vel in sustentationem Pastoris. Rem fusiùs explico.

Apud Judæos, ut diximus suprà (*hujus Sect. Cap.* 7. §. 4.), si vellet populus sacrificium pro se vel suis offerri, tradebat in manus Sacerdotis victimam, vel hostiam offerendam. Sacrificia isthæc Judaica typum fuisse sacrosancti Missæ sacrificii, quod à populo Christiano per Sacerdotum manus offertur, superiùs demonstratum à nobis fuit. (*Ibid.* §. 5. *et* 6.) Non potest quidem populus tradere Sacerdoti victimam offerendam, corpus nimirùm et sanguinem Domini nostri Jesu Christi: sed ejus loco tradit Sacerdoti panem, vinum, et aquam, quæ in corpus et sanguinem Christi transmutentur. Hoc facit etiamnùm populus per manus Diaconi, qui nomine populi tradit Sacerdoti panem, et in calice vinum aquâ mixtum, quibus constat materia Sacrificii. Hoc fuit olim in more positum, ut singuli panem et vinum offerrent: et in obsequio defunctorum etiamnùm intra Missarum solemnia singuli panem pluribus in Ecclesiis offerunt. Ex illis oblationibus sumebat olim in sacrificium Sacerdos quantùm satis esset ad suam et populi communionem, et hæc offerebat primùm Deo, deindè consecrabat. Id patet ex multis Orationum formulis, quæ recitantur etiamnùm, quibus petit à Deo Sacerdos ut dona in Christi corpus transmutanda, quæ *singuli obtulerunt*, accepta sint Deo, et singulis prosint ad salutem. (A)

Proindè qui arcebantùr à sacrâ communione corporis Christi, illi arcebantur quoque ab oblatione facienda, ut constat tùm ex Synodo Eliberitana (B), tùm ex pluribus aliis Conciliis.

Cùm autem, ob nimiam laïcorum in re tanta negligentiam, sumpsissent sibi Clerici curam conficiendi panis in usum sacrosanctæ Eucharistiæ, factum est tandem succedente tempore, ut laïci offerre panes desierint intra Missarum solemnia in usum sacrificii: sed ejus loco offerri cœpit totius populi nomine panis benedicendus, et peracto sacro distribuendus per partes in signum communionis. Cæteri pecuniam obtulerunt ad Sacerdotis sustentationem, vel Ecclesiæ sartatecta, et publicorum Officiorum sumptus. Quod hodierni quoque moris est.

(A) Mabillon. M. B. *Comment. in Ord. Rom. n.* 9. *art.* 4. Oblationem quisque suam non modò laïci utriusque sexùs, sed etiam Sacerdotes et Diaconi in Missa Pontificali faciebant.... Panem solum absque vino Sacerdotes et Diaconi offerebant.

(B) Concil. Illiberit. *ann.* 305. *can.* 27. Episcopos placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.

Canone 9. Concilii Nannetensis seculo nono habiti hoc sancitum est : « Ut de oblationibus quæ offeruntur à populo, » et consecrationi supersunt, vel de panibus quos offerunt » fideles ad Ecclesiam, vel certè de suis, Presbyter conve- » nienter partes incisas habeat in vase nitido, ut post Mis- » sarum solemnia qui communicare non fuerunt rati, » Eulogias omni die Dominico et in diebus festis exindè » accipiant : et illa, undè Eulogias Presbyter daturus est, » antè in hæc verba benedicat : »

ORATIO.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc panem tuâ sanctâ et spirituali benedictione, ut sit salus mentis et corporis, atque contra omnes morbos et universas inimicorum insidias tutamentum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, panem vitæ, qui de cœlo descendit, et dat vitam et salutem mundo, et tecum vivit et regnat, etc.

Hæc oratio etiamnùm iisdem ferè verbis usurpatur in benedictione panis inter Missarum solemnia oblati ad Eulogias ex prisco ritu.

Colligitur autem ex eo Canone, id antiquitùs moris fuisse, ut ex oblationibus aliquæ secernerentur in sacrificium, aliæ benedicerentur ad Eulogias non communicantibus distribuendas. Id patet quoque ex libro Sacramentorum sancti Gregorii, in quo hæc leguntur ; *Et offeruntur à populo panis et vinum, è quibus in altari ponuntur ut sacrentur.* Consonat Ordo Romanus his verbis : *Archidiaconus accipiens per Subdiacones oblatas, hinc indè porrigentes eas, ponit tantas super altare, quantæ possint populo sufficere.* (*Ordo Rom.* 3. *n.* 13. *Musæi Italici, tom.* 2. *pag.* 57.)

Ex his omnibus liquet quæ sit origo ritûs illius qui viget nunc apud nos, ut intra Missarum solemnia panis solemniter offeratur, benedicendus à Sacerdote, ac posteà distribuendus tam iis qui interfuêre sacrificio quàm absentibus. (C)

(C) Bona. *Liturg. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 4. Mos fuit in veteri Ecclesia, ut qui ad sacram synaxim conveniebant, panem et vinum portarent et offerrent.... Ritus autem priscus fuit ea duntaxat offerre, quæ sacrificio usui erant, panem scilicet et vinum : reliqua supra altare offerri prohibet *can.* 3. *Apostolor.*... Permittit autem offerri et benedici oleum ad luminaria : et incensum, novasque spicas et uvas, ex quibus fiunt panis et vinum, quæ sunt propria hujus sacrificii elementa... Mos veteris Ecclesiæ fuit non conficere Sacramenta, nec quidpiam ad ea pertinens benedicere, nisi ex oblatis.... Mos autem antiquus erat, ut qui communicandi jus non habebant, iidem offerre prohiberentur, ut ex Concilii Illiberitani can. 28. manifestum est : *Episcopum placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.* Omnes enim qui Missæ intererant et communicabant, panem quoque et vinum offerebant, ex quibus Eucharistia conficeretur ; atque ideò cum jure communicandi annexum erat jus offerendi.

M. Bocquillot *Traité historique de la Liturg. liv.* 2. *ch.* 10. Eulogie vient d'un mot Grec, qui signifie bénédiction. Saint Paul a donné ce nom à l'Eucharistie même.... Mais depuis qu'on a substitué à la place de l'Eucharistie des pains offerts ou bénits à l'Autel, pour les envoyer au loin en signe de communion, et pour les distribuer aux fidèles qui ne

I. Qui jam intersunt Missæ solemni iis in Ecclesiis, in quibus antiquus oblationum ritus viget, debentne singuli ad oblationem accedere?

R. Ea sanè Ecclesiæ mens est, ut singuli accedant, nisi ob gravia delicta secundùm ex sententia Ecclesiæ quis fortè ab oblatione prohibeatur. (D)

I. Quinam ab oblatione facienda prohibentur?

R. Qui notantur infamiâ, publicè excommunicati, et interdicti ab ingressu Ecclesiæ, publici peccatores denuntiati, cæterique qui sententiâ Judicis vel jure Canonico à sacra communione prohibentur.

I. Quâ mente accedendum est ad oblationem?

R. 1° Qui offert donum ad altare, offerre semetipsum debet Deo *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* (*Rom.*

communiaient pas, on a donné à ces pains le nom d'Eulogie.... Les Evêques s'envoyaient aussi les uns aux autres ces pains de bénédiction, pour marquer l'unité qui était entre eux, et accompagnaient ce présent d'un compliment honnête, et plein de témoignages de leur charité réciproque.... Outre ces Eulogies particulières que les Evêques et les Prêtres s'envoyaient ainsi les uns aux autres, il y en avait qui se distribuaient aux fidèles dans leurs assemblées publiques... Quand les fidèles commencèrent à se contenter d'offrir et d'assister au Sacrifice, sans y communier, l'Eglise crut qu'au moins il fallait les porter à communier spirituellement, et les y exciter par quelque signe ou symbole extérieur qui représentât la communion sacramentale. Rien n'était plus propre à ce dessein que les restes de pain et de vin que l'on avait offerts, mais qui n'étaient pas consacrés. On leur distribua donc les oblations non consacrées, ou après la communion du Clergé, et de ceux qui s'étaient présentés à la sainte Table, ou tout-à-fait après la Messe; mais avant que le Diacre donnât le congé. Comme ces Eulogies étaient une espèce de supplément à l'Eucharistie, on les distribuait avec les mêmes cérémonies extérieures: l'Evêque ou le Prêtre célébrant donnait le pain, et le Diacre présentait la coupe. Les fidèles les recevaient avec respect, baisant la main du Prêtre qui les distribuait. Chacun recevait ce pain bénit dans sa main, et on faisait sur soi le signe de la croix avant que de le porter à sa bouche. Il fallait être à jeun pour en manger, et ceux qui le recevaient dans la main après avoir mangé, le donnaient à ceux qui étaient à jeun auprès d'eux, pour le manger dans l'Eglise même. On en envoyait aux absens, et les chefs de famille en emportaient à ceux de leurs maisons qui n'avaient pu se trouver à l'assemblée. On n'en donnait point ni aux infidèles, ni à ceux des fidèles qui étaient excommuniés.... Ceux qui sont instruits de l'usage du pain bénit, et de ce qu'il signifie, ne font plus de scrupule de le manger dans l'Eglise même; ils font avec respect le signe de la croix avant que de le porter à leur bouche; le mangent avec piété dans la vue de communier spirituellement, et de s'unir avec Jésus-Christ et avec tous ses membres: ils inspirent à leurs enfans et à leurs domestiques le même respect, et ne manquent pas de leur dire lorsqu'ils leur en portent, qu'il ne faut pas manger le pain bénit comme du pain commun, sans attention à ce qu'il représente, sans regret de ses péchés, sans désir de retourner à Dieu par la pénitence, sans pardonner et se réconcilier avec ses ennemis, ou du moins sans le désirer de tout son cœur.

(D) Concil. Carthagin. IV. *an.* 398. *can.* 93. Oblationes dissidentium fratrum neque in sacrario, neque in gazophylacio recipiantur.

Can. 94. Eorum qui pauperes opprimunt dona à Sacerdotibus refutanda, etc.

Dom. Joan. Mabillon. *Liturg. Gallic. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 26. Qui non communicabant, Eulogias accipiebant, nisi communionis Ecclesiasticæ essent exsortes.

XII. 1.) Nam oblatio exterior signum debet esse interioris, alioqui nullius est apud Deum momenti.

2° Pacifico animo ad oblationem accedendum est, secundùm ea quæ Christus ait (*Matth.* v. 23. *et* 24.): *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum.* Et hæc quidem ob verba fuit olim hoc in more positum, ut ante oblationem darent sibi invicem singuli osculum pacis, quod fit etiamnùm ante communionem. (E) Eam ob rem quoque Sacerdos fidelium oblationes suscipiens, dat singulis offerentibus patenam, vel Christi cruci affixi imaginem, vel suam manum osculandam, in signum pacis, hæc verba subjiciens: *Pax tibi.* Respondentque singuli: *Et cum spiritu tuo.*

3° Debet unusquisque libenter et liberaliter pro suis quisque facultatibus offerre quod necesse est ad Pastorum sustentationem et Ecclesiæ cultum et ornatum. (F)

4° Cavendum est ne pius ille ritus ad vanitatis trophæum et pompam inanem, ut fit sæpiùs, contra mentem Ecclesiæ detorqueatur.

5° Debent Pastores sedulam adhibere cautionem, ne ad oblationem accedant qui ab eâ canonicis sanctionibus arcentur. Ne quid tamen eâ de re temerè fiat, satius est in dubiis consulere priùs Episcopum.

More apud nostrates Gallos recepto, neminem ab oblatione et communione prohibendum existimamus nomine delicti publici, nisi sententia Judicis accesserit, quâ delictum constet. Excipiuntur tamen hac lege, 1. qui eam conditionem publicè profitentur, cui infamia adjuncta est; quales sunt histriones, cæterique qui artis ludicræ, pronuntiandive vel canendi aut saltandi causâ in scenam prodeunt, quæstum hàc arte facientes. (G) 2. Feminæ, si quæ fortè cultu ornatuque meretricio, nudato pectore, facie fuco et pigmentis deturpatâ, ad sacram oblationem accedere non verentur. 3. Quisquis in ipsa sacrosancti Sacrificii celebratione id agit, undè gravis offensio circumstantium in animis palàm et publicè concitetur. Sit tamen zelus Sacerdotis cum prudentia semper conjunctus.

(E) S. JUSTIN. Mart. *Apolog.* 2. *pro Christian. n.* 85. Sub finem precum nos inter nos osculo salutamus.

(F) 2. CORINTH. IX. 6. Hoc autem dico: Qui parcè seminat, parcè et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet. 7. Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.

(G) DIGEST. *Lib.* 2. *tit.* 2. *de his qui notantur infamiâ*, *Leg.* 1. Prætoris. §. 1. Infamiâ notatur.... qui artis ludicræ, pronuntiandive causâ in scenam prodierit.

Leg. 2. Quod ait. §. *ult.* Ait Prætor, qui in scenam prodierit, infamis est. Scena est, ut Labeo definit, quæ ludorum faciendorum causâ, quolibet loco, ubi quis consistat, movealurque spectaculum sui præbiturus, posita sit: in publico, privatove, vel in vico: quo tamen loco passim homines spectaculi causâ admittantur.

I. Quo ordine procedendum est ad oblationem ?

R. Debet primùm Clerus offerre ; deindè laïci pro sua quisque dignitate ; denique mulieres.

N° XI. *De oblatione panis et vini seorsùm factâ per Sacerdotem.*

I. Quid agit Sacerdos post factam à circumstantibus oblationem ?

R. Sacerdos olim, ut diximus (*super.* §.), ex donis à circumstantibus oblatis sumebat de manu Diaconi quantum necesse erat ad suam et populi communionem, idque offerebat Deo, oblationesque ipsas et altare thurificabat.

Nunc autem paratum à Ministris, nec oblatum à populo circumstante, panem et vinum aquâ mixtum accipit de manu Diaconi plebis nomine, panemque ac deindè vinum aquâ mixtum affert, concepta ad panis ac deindè ad vini oblationem verba proferens.

I. Quibus verbis offert panem ?

R. His verbis : *Suscipe sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis, offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus ; sed et pro omnibus fidelibus Christianis, vivis atque defunctis ; ut mihi et illis proficiat ad salutem, in vitam æternam. Amen.*

I. Cur panem hunc, nondùm utique consecratum, panem itaque nudum, vocat Sacerdos, *immaculatam hostiam ?*

R. Verba isthæc, quibus Sacerdos utitur sæpè ante consecrationem, non ad panem referuntur, sed ad Christi corpus, in quod panis jam jam convertendus est : neque enim panis potest quidquam ad remissionem peccatorum, et ad salutem vivorum et mortuorum. Itaque orationis illius hic sensus est : *Suscipe, sancte Pater immaculatam hostiam, in quam panis hic jam jam convertendus est, et quam tibi offero pro, etc.*

I. Dùm Sacerdos vinum aquâ diluit, quid recitat tacitus ?

R. Hanc recitat orationem : *Deus qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabiliùs reformasti, da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia secula seculorum. Amen.*

In Missali Ambrosiano non habetur hæc oratio, sed ejus loco dicit Sacerdos : *De latere Christi exivit sanguis et aqua, in nomine Patris † et Filii et Spiritûs sancti. Amen.* Hanc eamdem formulam in aquæ et vini commixtione retinent etiamnùm Carthusiani.

In aliarum Ecclesiarum Missalibus antiquis eadem ferè habentur. Cistercienses veteri ritu dicunt : *Sicut de latere*

Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis et aqua, sic fiat pariter commixtio vini et aquæ in remissionem peccatorum nostrorum.

Græci aquam bis infundunt in calicem, 1° frigidam; tuncque pungens Sacerdos panem sanctâ lanceâ, ait : *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit, statimque exivit sanguis et aqua.* (*Joan* XIX. 34.) 2° Post consecrationem, antequàm communicet Sacerdos, Diaconus offert Sacerdoti aquam fervidam benedicendam, quam Sacerdos benedicit his verbis : *Benedictus fervor Sanctorum tuorum jugiter, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.* Tum Diaconus hanc aquam immittens in sanguinem Christi ait : *Fervor fidei plenus Spiritu sancto. Amen.*

Ritus ille apud Græcos antiquissimus est; nec illum improbavit unquam Ecclesia Latina, ut observat doctissimus Cardinalis Bona; quanquam non defuerint Theologi qui illum carpserint, ex ignoratione approbati ritûs, inquit Cardinalis eruditissimus.

I. Cur aquam in vinum infundit Ecclesia ad sacrificium?

R. 1. Ut servet ritum à Christo observatum et traditum.

2. Ut innuat mysterium hâc commixtione expressum.

I. Quâ ratione novimus Christum adhibuisse ad consecrationem calicis vinum aquâ temperatum?

R. Altum quidem eâ de re silentium in Scripturis : id verò certissimâ traditione constat, ut suprà diximus in capite de sacro-sancto Eucharistiæ sacramento. (*Hujusce Partis Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 2.) (A)

I. Quale mysterium eâ commixtione designatur?

R. 1° Mysterium incarnationis Dominicæ, quâ natura humana conjungitur hypostaticè cum divina.

2° Mysterium sanguinis et aquæ, quæ de corpore Christi lanceâ perforati fluxerunt.

3° Mysterium coadunationis fidelium cum Christo capite. Hoc sic explicat S. Cyprianus in Epistola ad Cæcilium : *Videmus in aqua populum intelligi, in vino ostendi sanguinem Christi. Quando autem in calice aqua vino miscetur, Christo populus adunatur, et credentium plebs ei quem credidit copulatur et conjungitur. Quæ copulatio et conjunctio aquæ et vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab*

(A) S. CLEMENS, *seu* AUCTOR *Constitut. Apost. Lib.* 8. *cap.* 12. *Similiter et calicem, postquam miscuit ex vino et aqua, et sanctificavit, dedit eisdem dicens, Bibite ex eo omnes. Hic est sanguis meus, etc.*

S. JUSTINUS Martyr *Apolog.* 2. *versus finem.* Deindè ei qui præpositus est fratribus panis offertur et poculum aquâ et vino temperatum. Posteaquàm et is qui præest gratias egit, et populus omnis benedixit; ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant unicuique eorum qui adsunt percipiendum panem, vinum et aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt.

S. AMBROSIUS *Lib.* 5. *de Sacram. cap.* 1. *n.* 2. Dixìmus ergo quòd in altari constituatur calix et panis. In calicem quid mittitur? Vinum. Et quid aliud? Aqua.

S. CYPRIANUS *Epist.* 63. *ad Cæcilium. Vide in Textu Resp. seq. et hujus Partis Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 2. *cum* IRENÆI *et aliorum auctoritatibus litt.* (C)

invicem separari. Undè Ecclesiam, id est, plebem in Ecclesia constitutam, fideliter in eo quod credidit perseverantem, nulla res separare poterit à Christo. Sic autem in sanctificandò calice Domini aqua sola offerri non potest, quomodò nec vinum solum potest. Nam si vinum solum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis : si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo.

Hæc omnia exprimuntur in orationibus suprà transcriptis, quæ ex ritu variarum Ecclesiarum recitantur dùm fit illa commixtio. (B)

I. Aquam benedicit Sacerdos antequàm illa infundatur in calicem, non benedicit vinum. Quæ est hujus ritûs ratio ?

R. Olim vinum aquâ dilutum benedicebat, nunc solam aquam benedicit. Cujus ritûs hanc rationem tradit Durandus : *Vinum*, inquit, *in hoc loco Christum significat, qui nullâ eget benedictione : aqua populum, qui in hac vita nequit esse sine peccato, propter quod indiget benedictione Dei, ut reddatur dignus ad præmissam unionem cum Christo. Ad hoc igitur significandum, aqua benedicitur, quando vino admiscetur.*

I. Cur in Missis defunctorum Sacerdos non benedixit aquam, antequàm infundatur in calicem ?

R. Recentior est ille ritus. Indè sumpsit originem, quòd ut diximus (*suprà hocce* §.), aqua vino mixta spectatur ut typus populi Christiani Christo per gratiam adunati. Quâ significatione positâ habita est ratio vel circumstantis populi, cui non datur benedictio in Missis defunctorum, etiam post finem Missæ, vel fidelium in igne purgatorio peccati reliquias eluentium, quibus hîc ideò non datur benedictio, quia non pertinent ampliùs ad jurisdictionem Ecclesiæ militantis. Sic rem explicat Gavantus in Com-

(B) S. Ambros. *Lib* 5. *cap.* 1. *n.* 2. Quid sibi vult admixtio aquæ ? Rationem accipe.

N. 3. Primùm omnium figura, quæ antè præcessit tempore Moysi, quid habet ? Quia cùm sitiret populus Judæorum, et murmuraret quòd aquam invenire non possent, jussit Deus Moysi ut tangeret petram de virga. (*Exod.* xvii. 6.) Tetigit petram, et petra undam maximam fudit, sicut Apostolus ait : *Bibebant autem de spiritali consequente eos petrâ : petra autem erat Christus.* (1. *Cor.* x. 4.) Non immobilis petra quæ populum sequebatur. Et tu bibe, ut te Christus sequatur. Vide mysterium. Moyses, hoc est, Propheta. Virga, hoc est, verbum Dei. Sacerdos verbo Dei tangit petram, et fluit aqua, et bibit populus Dei : Tangit ergo Sacerdos, redundat aqua in calice, salit in vitam æternam, et bibit populus Dei, qui Dei gratiam consecutus est. Didicisti ergo hoc.

N. 4. Accipe et aliud. In tempore Dominicæ passionis, cùm sabbatum magnum instaret ; quia vivebat Dominus noster Jesus Christus, vel latrones, missi sunt qui percuterent eos : venientes autem invenerunt defunctum Dominum Jesum Christum. Tunc unus de militibus lanceâ fetigit latus ejus, et de latere ejus aqua fluxit et sanguis. (*Joan.* xix. 33.) Quare aqua ? Quare sanguis ? Aqua, ut emundaret : sanguis, ut redimeret.

Nicephorus *lib.* 18. *cap.* 53. Jacobitæ re divinâ faciendâ azymo non pane utuntur, et ad eam vinum aquâ non temperatum adhibent ; unam ea re in Christo naturam designantes : neque sicuti nos calicem miscent, per quam mistionem duarum naturarum unionem declaramus.

mentario Rubricarum Missalis : *Sicut in fine Missæ defunctorum*, inquit, *non benedicitur populus, ita nec aqua quæ eumdem populum significat, ut diximus : vel aqua hoc loco significat populum purgatorii, qui jam est in gratia.*

I. Quam orationem recitat Sacerdos ad oblationem calicis ?

R. Hanc : *Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam, ut in conspectu Divinæ majestatis tuæ pro nostrâ et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.*

Hanc ipsam orationem recitat Diaconus simul cum Sacerdote, pedem calicis tenens.

I. Cur Diaconus recitat hanc orationem simul cum Sacerdote ?

R. Quia ipse vinum in calicem infudit, ipse Christi sanguinem sub specie vini distribuebat olim populo, ipse personam gerit totius populi, cujus nomine sacrificium offertur. Qui quidem populus sub symbolo aquæ mixtus Christi corpori offertur et ipse cum Christo.

I. Cur calix nudum vinum continens, vocatur tamen *calix salutaris ?*

R. Eamdem ob causam propter quam panis nondùm consecratus, appellatur *Immaculata hostia.* Iis verbis designantur corpus et sanguis Christi, in quorum substantiam panis et vinum jam jam transmutabuntur.

I. Quid agit Sacerdos post calicis oblationem ?

R. Sacerdos junctis super altare manibus, pronus corpore, dicit tam suo quàm populi nomine sequentem orationem è Scripturis petitam :

In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur à te, Domine ; et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodiè, ut placeat tibi, Domine Deus. (*Daniel.* III. 39. *et* 40.)

Deindè erectus, elevatis in cœlum oculis, manibusque expansis et statim junctis, quasi gratiam et virtutem sancti Spiritûs advocaturus, cruce signat panem et calicem, hæc verba simul proferens :

Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum.

Dictâ hâc oratione, Sacerdos ministrante Diacono thus ponit in thuribulum, et benedicit his verbis :

Per intercessionem sancti Michaëlis Archangeli stantis à dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, dignetur Dominus incensum illud benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Amen.

Deindè Sacerdos panem et vinum et totum altare thure adolet.

Dùm thure adolet oblata, recitat hanc orationem :

Incensum istud à te benedictum ascendat ad te, Domine, et descendat super nos misericordia tua.

In altaris autem thurificatione recitat hos versus Ps. CXL.

Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. (*v.* 2.) *Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis* (*v.* 3.) : *Ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.* (*v.* 4.)

Finità thurificatione, reddit Sacerdos thuribulum Diacono, dicens :

Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ charitatis.

Tùm Sacerdos thure suffìcitur à Diacono. Et adolentur item thure Sanctorum reliquiæ, si quæ sunt extra altare ; deindè chorus, denique Ministri altaris : cujus thurificationes suprà exposuimus. (*Hujusce Sect. Cap.* 6. §. 4.)

I. Quid agere debet populus dùm Sacerdos offert Deo panem et vinum ?

R. Debet vel easdem cum Sacerdote preces privatim recitare, vel mente conjungi cum Sacerdote, idemque petere à Deo quod petit Sacerdos.

I. Quid agere debet populus dùm thure adolctur panis, vinum, altare, etc.

R. Mentem debet erigere ad Deum, orare intensiùs, faciet-que rem ad hunc ritum apprimè accommodatam, si recitaverit hos versus Psalmi CXL. *Dirigatur, Domine, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo*, etc.

N° XII. *De Lotione manuum : et de oratione*, Suscipe sancta Trinitas.

I. Cur Sacerdos lavat manus postquàm thus adolevit ?

R. 1° Ut eas emundet à sordibus quæ adhærere ipsis potuerunt ex contrectatione thuribuli, et oblationum. Neque enim debet Sacerdos nisi lotis summâ diligentiâ manibus et digitis contrectare sacratissimum Christi corpus.

2° Lotio illa manuum signum est summæ puritatis animæ, sine quâ nefas est accedere ad sacrosanctum Sacrificium offerendum. Hanc rationem tradit Cyrillus in Catechesi mystagogica 5. (A) ritum hunc explicans recèns baptizatis.

(A) S. Cyrill. Hieros. *Catech. Mystag.* 5. Vidistis igitur Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem Sacerdoti, et illis qui circùm altare Dei stabant Presbyteris. Num ideò prorsùs dabat, ut sordes corporis abluerentur ? Nequaquam. Nec enim adeò sordibus corporis fœdati in Ecclesiam ingredi solemus. Sed illa manuum ablutio, symbolum est oportere vos à peccatis omnibus et iniquitatibus mundari. Cùm enim per manus designentur actiones, lavare certè easdem munditiem et puritatem operum significat. Nonne audistis David mysteria tractantem ista, et dicentem : *Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum Domine*? (*Ps.* XXV. 6.) Itaque manus abluere, est symbolum non obnoxium esse peccatis.

Joan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 6. Postquàm Sacerdos thus adolevit, lavat manus in signum puritatis animæ, ut ait Clemens *lib.* 8. *Const. cap.* 11. Dionysius quoque *cap.* 3. *Hierarch. Eccles.* non solùm Pontificem sacris operantem, sed omnes etiam Presbyteros manus abluisse docet.... Adstipulatur Cyrillus Hierosol. initio Catechesis 5. mystag. dicens : *Vidistis Diaconum aquam lavandis manibus porrigentem*

Ac propterea Sacerdos lavans manus petit à Deo, ut cor suum mundet vel à levissimis delictis. Hàc mente recitat versus sequentes Psalmi XXV.

(*v.* 6.) *Lavabo inter innocentes manus meas : et circumdabo altare tuum, Domine :* 7. *ut audiam vocem laudis, et enarrem universa mirabilia tua.* 8. *Domine, dilexi decorem domûs tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ.* 9. *Ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam ;* 10. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* 11. *Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me et miserere mei.* 12. *Pes meus stetit in directo : in Ecclesiis benedicam te, Domine. Gloria Patri, etc.*

I. Quid agere debet populus dùm Sacerdos lavat manus ?

R. Debet petere, ut divinâ gratiâ detergeantur delicta sua vel levissima. Hàc mente privatim recitare decet eosdem Psalmi XXV. versus quos recitat Sacerdos, *Lavabo inter innocentes, etc.*

I. Quam orationem recitat Sacerdos submissâ voce in medio altaris inclinatus, postquàm lavit manus ?

R. Orationem, quâ rursùm dona sacranda offert Deo : ideoque elevatis in cœlum oculis et manibus, ac statim demissis, ait :

Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Passionis, et Resurrectionis, et Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, et in honorem beatæ Mariæ semper virginis, et b ati Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum ; ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem ; et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

I. Quid causæ est cur Sacerdos panem et vinum iterùm offerat hàc oratione : *Suscipe sancta Trinitas*, cùm jam panem obtulerit dicens, *Suscipe sancte Pater, etc.* et vinum his verbis, *Offerimus tibi, Domine, calicem, etc.*

R. Multæ sunt Ecclesiæ in quibus Sacerdos panem et vinum simul offert hàc oratione, *Suscipe sancta Trinitas*, vel aliâ simili ; nec offert separatim panem et vinum. Quem ritum tota ferè servabat non ita pridem Ecclesia Gallicana, et retinent etiamnùm Dominicani, Carmelitæ, etc. Sed aliæ multæ exstant Ecclesiæ, in quibus viget, antiquissimo ritu, mos hodiernus Ecclesiæ Romanæ, panem primùm, deindè vinum, posteà utrumque simul offerendi : et id quidem observavit semper Ecclesia Mediolanensis ex ritu Ambrosiano : Suum debet eà de re unaquæque Ecclesia ritum tenere : parum quippè interest, an id primâ an alterâ ratione fiat. (B)

Sacerdoti, et illis qui circùm altare Dei stabant Presbyteris. Communis est omni nationi hic ritus manus abluendi post oblationem, Græcis, Latinis, Maronitis, et aliis Orientalibus.

(B) ORDINAR. CARTHUS. *cap.* 26. *n.* 24. Incipit secretas.... et tunc tenet manus utrasque super calicem et hostiam expansas.

JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 2. In Ordine Romano nulla fit mentio orationum, quæ dici solent à Sacerdote, dùm oblationes et reliqua peraguntur; quas nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, nec Alcuinus, nec Amalarius, nec alii Romanæ Missæ expositores commemorant; quia ut observat Micrologus *cap.* 11. Romanus Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante secretam; et ideò omnis ista actio sub silentio complebatur. Ex hac autem consuetudine Romanæ Ecclesiæ quorumdam Scholasticorum opinio convellitur, asserentium oblationem istam cum orationibus eidem assignatis ad Sacrificii integritatem pertinere. Fatentur quidem et agnoscunt omnes Theologi oblationem esse intrinsecam Sacrificio; sed in qua ejus parte consistat, an cùm Sacerdos præscripto ritu panem et vinum offert, an cùm peractà consecratione ea verba profert; *Undè et memores Domine, nos, servi tui, offerimus præclaræ majestati tuæ hostiam puram*, et quæ sequuntur, quæstio inutilis est. Oblatio enim cùm sit inseparabilis à sacrificio, à certa precum sive rituum formula non dependet; alioquin sacrificium Apostolorum et cæterorum, qui nondùm institutis hujusmodi orationibus vixerunt, oblatione caruisset. Quidquid igitur Offertorii nomine comprehenditur, simplex cæremonia, ac merè accidentalis est mox futuri sacrificii præparatoria. Hinc etiam discimus qua de causa orationes quæ in offertorio dicuntur in diversis Ecclesiis diversæ sint; quia cùm diù Romana Ecclesia sibi peculiares instituit, Micrologus duas tantùm profert ex Ordine Gallicano, nempè *Veni sanctificator, et Suscipe sancta Trinitas.* Ordo Romanus in secunda descriptione Missæ hanc solam commemorat, *Veni sanctificator*, quæ non est Romanæ Ecclesiæ sed partium Occidentalium. In antiquis Missalibus Monasticis hâc unicâ oratione panis et vinum offerùntur:

« Suscipe sancta Trinitas unus Deus hanc oblationem, quam tibi offe» rimus in memoriam Beatæ Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis » Domini nostri Jesu Christi, et in honorem Beatæ Mariæ semper virgi» nis genitricis ejusdem Domini nostri, et omnium Sanctorum et Sanc» tarum, cœlestium virtutum, et vivificæ crucis: ut eam acceptare dig» neris pro nobis peccatoribus, et pro animabus omnium fidelium de» functorum. Qui vivis. *Ita olim Cistercienses.* »

Ritu Ecclesiæ Lugdunensis cùm Sacerdos calicem discooperit, ait: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Tùm accipiendo calicem dicit: *Hanc oblationem quæsumus, omnipotens Deus, ut placatus accipias, et omnium offerentium, et eorum pro quibus tibi offertur peccata indulge.* Deindè elevat calicem dicens: *In spiritu humilitatis, etc.* Et post incensatum altare, et lotas manus, ait: « Veni sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, » et tui amoris in eis ignem accende. *Tum incinat se ante altare, et dicit:* » Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memo» riam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, et Ascen» sionis Domini nostri Jesu Christi, et in honorem Virginis Mariæ, et in » honorem omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio » mundi; seu eorum quorum hodiè festivitas celebratur, et quorum no» na et reliquiæ hic habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem » ad salutem; ut illi omnes Sancti pro nobis intercedere dignentur in » cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eumdem Dominum » nostrum. »

Ritu Ecclesiæ Salisburiensis panis et vinum simul offeruntur hâc oratione: « Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam ego indignus » peccator offero in honore tuo, Beatæ Mariæ, et omnium Sanctorum » tuorum, pro peccatis et offensionibus meis, et pro salute vivorum et » requie omnium fidelium defunctorum. In nomine Patris, et Filii, et » Spiritûs sancti acceptum sit omnipotenti Deo hoc sacrificium novum. »

In Missali Hispalensi ad hostiam offerendam dicitur hæc oratio: « Ac» ceptabilis sit majestati tuæ omnipotens Deus hæc oblatio, quam tibi » offerimus pro reatibus et facinoribus nostris, et pro stabilitate sanctæ » Dei Ecclesiæ Catholicæ. *Ad calicem*: Offerimus tibi Domine calicem » Christi filii tui, humiliter deprecantes clementiam tuam, ut ante cons» pectum divinæ Majestatis tuæ cum odore suavitatis ascendat. »

In antiquo Missali MS. Bibliothecæ Vaticanæ cod. 4772. quod alicujus Monasterii fuisse constat, sic fit oblatio. Quando Diaconus offert calicem Presbytero, calicem scilicet cum patena et hostia superposita, dicit: *Immola Deo sacrificium laudis, et redde Altissimo vota tua.* Et Sacerdos, accipiens oblationem dicit: *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.* Et consequenter dicit hanc orationem: « Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro me peccatore, et nostræ congregationis salute, et pro omnibus in Christo fratribus et sororibus nostris, et pro omni populo Christiano, et pro omnibus eleemosynas nobis facientibus, et pro his etiam qui se commendaverunt in nostras orationes, et qui nostri memoriam in suis orationibus habent; ut hic veniam recipiamus peccatorum, et in futuro præmia consequamur æterna. *Cùm superposita fuerit oblatio in altari dicat:* Acceptum sit Domino Deo omnipotenti istud sacrificium altari suo superimpositum. In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti sit signatum, et consecratum, et benedictum sacrificium. *Super oblata:* Sanctifica, Domine, hanc oblationem, ut nobis unigeniti tui corpus fiat. *Super calicem:* Sanctifica quæsumus, Domine, hûnc calicem, ut nobis unigeniti tui sanguis fiat. »

In Missa codicis Tiliani apud Menardum, et in ea quam edidit Illyricus, diversæ habentur formulæ oblationum, generales et particulares. Sunt et aliæ in aliis Missalibus, quæ ferè cum suprà scriptis coincidunt. Omnium brevissima est sequens oratio, quâ panem et vinum simul offerunt Fratres Prædicatores: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam passionis Domini Jesu Christi; et præsta ut in conspectu tuo tibi placens ascendat, et meam et omnium fidelium salutem operetur æternam.*

Ritu Ambrosiano Sacerdos offerens hostiam dicit: « Suscipe, clementissime Pater, hunc panem sanctum, ut fiat unigeniti tui corpus, in nomine Patris, etc. *Et dùm offert calicem ait:* Suscipe, clementissime Pater, hunc calicem, ut fiat unigeniti tui sanguis, in nomine Patris, etc. *Deindè junctis manibus et inclinatus dicit:* Omnipotens sempiterne Deus placabilis et acceptabilis sit tibi hæc oblatio, quam ego indignus pro me misero peccatore et pro delictis meis innumerabilibus tuæ pietati offero, ut veniam et remissionem omnium peccatorum meorum mihi concedas; et iniquitates meas ne respexeris, sed sola tua misericordia mihi prosit indigno. *Tùm stans in manibus extensis prosequitur:* Et suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus pro regimine et custodia atque unitate Catholicæ fidei, et pro veneratione quoque beatæ Dei genitricis Mariæ, omniumque simul Sanctorum tuorum: et pro salute et incolumitate famulorum famularumque tuarum et omnium pro quibus clementiam tuam implorare pollicili sumus, et quorum quarumque eleemosynas suscepimus, et omnium fidelium Christianorum tam vivorum quàm defunctorum: ut le miserante remissionem omnium peccatorum, et æternæ beatitudinis præmia in tuis laudibus fideliter perseverando percipere mereantur, ad gloriam et honorem nominis tui, Deus misericordissime rerum conditor. Per Christum Dominum nostrum. » Diebus Dominicis, et in festis Sanctorum dicit orationem incipientem, *Suscipe sancta Trinitas*, parùm differentem ab ea quæ suprà descripta est in ritu Lugdunensi. Deindè manus expansas tenens super oblata ait: « Et suscipe sancta Trinitas hanc oblationem pro emundatione mea, ut mundes et purges me ab universis peccatorum maculis, qualenùs tibi dignè ministrare merear, Deus et clementissime Domine. *Posteà benedicit oblata his verbis:* Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritûs sancti copiosa de cœlis descendat super hanc nostram oblationem; et accepta tibi sit hæc oblatio, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, misericordissime rerum conditor. Amen. *Tandem si solemniter celebrat: incensat oblata.* »

Mozarabes dicunt duas orationes ex Missali Hispalensi suprà descriptas, quibus addunt, *In spiritu humilitatis*, et *Veni sanctificator.*

Missale Carmelit. Accipiens ambabus manibus calicem et patenam, offerens totam oblationem simul, dicit: « Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus in commemoratione Passionis, Re-

Non desunt viri eruditi, qui existiment hanc orationem, *Suscipe sancte Pater, etc.* quam jam recitat Sacerdos panem offerens Deo, recitatam olim fuisse non à Sacerdote, sed à populo panem consecrandum offerente Sacerdoti. Et id quidem probant ex veteri libro precationum in usum Caroli Calvi Imperatoris et Gallorum Regis collectarum : in quo legitur hæc oratio : *Suscipe sancte Pater*, à populo offerente recitanda. Adeò ut ex eorum mente, cùm primùm populus desiit offerre panem consecrandum, tùm Sacerdos ipse populi nomine hanc ipsam orationem recitare cœperit. (C)

I. Cur Sacerdos in orationes, *Suscipe sancta Trinitas*, his utitur verbis : *ob memoriam Passionis, et Resurrectionis, et Ascensionis Domini nostri J. C.*

R. Ut significetur totum Christi sacrificium secundùm suam omnem extensionem Missæ sacrificio repræsentari, exhiberi, continuari.

Ut autem hæc responsio liquidiùs intelligatur, necesse est revocare in memoriam ea quæ suprà diximus (§. 4. *hujusce Cap.*) de sacrificiis quinque potissimùm observanda esse diximus ad pleniorem horum intelligentiam, 1° Electionem victimæ in sacrificium, quâ electione quasi sanctificabatur, à profanis usibus segregata ; 2° Oblationem victimæ factam à Sacerdote antequam victima mactaretur : 3° Immolationem victimæ, quâ circa altare fundebatur ejus sanguis : 4° Consumptionem victimæ igni traditæ super altare Holocaustorum, ut quidquid erat in eâ corruptionis et vitii flamma vorax absumeret, et fumus victimæ incensæ sursùm ferretur, à Deo veluti suscipiendus *in odorem suavitatis*, ut cum Scripturis loquar (*Exod.* XXIX. 41. *et alibi passim.*) : 5° Denique communionem populi, qui partem aliquam de victimis comedebat.

Id omne Christus expressit et consummavit admirabili suo sacrificio. 1° Per Incarnationem electa et sanctificata est victima. Per Incarnationem quippè natura humana Christi electa est, et hypostaticè conjuncta cum natura Divina, eoque nexu factum est ut victima dignum Deo sacrificium fieret. 2° Prima oblatio victimæ ante immolationem facta est a Christo ipso in ipso Nativitatis puncto. *Ingrediens enim mundum*, verba sunt Apostoli (*Hebr.* x. 5. 6. *et* 7.), *dixit, Holocautomata et pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* 3° Immolata est victima in cruce ; ibique Christus obtulit semetipsum

» surrectionis, Ascensionisque in cœlum Domini nostri Jesu Christi, » et honore beatæ et gloriosæ Dei genitricis semperque virginis Mariæ : » et omnium Sanctorum qui tibi placuerunt ab initio mundi ; ut illis pro- » ficiat ad honorem, nobis autem ad salutem : et omnibus illis pro nobis » intercedentibus in cœlis, sit in salutem vivorum, et requiem defunc- » torum. Qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen. »

(C) *Hæc excripsimus ex libro suprà laudato*, Idea Sacerdotii et Sacrificii Domini nostri Jesu Christi : *Gallicè*, L'idée du Sacerdoce et du Sacrifice de Jésus-Christ, *in interpretationibus Orationum Missæ.*

Deo propitiationem pro peccatis nostris ; immolatusque suum sanguinem fudit circa altare, cùm latus ejus lanceâ perforatum est. 4° Consumptio victimæ Christi Resurrectione et Ascensione exhibetur. Per resurrectionem enim, ut cum Apostolo loquar, absorptum est in Christo *quod mortale est, à vita* (1. *Cor.* v. 4.) : et quidquid erat in eo corruptioni obnoxium planè absumptum est. Per Ascensionem autem victima absumpta in cœlum, à Deo suscepta est in odorem suavitatis, et ad dexteram Dei collocata. 5° Denique communicavit populus victimæ aliquatenùs ipso Pentecostes die. Tunc enim Christi Discipuli incorporati sunt Christo, facti participes illius Spiritûs, Christoque adhæserunt velut membra capiti, ut centies docet Apostolus in suis Epistolis.

Ut isthæc omnia faciliùs obversarentur animo, in hunc modum olim concepta erat plerisque in Galliarum Ecclesiis (D) quam nunc explicamus orationem :

Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam Incarnationis, Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Jesu Christi Domini nostri, et adventûs Spiritûs sancti, etc.

Iisdem ferè verbis utuntur Græci in sua Liturgia.

Quòd si hodierno Romanæ Ecclesiæ more mentionem facimus solùm Passionis, Resurrectionis, et Ascensionis Jesu Christi ; hoc ideò fit, quia tribus hisce mysteriis exhibetur immolatio, et consummatio sacrificii, quod præcipuum in eo fuit. Et quoniam Missæ sacrificium continuatio est, ut diximus, et memoria Christi sacrificii semel oblati, verè illud offerimus in memoriam Passionis et Resurrectionis et Ascensionis Jesu Christi. *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.* (1. *Corinth.* XI. 24.)

Quin et memoriam non facimus solùm in Missa eorum quinque mysteriorum quibus totum Christi sacrificium constat : sed et ea exhibemus, et veluti ponimus ob oculos ipsâ actione sacrificii nostri.

1° Exhibetur electio et sanctificatio victimæ per electionem et præparationem panis et vini aquâ mixti, quæ quidem accipit Sacerdos de manu populi benedicenda et sacranda. Id patet ex oratione quam recitat Sacerdos dùm miscet aquam vino, ut jam diximus. (*N.* XI. *hujusce* §.)

2° Oblatio victimæ ante immolationem exhibetur his orationibus : *Suscipe sancte Pater. Offerimus tibi, Domine. Suscipe sancta Trinitas, etc.*

3° Immolatio victimæ exhibetur ipsâ consecratione, quâ panis in corpus, vinum in sanguinem Christi transmutantur.

4° Consummatio victimæ exhibetur iis orationibus Canonis, quæ sic incipiunt : *Undè et memores : Supra quæ : Supplices te rogamus*, de quibus agemus infrà (*hujusce* §. *n.* 21.

(D) *Hæc oratio legitur in* Missali Parisiensi Petri *et* Henrigi de Gondy, *quo usa est Ecclesia Paris. ad an.* 1608.

22. *et* 23.) quibus offertur corpus Christi post consecrationem, ut dicemus ibidem.

5° Denique communio sacrificii perficitur communione sacramentali.

Ex quibus liquet singula Christi mysteria, singulas ejus sacrificii partes sacrosancto Missæ sacrificio contineri et exhiberi.

I. Cur offertur quoque sacrificium in memoriam et honorem Sanctorum ?

R. Cur offeratur sacrificium in memoriam Sanctorum, jam suprà dictum à nobisest. (*Hujusce Cap.*§. 11.) Hîc addimus offerri illud et in Sanctorum gloriam et honorem. Nam 1° quidquid Sancti gloriæ et honoris habent, totum id acceperunt virtute sacrificii Christi, cujus in Missa continuatio fit, et memoria agitur. 2° Quidquid habet Christus gloriæ et honoris, totum id ad Sanctos, ejus utique membra viventia, capiti inseparabiliter adhærentia, necessariò redundat. At sacrosanctum Missæ sacrificium Christo gloriosum et honorificum esse nemo Catholicus negaverit. 3° In Missæ Sacrificio Christus offertur, hoc est, membra cum capite. Sicut ergo Christum offert sese, ita et Sancti offerunt sese Deo Patri per Christum et cum Christo in hoc sacrificio. Quod quidem quàm gloriosum et honorificum sit Sanctis nemo non intelligit.

I. Quid agere debet populus circumstans dùm Sacerdos recitat orationem hanc, *Suscipe sancta Trinitas?*

R. Debet quantùm potest assequi mentem Ecclesiæ in hac precationis formula, eoque animo vel hanc privatim recitare cum Sacerdote, vel mente saltem conjungere se cum Sacerdote hanc recitante.

N° XIII. *De Monitione*, Orate fratres ; *et de secretis orationibus.*

I. Post recitatam superiorem orationem, quid agit Sacerdos?

R. Salutato altari, vertit se ad populum, aitque ;

Orate, Fratres, ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum omnipotentem.

Cui monitioni sic respondet populus :

Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

Ut autem totius Missæ sacrificii rationem faciliùs teneamus, juvat expendere verba singula, quæ hâc tùm monitione Sacerdotis, tùm responsione populi continentur.

1° His verbis, *Meum ac vestrum sacrificium ; Sacrificium de manibus tuis*, significatur Missam sacrificium esse non Sacerdotis, sed et populi (*Vide hujusce Cap.* §. 9.) : et in eo offerendo sacerdotem ministrum esse non Christi solùm (cujus nomine consecrat et offert) et Ecclesiæ, sed et populi, qui per manus Sacerdotis offert. Debet ergo populus

jungere se Sacerdoti, et simul cum eo sacrificium offerre.

2° Hæc verba, *Ad laudem et gloriam nominis sui*, denotant sacrificium hoc esse Latreuticum et Eucharisticum, ut suprà exposuimus. (*hujusce Cap.* §. 10.)

3° His verbis, *Ad utilitatem quoque nostram*, continentur remissio peccatorum, et dona omnia sive spiritualia sive corporalia impetranda per Sacrificium.

4° Denique his verbis, *Totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ*, intelligitur Missæ sacrificium esse sacrificium totius Ecclesiæ, offerri pro universa Ecclesia sive militante, sive patiente, sive triumphante. Pro militante, ad impetranda beneficia Dei, et remissionem peccatorum; pro patiente, ad obtinendum refrigerium; pro triumphante, ad gloriam et honorem, ut suprà exposuimus (*hocce Cap.* §. 11. *et hocce* §. *n.* 12.), et ad gratiarum actionem. Nulla igitur Missa, quæ strictè loquendo privata dici possit, etiamsi sine solemnitate offeratur, et in eâ privatorum et singulorum specialis commendatio fiat. Missæ omnes sacrificium publicum sunt, spectant ad utilitatem totius Ecclesiæ.

I. Cur hoc potissimùm loco Sacerdos invitat populum ad orandum, ut sacrificium gratum sit et acceptum Deo? Satiùs certè videretur id monere populum ante illas orationes, *Suscipe sancte Pater. Offerimus tibi Domine calicem. Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem*, quibus orationibus offeruntur oblata; et quæ proindè initium sunt Sacrificii. Inchoato jam Sacrificio id monet Sacerdos, quod jam monuisse debuerat antequàm oblatione panis et vini Sacrificium inchoaretur.

R. Ut ritùs illius ratio intelligatur, sciendum est hanc primitùs Ecclesiæ Romanæ consuetudinem fuisse, ut nullâ aliâ oratione offerrentur Deo per Sacerdotem panis et vinum, quàm eâ, quam Secretam appellamus, de quâ mox dicemus. Orationes ergo illæ, *Suscipe sancte Pater, etc. Offerimus, etc. Suscipe sancta Trinitas, etc.* introductæ sunt succedente tempore in Liturgiam Romanam ex more aliarum Ecclesiarum. « In Ordine Romano, inquit Cardinalis Bona (*Vide* » *suprà n.* 12. *litt.* (B) nulla fit mentio orationum quæ dici » solent à Sacerdote dùm oblationes et reliqua peragun- » tur, quas nec Gregorius Magnus in libro Sacramentorum, » nec Alcuinus, nec Amalarius, nec alii Romanæ Missæ » expositores commemorant; quia ut observat Micrologus » cap. 11. Romanus Ordo nullam orationem instituit post » offerendam ante secretam; et ideò omnis illa actio sub » silentio complebatur. » Carthusiani Monachi retinent etiamnùm veterem ritum, nec alias orationes recitant ad offerendum panem et vinum quàm orationes secretas. Cùm ergo orationes illæ tunc initium essent Sacrificii, mirum non est si ante earum recitationem verteret se Sacerdos ad populum, dicturus, *Orate, Fratres, ut meum ac vestrum Sacrifi-*

cium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem. Introductis deindè præviis orationibus, *Suscipe sancte Pater, Offerimus, Suscipe sancta Trinitas, etc.* non propterea anticipatum est tempus monitionis, *Orate fratres;* sed facta est ea monitio proximè ante secretas orationes ex veteri ritu. (A)

(A) S. Gregor. Magn. *lib. Sacram. apud* D. Mabillon. *Com. in Ord. Rom. art.* 6. *n.* 3. Legitur Evangelium : deindè Offertorium : et dicitur oratio super oblata. *Sic ferè perpetuò vocatur hæc oratio in antiquis libris, quæ in editis. et ab Amalario Secreta dicitur. Quâ completâ*, dicit Sacerdos excelsâ voce, *Per omnia secula seculorum.*

Ordo Rom. I. *n.* 15. Tunc surgens Pontifex à sede, descendit ad altare, et salutat altare, et suscipit oblatas de manu Presbyteri hebdomadarii et Diaconorum. Deindè Archidiaconus suscipit oblatas Pontificis de Oblationario et dat Pontifici. Quas dùm posuerit Pontifex in altare, levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi regionarii, et ponit eum super altare juxta oblatam Pontificis à dextris, involutis ansis cum offertorio: quem ponit in cornu altaris, et stat post Pontificem: et Pontifex inclinans se paululùm ad altare, respicit scholam, et annuit ut sileant.

N. 16. Tunc finito Offertorio, Episcopi stant post Pontificem, primus *in* medio, deinde per ordinem: et Archidiaconus à dextris Episcoporum, secundus Diaconus à sinistris, et cæteri per ordinem dispositâ acie. Et Subdiaconi regionarii, finito Offertorio, vadunt retrò altare, aspicientes ad Pontificem, ut quando dixerit, *Per omnia secula*, aut *Dominus vobiscum*, aut *Sursùm corda*, aut *Gratias*, ipsi sint ad respondendum, stantes erecti, usque dùm incipiunt dicere hymnum Angelicum, id est, *Sanctus. Ibi nulla mentio orationum ad oblationem, sed solius Offertorii, et orationis secretæ. Verùm id clariùs patebit ex Ordine sequenti.*

Ordo Rom. II. *n.* 9. Tunc surgens Pontifex à sede, et cantantibus adhuc Cantoribus, descendit ad altare, et orat, et salutat altare, et suscipit oblatas de manu Presbyterorum et Diaconorum, quibus licitum est accedere ad altare. Deindè Archidiaconus suscipit oblatas duas de Oblationario, et dat Pontifici: quas dùm posuerit Pontifex in altare, levat calicem Archidiaconus de manu Subdiaconi, et ponit eum super altare juxta oblationes Pontificis à dextris, involutis ansis cum offertorio suo, quod etiam ponit in dextro cornu altaris. Post oblationem ponitur incensum super altare, et Pontifex inclinans se paululùm ad altare, respicit scholam, et annuit ut sileant, et convertit se ad populum, dicens: *Orate.*

N. 10. Tunc finito Offertorio ordinantur Presbyteri post Pontificem, et Archidiaconus à dextris eorum, secundus Diaconus à sinistris, et cæteri per ordinem dispositâ acie. Subdiaconi etiam, finito Offertorio, vadunt retrò altare, aspicientes ad Pontificem, stantes erecti usquedùm dicta oratione super oblationes secretâ, et Episcopo altâ voce incipiente, *Per omnia secula seculorum*, post salutationem, et exhortationem, finitâ præfatione, incipiant dicere hymnum Angelicum.

Micrologus *cap.* 11. *de Eccles. observat.* Compositâ autem oblatione in altari, dicit Sacerdos hanc orationem juxta Gallicanum ordinem: *Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, et benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum. Per Christum Dominum nostrum.* Deindè ante altare inclinatus dicat hanc orationem, non ex aliquo ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam Passionis, Resurrectionis, Ascensionis.* Quæ utique oratio a diligentioribus ordinis et comprobatæ consuetudinis observatoribus, tam pro defunctis quàm pro vivis sola frequentatur, qui etsi multoties plurimorum consuetudini cedant, superflua tamen summoperè devitant. Romanus tamen Ordo nullam orationem instituit post offerendam ante secretam. Erectus autem Presbyter populum hortatur ad orandum, et ipse post finitam secretam præfationem orditur in Canonem.

Joan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 2. *Vide num. super. litt.* (B)

I. Quid agit Sacerdos post illam monitionem, *Orate, Fratres?*

R. Exspectat donec Ministri responderint? *Suscipiat, etc.* Interea vertit se ad altare, et finitâ responsione, *Suscipiat*, ipse dicit, *Amen.* Quo verbo idem petit à Deo quod populus illà precatione petiit : moxque incipit orationes secretas.

I. Quid sunt orationes illæ secretæ? Cur ita nuncupantur.

R. Orationibus illis offert Sacerdos dona à populo oblata in sacrificium : variantur pro solemnitatum et festorum varietate. Appellabantur olim idcircò orationes super oblata; et hoc nomen habent in editis S. Gelasii et S. Gregorii Magni Sacramentorum libris, pluribusque in Missalibus antiquis. Jam pridem autem *Secretæ* nuncupantur, cujus nominis ratio alia ab aliis affertur.

Sunt qui putent id nomen hinc esse iis orationibus inditum, quia submissâ voce recitantur ex veteri ritu : undè *in antiquo libro Sacramentorum* MS. *Ecclesiæ Turonensis*, ut observat Edmundus Martenne, *orationes illæ non secretæ, sed arcanæ nuncupantur.* (*Martenne de antiq. Eccles. Ritib. cap.* 4. *art.* VII. *n.* 5.) *Et omnes antiqui sacrorum rituum expositores secretas à secreto et silentio derivant.* (B)

Sunt qui putent orationes illas *secretas* dici à verbo *secernere;* vel quia ex oblationibus populi aliæ ponerentur extra altare, aliæ secernerentur in Sacrificium, et super illas sic *secretas* et super altare positas funderentur orationes, quæ ideò *secretæ*, seu orationes *super oblata secreta* dictæ sunt : vel quia orationes illæ primæ erant ex iis quæ recitabantur post secretos et segregatos catechumenos et pœnitentes, adeò ut illæ *secretæ* dicerentur à secretis catechumenis, quemadmodùm Collectæ dicuntur à collectis in unum fidelibus. (C)

Quidquid sit de vocis hujus origine, unam ex antiquissimis orationibus secretis subjicere juvat, ex quâ planè intelligitur quæ sit mens Ecclesiæ in earum recitatione. Hæc dicitur Dominicâ quintâ post Pentecosten :

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum tuorum benignus assume : ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus. Per omnia secula seculorum. ℟. *Amen.*

(B) Amalar. Fortunat. Episcop. Trever. *de Eccles. Officiis lib.* 1. *cap.* 20. Secreta ideò nominatur, quia secretò dicitur.

(C) Messire Jacques-Benigne Bossuet Evêque de Meaux, *Explication de la Messe*, *n.* 1. *pag.* 19. *Secreta* pour *secretio*, séparation ; parce que c'était la prière qu'on faisait sur l'oblation, après qu'on avait séparé d'avec le reste ce qu'on en avait réservé pour le sacrifice : ou après la séparation des catéchumènes, et après aussi que le peuple, qui s'était avancé vers le sanctuaire ou vers l'autel pour y porter son oblation, s'était retiré à sa place : ce qui fait que cette oraison appellée *super oblata* dans quelques vieux Sacramentaires, est appelée *post secreta* dans les autres.

I. Cur orationes secretas et Missæ Canonem ferè integrum recitat Sacerdos sine cantu, et submissâ voce?

R. Id ritu antiquissimo observatur in Liturgiis tam Græcis quàm Latinis, ut quædam submissiori voce, quædam voce elatiore recitentur: nec proptereà putes velle Ecclesiam à fidelibus ignorari ea quæ his orationibus continentur; eas enim sicut et cæteras preces Liturgicas jubet à Pastoribus explicari populo Christiano: sed vel hoc ritu vult exprimere et exhiberi cum debito honore silentium, quo Christus tulit immanissima supplicia, seipsum tacitus offerens hostiam propitiationis pro peccatis nostris (D): vel putat hoc silentio reverentiam et attentionem majorem excitari circumstantium animis, dùm solùs Sacerdos seorsùm orat pro populo; quemadmodùm in sacrificiis Judaïcis Sacerdos oraturus pro gente solus intrabat in Sanctuarium.

Certè more antiquo Canonem Missæ submissâ voce recitatum fuisse indè colligitur, quòd dùm solus Canonem recitaret Sacerdos, chorus intereà Psalmos multis in Ecclesiis caneret, ut patet ex multis Missæ ordinibus antiquis, quos legere licet apud Edmundum Martenne. (*Lib.* 1. *de antiq. Eccles. ritib. cap.* 4. *art.* 13.)

I. Cur post recitatam submissâ voce orationem secretam, Sacerdos elatâ voce canit, *Per omnia secula seculorum?*

R. Ut populus orationi submissâ voce recitatæ suum præbeat assensum hàc responsione, *Amen.*

(D) D. Innocent, PP. III. *Myster. Missæ lib.* 2. *cap.* 54. Post hæc Sacerdos silentii solitudinem expetit, instante memoriâ Dominicæ Passionis, illud insinuans quòd Jesus jam non palàm ambulabat apud Judæos, cùm cogitarent eum interficere. (*Joan.* xi. 54.)... Silentium ergo Sacerdotis latibulum Christi signat.

Cap. 55. Notandum verò, quòd cùm Sacerdos dixisset, *oremus*, non statim orationem subjungit.

Cap. 60. Tunc Sacerdos inclinans, orat primùm pro se, deindè pro populo: monens ut populus oret pro ipso. *Orate*, inquit, *pro me, fratres charissimi.* (*Jacob.* v. 16.) Debemus enim pro invicem orare, secundùm Apostolum, ut salvemur. Nam et Dominus inquit in Evangelio: (*Matth.* xviii. 19.) *Amen dico vobis, quia si duo vel tres consenserint de omni re super terram, quamcunque petierint, fiet eis à Patre meo, qui est in cœlis.* Oravit autem et Christus primùm pro se, deindè pro populo, dicens: (*Joan.* xvii. 1.) *Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut et Filius tuus clarificet te. Pater sancte, serva eos quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos.* (*Ibid.* 11.) Per hoc autem quòd Sacerdos inclinat se, humiliationem Christi signat, qui *exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* (*Philipp.* ii. 7. *et* 8.) Nunc tandem Sacerdos dicit orationem quam intermisit, quia tunc demùm Christus rediit Hierosolymam ad domum orationis, quam ad tempus deseruerat, cùm secesserat in Ephrem.

Lib. 3. *cap.* 1. Post acclamatum præconium, sequitur secretum silentium. Nam ut Joannes Evangelista describit, ubi Jesus honorificè fuit receptus à turbis cum palmis et laudibus, abiit et *abscondit se ab eis*: (*Joan.* xii. 36.) non utique trepidantis formidine, sed dispensantis officio: *quia nondùm venerat hora ejus* (*Joan.* viii. 20.), quæ postquàm advenit, spontaneus ad passionem accessit.... Illud ergo latibulum Christi hoc secretum silentium repræsentat, in quo cessante verborum tumultu, sola dirigitur ad Deum intenta devotio.

Omnes enim Ecclesiæ preces sic concludi solent, *Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia secula seculorum.* Preces illæ omnes sive submissâ sive altâ voce nomine populi circumstantis recitantur; cùm ergo submissâ voce recitantur, Sacerdos ad ultima verba, *Per omnia secula seculorum* vocem extollit, ut populus respondeat, *Amen.* Qui ritus observatur etiam à Græcis. « Græci, (inquit Cardinalis Bona,) item aliquot Liturgiæ orationes secretò » legunt, quarum postremam clausulam voce elatâ pronun- » tiant, ut ab omnibus audiatur. »

Atque indè colligitur eam Ecclesiæ mentem esse, ut etiam in orationibus secretis jungat se populus Sacerdoti, vel tacitè meditando ea quæ Sacerdos tunc agit, vel easdem preces privatim recitando.

N° XIV. *De Præfatione, et Hymno Angelico*, Sanctus.

I. Post orationes secretas quid agit Sacerdos?

R. Sacerdos populum, ut moris est, salutat his verbis: *Dominus vobiscum.* Tùm ab eo resalutatur hâc responsione: *Et cum spiritu tuo.*

Posteà Sacerdos populum compellat his solemnibus verbis, quorum mentionem fecerunt sancti Patres, quotquot de rebus Liturgicis scripsêre (A): *Sursùm corda.* Respondet populus: *Habemus ad Dominum.*

(A) S. Cyrill. Hierosolym. *Catech.* 5. *Mystag.* Clamat Sacerdos, *Sursùm corda.* Verè enim circa illam maximè tremendam horam sursùm ad Deum corda levare necesse est, et non deorsùm ad terram terrenaque negotia deprimere. In hanc igitur sententiam omnibus præcipit Sacerdos, curas scilicet vitæ hujus omnes, et domesticas sollicitudines, illâ horâ relinquere, et cor in cœlo habere apud Deum generis humani amatorem. Vos deindè respondetis: *Habemus ad Dominum*, assentientes et profitendo. Nullus autem sic consistat, ut ore quidem dicat, *Habemus ad Dominum:* mente verò circa vitæ hujus curas vagetur. Ac semper quidem Dei meminisse debemus; sed cùm id propter infirmitatem humanam fieri non possit, illâ tamen maximè horâ studiosè istud enitendum est. Dicit deindè Sacerdos: *Gratias agamus Domino.* Certè gratias agere debemus, quòd nos adeò indignos ad tantam gratiam vocavit: quòd inimicos sibi reconciliavit, quòd spiritum adoptionis nobis donavit. (*Rom.* VIII. 15.) Ad hæc vos subjicitis: *Dignum et justum est.* Cùm enim nos Deo gratias agimus, dignum profectò et justum opus facimus. Ille autem non justum, sed supra justum agens, tanto vos affecit beneficio, tantaque vobis bona donavit. Facimus deindè mentionem cœli et terræ, et maris, solis et lunæ et siderum, ac universæ creaturæ, tam ratione prædilæ quàm irrationalis; tam istius quæ videtur, quàm illius quæ sub aspectum nostrum non cadit; Angelorum, Archangelorum, Virtutum, Dominationum, Principatuum, Potestatum, Thronorum, et Cherubim faciem operientium, quasi diceremus illud Davidis: *Magnificate Dominum mecum.* (*Ps.* XXXIII. *h.*) Commemoramus etiam illa Cherubim, quæ in Spiritu sancto cernebat Esaias, (*Esaï.* VI. 1.) circumstantia thronum Dei, ac alis quidem duobus faciem velantia, et duabus item pedes, reliquis verò duabus volantia, atque dicentia: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth.* Propterea enim traditam nobis hanc seraphicam theologiam recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supramundana militia communicemus.

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 18. *in* 1. *ad Corinth. in morali. Vide suprà nocce* 8. *n.* 5. *litt.* (A) *et* (B). *Deindè addit:* Deorsùs ea oratio, quâ Deo gra-

Monet autem Sacerdos populum ut *sursùm corda* habeant; quia necesse est nos extra sensus quodammodò ferri, et conversari in cœlestibus, ut possimus simul cum choris Angelorum canere canticum, *Sanctus, sanctus, sanctus.* Necesse est ergo ut reverà populus *sursùm ad Dominum corda habeat*, attentionemque majorem adhibeat; alioqui non poterit sine mendacio respondere, *Habemus ad Dominum.*

Subjicit Sacerdos: *Gratias agamus Domino Deo nostro.* Respondet populus: *Dignum et justum est.* Quod quidem dicendum est corde et ore.

Post hæc canit Sacerdos orationem quæ Præfatio dicitur. Ea autem pro variis solemnitatibus et Festis variatur: communem solùm subjicimus, quæ dicitur quoties propria non occurrit dicenda.

Verè dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum; per quem majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates, cœli cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim, sociâ exsultatione concelebrant: cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas, deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloriâ tuâ. Hosanna in excelsis. Benedictus ✝ qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

Admirabilis illa et verè divina gratiarum actio, inflam-

tiæ aguntur, utrisque communis est. Neque enim ipse solus (Sacerdos) gratias agit: sed etiam plebs universa. Nam cùm priùs illorum vocem sumpsit, atque illi assenserunt id dignè ac justè fieri, tum demùm gratiarum actionem auspicatur. Quid autem est, quam ob rem mirum tibi videatur, si cum Sacerdote plebs interdùm loquatur; cùm etiam cum ipsis Cherubim, ac supernis virtutibus sacrosanctos illos hymnos communiter in cœlum mittat.

S. CYPRIAN. *lib. de orat. Domin. paulò ante finem.* Quando autem stamus ad orationem, Fratres dilectissimi, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis et secularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quàm id solùm cogitet quod precatur: ideò et Sacerdos ante orationem Præfatione præmissâ, parat fratrum mentes dicendo: *Sursùm corda;* ut dùm respondet plebs: *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se quàm Dominum cogitare debere.

Hic S. CYPRIAN. *locus habetur apud* GRATIAN. *Decret. part. 3. de Consecrat. distinct. 1. cap. 70.*

S. AUG. *lib. de dono perseverant. cap. 13. n. 33.* Quòd ergo in Sacramentis fidelium dicitur, ut sursùm cor habeamus ad Dominum, munus est Domini: de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere, à Sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur admonentur; et dignum ac justum esse respondent.

Serm. 227. alias de div. 83. in die Paschæ 4. In cœlo est caput nostrum. Ideò cùm dicitur, *sursùm cor*, respondetis, *Habemus ad Dominum.* Et ne hoc ipsum quòd cor habetis sursùm ad Dominum, tribuatis viribus vestris, meritis vestris, laboribus vestris, quia Dei donum est sursùm habere cor, ideò sequitur Episcopus, vel Presbyter qui offert, et dicit, cùm responderit populus, *Habemus ad Dominum sursùm cor: Gratias agamus Domino Deo nostro*, quia sursùm cor habemus: gratias agamus, quia nisi donaret, in terra cor haberemus. Et vos attestamini, *Dignum et justum est* dicentes, ut ei gratias agamus qui nos fecit sursùm ad nostrum caput habere cor.

mandis ad pietatem animis suprà quàm dici potest accommodata, quâ Ecclesia militans jungit se cœlestium spirituum choris, utiturque eorum verbis ad concinendas Dei laudes, Præfatio nuncupatur; quia præfationis et præloquii instar præit Canoni Missæ. Hanc Græci vocant precem Eucharisticam, id est, gratiarum actionis.

Singulæ autem Præfationes terminantur hymno, *Sanctus, sanctus, sanctus, etc.* quem Græci *Epinikion*, id est, triumphalem appellant, nos Angelicum dicimus; quia vidit Isaïas *Dominum sedentem super solium excelsum* (*Isaï.* VI. 1.), et audivit seraphicos spiritus alternâ modulatione psallentes, *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.* (*Ibid.*) Alteram partem Hymni sumpsit Ecclesia ex verbis Christo Domino à turbis in solemni Jerosolymæ ingressu ante Passionem decantatis, in hunc modum: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis.* (*Matth.* XXI. 9.) Ad hæc verba *Benedictus qui venit*, Sacerdos signat se signo crucis; ut innuat eam actionem, quâ Christus nobis sese præsentem exhibiturus est in tremendo Sacrificio, esse commemorationem et continuationem sacrificii in cruce oblati.

I. Quid agere debet populus circumstans dùm canitur Præfatio et Hymnus Angelicus?

R. Debet jungere se mente Sacerdoti canenti Præfationem, et corde et ore canere cum choro, vel recitare hymnum Angelicum, et canticum Hebræorum advenienti Domino applaudentium. Non aliam ob causam in Missis solemnibus hæc cantantur, et in privatis altâ voce recitantur.

N° XV. *De Canone Missæ, ac* 1° *de oratione*, Te igitur.

I. Cur Canonem appellamus eas orationes et verba quæ post Præfationem submissâ voce recitantur à Sacerdote?

R. Canon vox Græca est, quæ idem est quod Latino sermone, Regula. Canonem ergo appellamus illas orationes, quia his orationibus et verbis continetur regula fixa et stabilis, quâ novi Testamenti sacrificium celebrandum est, ex ritu Ecclesiæ Occidentalis. Canon enim unus et idem est in Missis singulis.

I. Quod est initium Canonis?

R. Sacerdos sublevatis in cœlum oculis, et manibus expansis, ac statim junctis et super altare positis, submissâ voce recitat orationem sequentem, cujus initium dicit prono versùs altare corpore; et antequam se erigat, honoris et reverentiæ causâ altare osculatur, tùm reliqua manibus expansis prosequitur:

Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, uti accepta habeas, et benedicas hæc † dona, hæc † munera, hæc sancta † sacrificia illibata, imprimis quæ tibi offerimus pro

Ecclesia tua sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum : unà cum famulo tuo Papa nostro **N.** *et Antistite nostro* **N.** *et Rege nostro* **N.** *et omnibus orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus.*

I. Cur Sacerdos ter ducit signum crucis super panem et vinum ad hæc verba, *Rogamus.... uti benedicas hæc † dona, hæc † munera, hæc sancta † sacrificia ?*

R. Ut intelligamus non posse panis et vini oblationem, benedici, sanctificari, et accepta haberi Deo nisi virtute crucis Christi.

I. Quæ mens Ecclesiæ est in tota illa precatione ?

R. Hanc ut pleniùs assequamur multa diligenter et studiosè attendenda sunt, ex quibus patebit tota Sacrificii ratio.

1° Quamvis Sacrificium offeratur in honorem et memoriam Sanctorum, ut diximus (*hujusce Cap.* §. 11.), tamen non ipsis offertur, non ad eos dirigitur oratio : non dicimus : *Offerimus tibi, Petre ; offerimus tibi, Paule ; offerimus tibi, sacratissima virgo Maria sacrificium.* Sed Missæ singulæ Deo offeruntur : ad Deum semper dirigitur oratio his verbis : *Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum rogamus, ut accepta habeas hæc sacrificia, quæ tibi offerimus.*

2° Toti quidem Trinitati sacrificium offertur : attamen ex perpetuo Ecclesiæ usu ad Deum Patrem dirigitur oratio, per Filium, in unitate Spiritûs sancti : quanquam aliquæ preces Liturgicæ ad totam Trinitatem diriguntur, hæc nimirùm, *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, etc.* de qua suprà (*n.* XII.) ; itemque hæc, *Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitutis meæ ; et præsta, ut sacrificium quod majestati tuæ obtuli tibi sit acceptabile, etc.* quam integram dabimus infrà. (*n.* XXXI.)

3° Petimus à Deo ut accepta habeat *hæc dona et munera* ; nimirùm panem et vinum in corpus et sanguinem Christi transmutanda. Hæc autem vocamus *sancta sacrificia illibata*, propter futuram transmutationem, ut jam observavimus ad hanc orationem, *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam.* (*n.* XI.)

4° Nulla celebratur Missa quæ non offeratur pro universa Ecclesia, et pro singulis Ecclesiæ ordinibus, itemque pro omnibus fidelibus Christianis : undè colligitur nullam esse Missam, quæ propriè et strictè loquendo, privata dici possit ; omnes esse communes. Quod jam observatum à nobis fuit. (*Hujusce Cap.* §. 14. *et hujusce* §. *n.* XIII.) (A)

5° Quatuor præcipuè petimus à Deo pro sancta Ecclesia in Missis singulis, eaque maximi momenti : 1. ut Ecclesiam dignetur Deus *pacificare*, id est, persecutiones adversùs eam exteriùs insurgentes compescere : 2. *Custodire*, nimi-

(A) CONCIL. TRIDENT. *sess.* 22. *cap.* 6. *De sacrificio Missæ. Vide superiùs* §. 12. *hujusce Cap. litt.* (G)

rùm ab hostibus ejus fidem impugnantibus, quales sunt Ethnici, Hæretici. 3. *Adunare*, adeò ut nullis scindatur schismatibus, nullis dissidiis internis affligatur, nullis intestinis dissensionibus turbetur: *Regere*, vel dando per totum orbem Pastores secundùm cor suum, quorum ipse mentes et studia dirigat; vel suâ omnipotenti virtute, faciendo ne pravi et perversi Pastores noceant Dominico gregi, simulque ne quidquam Ecclesia detrimenti patiatur à malorum Christianorum perditis moribus et exemplis.

6° In singulis Missis oramus specialiter pro summo Pontifice, pro Antistite, pro Rege, seu supremo Principe loci illius in quo Missa agitur. Decet enim maximè eorum præcipuè fieri honoris causâ mentionem qui cæteris præsunt, adeoque majori premuntur pondere. Prætereà in eo sequimur præceptum Apostoli (1. *Tim.* II. 1. *et seq.*), præcipientis uti fiant *orationes* et supplicationes Deo *pro omnibus hominibus, pro Regibus, iisque qui in sublimitate sunt; ut* sub eorum imperio et Regimine *quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate.* (B)

7° Sacerdos in loco peregrino celebrans non suum nominat Antistitem, sed Antistitem loci illius in quo Missas agit: ut hinc intelligatur non hunc suo nomine, sed nomine populi circumstantis offerre; nec posse sacrificium ritè celebrari à Presbytero extraneo, nisi consensu et auctoritate Antistitis illius, qui huic loco præest, et qui proindè debet per totam suam ditionem et Diœcesim in sacrificio etiam à Presbyteris extraneis oblato, honoris causâ nominari.

8° Orat Sacerdos *pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus:* Nullam facit mentionem infidelium, Judæorum, Hæreticorum, Excommunicatorum: quamvis enim pro eorum conversione et salute orandum sit, tamen id antiquo ritu Ecclesiæ Occidentalis observatur, ut intra Missarum solemnia, maximèque in Canone eorum nomina publicè non recitentur. (*Vide suprà* §. 12. *hujusce Cap.*)

Multi Scriptores aiunt hæc ultima hujus orationis verba, et *pro omnibus orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus*, addita fuisse Canoni Missæ ab annis circiter sexcentis, cùm priùs in eo non legerentur. (C)

(B) *Ex Epist.* S. DIONYS. Episc. Alex. *De persecutione Valeriani: ex* EUSEBII *hist. Eccles. lib.* 7. *cap.* 11. *à* THEODOR. RUINART *in actis Martyr. sinceris exscripta, pag.* 173. Huic continuas preces offerimus pro imperio illorum, ut stabile et inconcussum permaneat.

Act. Proconsul. S. CYPRI. *apud* THEODOR. RUINART *in Act. Mart. sinc. pag.* 216. Hunc deprecamur diebus ac noctibus, pro nobis et pro omnibus hominibus, et pro incolumitate ipsorum Imperatorum.

S. CYRIL. HIEROSOLYM. *Catech.* 5. *Mystag.* Obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, pro militibus, pro sociis, pro ægrotis et afflictis, et in summa pro iis omnibus qui egent auxilio.

Vide suprà hujusce Cap. §. 10. *litt.* (C) *et* §. 12. *litt.* (B) *aliàs auctoritates SS. PP.*

(C) MICROLOG. *cap.* 13. *De Eccles. observat. lege hanc apud* MENARD. *litt. seq.*

Alii probabiliùs id negant, probantque ex Missalibus superioris ævi nihil huic orationi additum eo seculo fuisse.(D)

I. Quid agere debet populus circumstans, dum recitat Sacerdos primam hanc orationem Canonis ?

R. Hanc orationem Sacerdos non suo solùm, sed etiam populi nomine recitat; hæc ergo Ecclesiæ mens est, ut populus jungat se mente Sacerdoti hanc orationem recitanti.

Non priùs incipiebat olim Sacerdos in Ecclesia Romana, cæterisque omnibus in Ecclesiis, Canonem recitare, quàm finitus esset à choro Hymnus Angelicus, quem Sacerdos ipse et Ministri altaris simul concinebant junctis cum choro vocibus. (E)

Finito Hymno recitabat Sacerdos submissâ voce Canonem, et chorus intereà quibusdam in Ecclesiis Psalmos canebat; quod tamen antiquissimi ritûs non fuisse constat; nam primævo ritu orabant omnes silentio, dùm Canon recitaretur.

N° XVI. *De Commemoratione vivorum.*

I. Quæ est altera oratio Canonis ?

R. Postquàm Sacerdos oravit pro universa Ecclesia, et specialem fecit mentionem summi Pontificis, Episcopi Diœcesani, Regis seu supremi Principis, denique fidelium omnium; alterà oratione commendat primò eos pro quibus vult specialiùs offerri sacrificium, deindè circumstantes omnes. Hàc autem utitur formulâ: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum* NN.

Hic privatim commendat quos voluerit; et ob id factâ aliquâ pausâ, sic prosequitur:

Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio; pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt

(D) Domn. Hugo Menardus Monach. Bened. è Congr. S. Mauri, *notâ* 19. *in Sacramentarium* S. Gregor. Magn. *Et omnibus Orthodoxis:* hæc verba desunt in manuscripto Pontificali Rothomagensi in feria quinta in cœna Domini: et Micrologus in observationibus Ecclesiasticis cap. 13. scribit hæc verba in Canone esse superflua: *Item post nomen Domini Papæ, sive propriì Episcopi, adjiciunt*, Et omnibus Orthodoxis atque Catholicæ et Apostolicæ fidei cultoribus: *sed superfluò, nam Ordo statim in sequenti versu, ubi dicitur*, Memento Domine, famulorum famularumque tuarum, *nobis concedit ut omnium vivorum commemoremus quoscunque voluerimus.* Et cap. 23. describens Canonem: Hæc verba Missa facit, sed immeritò: nam habentur in nostris codicibus manuscriptis.... Nec ratio Micrologi valet. His enim verbis *et omnibus Orthodoxis, etc.* fit commemoratio generalis omnium fidelium viventium; at in sequentibus, *Memento, etc.* specialis est commemoratio offerentium, et quorumdam particularium quorum nomina olim de diptychis legebantur.

(E) Domn. Joan. Mabillon M. B. *Com. in Ord. Rom. n.* 7. Canonem Sacerdos non inchoabat ante absolutum à choro trisagii cantum. Id enim libelli nostri præcipiunt, et post eos Heraldus Episcopus Turonensis cap. 16, *ut secreta Presbyteri non inchoënt, antequàm Sanctus finiatur.* Secreta vocat Canonem, quòd eum Sacerdos submissâ voce et quidem solus recitaret. Eodem modo appellatur in veteri Missali Gallicano.... ubi *Collectio post secreta* ea dicitur, quæ consecrationi proximè succedebat: quod argumento est, Canonem Missæ submissâ voce etiam in Ordine Gallicano fuisse recitatum. Ita etiam in Romano.

hoc sacrificium laudis pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ; tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero. (A)

Hujus orationis singula verba attentiùs expendenda sunt, ut perfectiùs intelligatur.

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum **NN.** De viventibus solùm hîc mentio fit; nam specialis fit infrà commemoratio mortuorum post consecrationem, ut videbimus. (*n.* **XXIV.** *hujusce* §.)

Hîc autem Sacerdotes privatam mentionem faciunt, 1° eorum quorum gratiâ celebratur specialiùs sacrificium: verbi gratiâ, Parochianorum in Missis parochialibus, Fundatorum cùm celebratur Missa ex aliqua fundatione, eorum qui ad sacrificium faciendum eleemosynas obtulerunt. 2° Eorum qui se Sacerdotis orationibus commendatos voluerunt. 3° Eorum pro quibus vult Sacerdos orare nominatim; verbi gratiâ, parentum, consanguineorum, amicorum, eorum quorum curam gerit, etc.

Et omnium circumstantium. Hinc collige non debere Missam celebrari, nisi sit saltem aliquis circumstans.

Quorum tibi fides cognita est, et nota devotio. Ex his verbis patet quâ fide, quâ attentione, quâ pietate et religione Sacrificio interesse oporteat: quâ de re multa diximus suprà. (*Hujusce Cap.* §. 19.)

Pro quibus tibi offerimus. Non pro se solummodò Sacerdos, sed et pro circumstantibus offert.

Vel qui tibi offerunt. Ergo tam circumstantes sacrificium offerunt quàm Sacerdos ipse: tam ad eos pertinent preces omnes Liturgicæ, quàm ad Sacerdotem. Hoc unum inter se differunt, quòd Sacerdos suis ipse manibus, populus autem per ministerium Sacerdotis sacrificium offerat. Quin et illud observare juvat, hæc verba, *Pro quibus tibi offerimus*, deesse in antiquo Ordine Romano, multisque in veteribus Missalibus MSS. (B) et ut nobis retulit sæpiùs vir eruditissimus Joannes Mabillon, sine honoris significatione mihi nunquam nominandus, fuêre et Missalia quædam in quibus deerant hæc verba, *qui tibi offerunt:* undè factum fuisse quidam putant, ut propter Manuscriptorum discrepantiam utrumque insertum sit cum hac particula *vel*, rubro caractere scriptâ, ut hinc Sacerdotes intelligerent perindè esse hoc vel illo modo legere; ac tandem præceptum fuisse, ut

(A) *Vide suprà* §. 10. *hujusce Cap. multas auctoritates Patrum litt.* (C) *et* §. 12. *litt.* (B) *et num. sup. litt.* (B)

S. JOAN. CHRYSOST. *Homil.* 21. *in Acta Apostol. in morali. Vide supra hujusce Cap.* §. 21. *litt.* (D) *quibus hanc vel similem orationem à primis seculis usurpatam fuisse fit manifestum.*

(B) MICROLOG. *de Eccles. observat. cap.* 13. Interponere enim solent quidam ibi suas orationes ubi dicitur: *Memento Domine, etc.* Item post pauca addunt; *Pro quibus tibi offerimus*, cùm in antiquioribus et veracioribus Sacramentariis, non nisi sub tertia persona offerentes ibi repetantur.

utrumque simul legeretur, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* Certè Missale ad usum Fratrum Recollectorum, quo ter quaterve usus sum ad celebrandum sacrosanctum Sacrificium. habet etiamnùm particulam *vel* caractere rubro impressam ; idemque observatur in Missalibus quibusdam Gallicanis. Sed videant qui Missalia isthæc typis cudenda curant cum illa particula caractere rubro notata, hinc colligi Sacerdotem posse pro arbitrio legere, *pro quibus tibi offerimus*, omissis verbis sequentibus ; vel legere, *qui tibi offerunt*, omissis illis, *pro quibus tibi offerimus.* Quòd si omittant verba hæc, *qui tibi offerunt*, nihil ergo ampliùs adjiciendum esse videbitur de tota hac precatione ; nam demptis his vocibus, non cohærent sequentia cum præcedentibus, ut cuique legenti facilè constabit : quem enim sensum habebis si sic legas, *Pro quibus tibi offerimus hoc Sacrificium laudis pro se suisque omnibus.... tibique reddunt vota sua.* Certè hoc posito sic legendum esse videatur, *Pro quibus tibi offerimus hoc Sacrificium laudis, et qui tibi reddunt vota sua pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, et pro spe salutis et incolumitatis suæ, æterno Deo vivo et vero.* Alioqui truncum sensum efficies. Quòd cùm non observatum sit ab iis qui Missæ Canonem ediderunt cum illa particula *vel* caractere rubro impressâ, sanè in errorem ab illis videntur inducendi Sacerdotes, qui re non satis attentâ, prætermissuri sunt hæc verba, *vel qui tibi offerunt ;* quæ propterea omninò retinenda esse certum est. Sed redeamus ad explicationem verborum sequentium.

Hoc sacrificium laudis. Sic vocatur Missæ Sacrificium, quia nullâ aliâ actione laudem et gloriam majorem dare possumus Deo summè laudabili.

Pro se suisque omnibus. Hinc collige eos qui adsunt sacrificio, non pro se solùm orare oportere ; sed etiam pro suis parentibus, propinquis, familiaribus, proximis denique omnibus.

Pro redemptione animarum suarum. Hinc patet Sacrificium offerri ad impetrandam peccatorum remissionem, ut suprà probavimus.

Pro spe salutis, et incolumitatis suæ. Id est, ad obtinendum quidquid necessarium est ad salutem æternam animæ, et ad corporis conservationem, et vitæ hujus sustentationem.

Tibique reddunt vota sua. His verbis intelligitur adoratio et gratiarum actio, quæ sacrificio exhibentur, et soli debentur supremo Numini.

Æterno Deo vivo et vero. Alia omnia Pseudo-numina, quibus olim sacrificia facta sunt, vel vitâ caruerunt, vel erant moritura, vel saltem creata omnia : nulla ex illis habuêre ex se vitam. *Omnes Dii gentium dæmonia.* (*Psal.* XCV. 5.) *Domine, non est alius Deus absque te.* (1. *Paralip.* XVII. 20.)

Ex his liquet Missæ Sacrificium esse Latreuticum, Eucha-

ristícum, Propitiatorium, Impetratorium, ut suprà fusè à nobis disputatum fuit. (*Hujusce Cap.* §§. 9. *et* 10.)

I. Quid agere debet populus circumstans dùm Sacerdos hanc recitat orationem ?

R. Debet et ipse privatim orare pro se suisque omnibus, et vicissim pro ipso Sacerdote, cæterisque circumstantibus.

X° XVII. *De oratione quâ recitantur nomina Sanctorum ante Consecrationem, quæ in Missali libro inscribitur*, Infra actionem, *incipitque his verbis*, Communicantes.

I. Quæ est tertia Canonis oratio ?

R. Postquàm Sacerdos oravit pro Ecclesia militante, jam jungit se Ecclesiæ triumphanti ; Sanctorum cum Christo regnantium nomina recitat, eorum memoriam veneratur, eorumque precibus divinum implorat auxilium. Hæc autem oratio in libris Missalibus hunc titulum præfert, *infra actionem.*

I. Quis sensus est hujus tituli, *Infra actionem ?*

R. 1° Suspicatur Edmundus Martenne in eo titulo mendum irrepsisse, et legendum, *In fractione.* (*Lib.* 1. *de Antiq. Eccles. Ritib. c.* 4. *art.* 8. *n.* 18.) Verba hujus subjicio. *Hæc oratio*, inquit, *vulgò inscribitur* infra actionem. *Verùm monuit me noster Nicolaus Quittebeuf, vir religiosus et antiquorum rituum studiosus indagator, in antiquis Pontificalibus duobus Anglicanis, et sex* MSS. *Missalibus Monasterii Gemmeticensis inscribi*, in fractione. *In Carnotensis verò S. Petri Sacramentario*, in fractione panis. *Quo nomine designari videtur ipsa Sacrificii actio, seu consecratio, quo hanc orationem et sequentem proximè sequitur, quæque in Scripturis fractionis vocabulo indigitatur.* Hactenùs Edmundus Martenne.

Alii putant lectionem hanc, *infra actionem* retineri oportere ; sensumque esse, hanc orationem et sequentem sub ipsa sacrificii actione, id est, proximè ante consecrationem recitari : nec mirum si hoc exprimant libri Liturgici per particulam *infra ;* hanc enim particulam in libris Ritualibus idem significare quod *proximè ante*, solemne est et tritum. Sic usu recepto apud omnes Ecclesias appellamus *dies infra octavam*, illos sex dies qui ante diem octavam proximè elabuntur.

Certè non magni momenti illa sunt, sive enim legatur *in fractione*, sive *infra actionem*, sensus idem est, ut patet ex dictis.

I. Jam dic, quæso, quæ sit ea oratio quæ sub hoc titulo continetur ?

R. En tibi illam :

Communicantes, et memoriam venerantes imprimis gloriosæ semper Virginis Mariæ genitricis D.i et Domini nostri Jesu Christi, sed et beatorum Apostolorum et Martyrum tuorum Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Phi-

lippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et Thadæi, Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani, et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

I. Cur sic incipit hæc oratio, *Communicantes?* Sanè congruentior esse videretur, si sic inciperet: *Communicamus?*

R. Quia oratio hæc est continuatio præcedentis, et cum illâ jungi eam oportet, ut habeatur sensus integer, hoc modo:

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium; communicantes et memoriam venerantes imprimis gloriosæ Virginis Mariæ, etc.

I. Quæ est hujus precationis ratio?

R. In eâ jungit se Ecclesia militans Ecclesiæ triumphanti, ad offerendum sacrosanctum Sacrificium. (A) Quod cur fiat, et quam ob causam memoriam Sanctorum in Sacrificio faciamus, jam suprà satis superque dictum à nobis est (§. 11. *hujusce Cap. et alibi.*

I. Cur recitatio illa tot nominum? Cur non potiùs sic dicimus: *Communicantes et memoriam venerantes omnium Sanctorum tuorum, etc.* Quæ sanè ratio et facilior expeditiorque, nec minùs ad rem esse videretur?

R. Ut huic quæstioni diligenter et accuratè respondeam, præmittenda sunt quædam de diptychis, quæ singulis olim in Ecclesiis summâ curâ conservabantur. Est autem *Diptycha* Græca vox, quæ secundùm nominis Etymon idem sonat quod tabulæ in partes duas complicatæ.

(A) Const. Apost. *lib.* 8. *cap.* 13. *Vide superiùs* §. 14. *hujusce Cap. litt.* (B)

S. Cyprian. *etc. Vide suprà hujusce Cap.* §. 11. *litt.* (D)

S. Cyrill. Hierosolym. *Catech.* 5. *Mystag.* Rogamus te, inquam, nos omnes, et hoc sacrificium tibi offerimus, ut meminerimus etiam eorum, qui ante nos obdormierunt: Primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum et deprecationibus suscipiat preces nostras.

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 21. *in Acta Apostol. in morali. Vide suprà hujusce Cap.* §. 11. *litt.* (D)

S. Aug. *de virginit. cap.* 45. *n.* 46. Perhibet enim præclarissimum testimonium Ecclesiastica auctoritas, in quâ fidelibus notum est, quo loco Martyres, et quo defunctæ Sanctimoniales ad altaris Sacramenta recitentur.

Tract. 84. *in Joan. n.* 1. Beati Martyres ardenti dilectione fecerunt: quorum si non inaniter memorias celebramus, atque in convivio, quo et ipsi saturati sunt, ad mensam Domini accedimus, oportet ut quemadmodùm ipsi et nos talia præparemus. Idcò quippè ad ipsam mensam non sic eos commemoramus, quemadmodùm alios qui in pace requiescunt, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut ipsi pro nobis, ut eorum vestigiis adhæreamus: quia impleverunt ipsi charitatem, quâ Dominus dixit non posse esse majorem. Talia enim suis fratribus exhibuerunt, qualia de Domini mensa pariter acceperunt.

Serm. 159. *aliàs* 17. *de verbis Apostoli, et alios vide suprà hujusce Cap.* §. 11. *litt.* (D)

Tria autem olim erant genera diptychorum seu tabularum, in quibus inscribebantur in singulis Ecclesiis nomina.

In unâ ex illis tabulis inscribebantur nomina Sanctorum cum Christo regnantium, præsertim verò Apostolorum et Martyrum; quibus posteà adjuncta sunt nomina Episcoporum qui eam Ecclesiam rexerant, fuerantque morum sanctitate plurimùm conspicui, cæterorumque quos nunc Confessores dicimus. Sed soli primitùs Martyres in diptychis Sanctorum inscribebantur: nec fortè ante sanctum Martinum quisquam in eum catalogum est relatus, qui non Martyr occubuerit.

In altera tabula inscribebantur nomina fidelium, qui adhuc viventes dignitate aliquâ, vel beneficiis collatis conspicui, vel aliquo alio titulo de Ecclesia benè meriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tum alii Patriarchæ, proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur. Posteà Imperator, Principes, Magistratus, et populus fidelis.

In tertia tabula inscribebantur nomina fidelium, qui in Catholica communione è vivis excesserant.

Si quis mortuus in magna opinione sanctitatis, Sanctorum festis publicâ auctoritate inserendus esset, nomen ejus inscribebatur in diptychis Sanctorum: quæ quoniam ex ritu Romanæ Ecclesiæ publicè legebantur in Canone Missæ, hinc ortum est *Canonizationis* vocabulum, quod ex veteri usu nihil aliud significat quàm inscriptionem nominis alicujus in diptychis Sanctorum, adeoque in Missæ Canone.

Si quis autem sive vivus sive mortuus communione privaretur, nomen ejus eradebatur è diptychis. Id ignorat nemo in historiæ Ecclesiasticæ lectione vel levissimè versatus. Norunt omnes quot et quantæ altercationes ortæ sint ob expunctum è diptychis nomen S. Joannis Chrysostomi; nec priùs Episcopos Occidentis cum Episcopis Orientis, Ægypti, Bosphori, et Thraciæ communicare voluisse, quàm nomen illius in diptycha retulissent.

Nomina tribus illis talibus inscripta recitabantur olim intra Missarum solemnia. Quoniam autem singulorum nomina recensere longius fuisset, eorum tantùm nomina recitanda notabantur, qui inter cæteros speciali aliquâ notâ præeminerent, factâ de reliquis generali commemoratione, positoque sæpissimè super altare catalogo in quo singula isthæc nomina recensebantur. Hæc autem nomina non Sacerdos, sed vel Diaconus vel ex more Romano Subdiaconus recitabant.

Is erat olim Ecclesiæ Gallicanæ ritus, ut summi Pontificis, Patriarcharum, Antistitis proprii, Regum, Principum, Magistratuum, fidelium denique nomina qui ad oblationem accesserat, sub ipsum Offertorii tempus recitarentur ante Præfationem. (*Vide suprà hujusce* §. *n.* XII.) Cujus ritûs adhuc exstat vestigium aliquod. Est enim hoc etiam-

nunc in more positum apud nos, ut in Pronao denuntietur offerendum esse Sacrificium pro summo Pontifice, pro Antistite proprio, pro Rege, pro Regia domo, pro Toparchâ, pro omnibus demûm fidelibus, maximè Parochianis, et illis imprimis qui ad oblationem accesserunt. (B)

Antiquissimo ritu Romanæ Ecclesiæ recitabantur initio Canonis nomina viventium.

1° Summi Pontificis, Antistitis proprii, Regisque seu supremi Principis mentio fiebat, ut nunc fit in oratione *Te igitur*.

Deindè post illa verba, *Memento*, *Domine*, *famulorum famularumque tuarum*, recitabantur nomina inscripta in diptychis viventium. Et hinc est quòd etiamnûm tunc fit pausa ad commemorationem singularem eorum quos vult Sacerdos specialiùs commendare, ut jam dicimus. (*Hocce* §.)

Ad hæc verba sequentis orationis, *communicantes, et memoriam venerantes*, etc. recitabatur catalogus alter, in quo inscripta erant nomina Sanctorum cum Christo regnantium, in primis autem B. Mariæ Virginis, Apostolorum, et Martyrum, eorumque potissimûm, quorum solemnior erat cultus in Ecclesia Romana. Cûm autem circa Pipini ejusque filii Caroli Magni tempora Galliarum Ecclesiæ, ut dicimus (§. 21. *hujusce Cap.*), relictâ veteri Liturgiâ Gallicanâ, Liturgiam Romanam assumpserint; hinc factum est ut ex eo tempore recitentur apud nos ea nomina Sanctorum, quæ primitûs descripta erant in diptychis Ecclesiæ Romanæ: ideoque quos nunc recitamus in Canone Martyres, ii vel Romæ passi

(B) Domn. JOAN. MABILLON *de Liturg. Gallic. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 12. Post oblationem diptycha legebantur, id est, recitabantur nomina, tam Sanctorum in quorum memoriam sacrificium offerebatur, quàm viventium atque defunctorum, pro quibus offerebatur; id probatur ex Missalis Gothici variis locis, et ex veteri Missali Gallicano. Conc. Vasense II. definit can. 4. *Ut nomen Domini Papæ, quicunque sedi Apostolicæ præfuerit, in nostris Ecclesiis recitetur.* Ad finem Regulæ Aureliani hæc leguntur: » Simulque precantes oramus etiam, Domine, pro animabus famulorum » tuorum Patrum atque Institutorum quondam nostrorum Aureliani, » Petri, Florentini, Redempti, Constantini, Himiteri, Hilarini, Januarini, Reparati, Childeberti, Vultrogotæ, vel omnium Fratrum nostrorum, quos de hoc loco ad te vocare dignatus es: cunctorumque » etiam hujus loci memores fidelium, pariterque parentum nostrorum, » atque servientium hujus loci; et pro animabus omnium fidelium famulorum tuorum vel famularum, ac peregrinorum in pace Ecclesiæ » defunctorum: Ut eis tu, Domine Deus noster, peccatorum tribuas » veniam, et requiem largiaris æternam: meritis et intercessionibus » Sanctorum tuorum, Mariæ genitricis Domini nostri Jesu Christi; » Joannis Baptistæ et præcursoris Domini nostri Jesu Christi, Stephani, » Petri, Pauli, Joannis, Jacobi, Andreæ, Philippi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Jacobi, Simonis, Judæ, Matthiæ, Genesii, Symphoriani, Baudilii, Victoris, Hilarii Episcopi et Confessoris, Martini » Episcopi et Confessoris, Cæsarii Episcopi, hæc propitiûs præstare et » exaudire digneris, qui vivis et regnas in unitate Spiritûs sancti Deus in » secula seculorum. Amen. »

N. 13. Itaque ritu Gallicano, et Mozarabico fiebat vivorum et defunctorum memoria ad oblationem, non in ipso Canone: atque Sanctorum commemoratio tunc fiebat ad suffragium.

sunt, vel in Provinciis suburbicariis; vel eos singulari cultu prosecuta est semper Ecclesia Romana. Verùm iis nominibus addebant olim singulæ Galliarum Ecclesiæ nomina Sanctorum, qui jam olim inscripti erant in diptychis propriis hujus Ecclesiæ. Qui ritus ad undecimum usque seculum perseveravit.

Tandem recitabantur nomina defunctorum ex tertio catalogo post consecrationem, ut dicemus infrà. (*hujus* §. *n.* XXIV.)

Et hæc quidem est ratio recitationis tot nominum in Canone Missæ. (C)

(C) D. Du Cange *in Glossar. mediæ et infimæ Latinit. in illud verbum*, Diptycha. Græcis *Diptycha* tabellæ plicatiles, geminas se pandentes ac porrigentes.

Diptycha Ecclesiastica. Horum tria genera in Ecclesia Græca observant viri Docti. Primum Episcoporum, alterum vivorum, tertium mortuorum: de quibus sigillatim dicendum.

Diptycha Episcoporum, (tabellæ Episcopales,) illa nuncupant, in quibus sanctorum Præsulum vitâ functorum, qui Ecclesiam rexerant, nomina exarabantur, eorum præsertim, qui aliquâ vitæ sanctitate inclaruerant; quæ ad futurorum exemplum, et meritorum memoriam inter Missarum solemnia publicè recitabantur.... Eorum porrò Antistitum, quorum nomina in ejusmodi sacra Diptycha referebantur post illorum excessum, quæ recitabatur in Liturgia memoria, longè alia erat ab eâ quæ fiebat pro defunctis: cùm Sacerdos non pro eis oraret, sed deprecaretur ut cœlitibus adscriptos, cum cæteris Sanctis, qui ante consecrationem invocantur. Atque hinc initium sumpsit canonizationis ritus, cujus vocabulis vis nulla alia est, quàm quòd summi Pontificis jussu et arbitrio re priùs diligenter expensâ, virorum vitæ integritate et sanctitate insignium nomen in Canonem Missæ referretur.... Quemadmodùm igitur scribi in diptychis, erat quodammodò inter Sanctos collocari; ita et ex iis deleri, erat è memoria hominum aboleri, et perpetuâ notari infamiâ. Quod in hæreticis potissimùm, aut schismaticis, vel etiam aliquâ malè actæ vitæ labe infectis, (quos Episcopi succedentes eâdem vel hæresi vel vitæ ratione infamati, contra jus in diptycha retulerant,) jubente summo Antistite, cujus id munus erat, contingebat.

Interdùm Ecclesiarum Præsules, vel hæreticâ labe infecti, vel odio aut malo affectu ducti, Episcoporum orthodoxorum nomina eraserunt. Ita apud Victorem Tunnunensem *in Chron.* Petrus Patriarcha Antiochenus hæreticus nomina Proterii et Salafatiarii (decessorum) de Ecclesiasticis diptychis sustulit, et Dioscori et Helluri, qui Proterium interfecerat, scripsit. Quæ quidem postmodùm restituebantur ab orthodoxis Præsulibus, ut in Constantinopolitana Synodo decretum legimus *Act.* 1.

Diptycha vivorum dicta erant, in quibus exarabantur nomina summi Pontificis, Patriarcharum, Episcoporum, et eorum qui Clero adscripti sunt: deindè Imperatorum, Augustorum, et aliorum dignitate conspicuorum, qui eo tempore vivebant; postremò plebs ipsa et populus recensebatur.

Recitabantur et offerentium nomina, seu eorum commemoratio fiebat.

Tertium diptychorum genus erat mortuorum, eorum nempè omnium qui in fide obdormierant; pro quibus Deum orabant, quorum nomina recitabantur, non tamen omnium, sed eorum quæ Sacerdoti à Diacono indicabantur.

Statuit Concilium Emeritense *cap.* 19. recitari inter Missæ solemnia eorum nomina, à quibus Ecclesias constat esse constructas, vel qui iis quidpiam contulerunt: si quidem adhuc essent in vivis, ante altare: si decesserant, cum defunctis in suo ordine.

Joan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 7. Indicavimus simul cum oblationibus offerentium quoque nomina oblata seu recitata fuisse.... Quidam putant hoc nihil aliud fuisse, quàm pro illis orare, illorumque meminisse in orationibus seu publicis seu privatis. Verè tamen

alicujus nomen offerre idem erat, ac ipsum in sancto Sacrificio recitare et enuntiare : qui ritus manifestè colligitur ex Epistola decima Cypriani adversùs Presbyteros, qui lapsos nondùm peractâ pœnitentiâ ad consortium fidelium et ad oblationem ac perceptionem Eucharistiæ admittebant. *Ad communicationem*, inquit, *admittuntur, et offertur nomen eorum, et nondùm pœnitentiâ actâ, nondùm exomologesi factâ, nondum manu eis ab Episcopo et Clero impositâ, Eucharistia illis datur.* Eidem adstipulatur Innocentius I. ad Decentium.... *De nominibus recitandis antequàm precem Sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, suâ oratione commendet, quàm superfluum sit et ipse pro tua prudentia recognoscis, ut cujus hostiam necdùm Deo offeras, ejus ante nomen insinues, quamvis illi incognitum sit nihil. Priùs ergo orationes sunt commendandæ : ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur, non inter alia quæ antè præmittimus, ut ipsis mysteriis viam futuris precibus aperiamus....* Græci nomina recitant, cùm scindunt panes, et pro singulis tàm vivis quàm defunctis particulam seponunt, et offerunt : sicque eos sacrificii participes faciunt. Latini in Canone distinctis locis vivorum et mortuorum memoriam agunt, quod olim fieri solebat recensitis nominibus....

Cap. 12. *n.* 1. Invenio tria genera esse diptychorum sive tabularum, quibus nomina in singulis Ecclesiis inscribebantur. Primum erat peculiare Episcoporum, eorum præsertim qui illam Ecclesiam rexerant, dummodò probitate ac sanctis moribus claruissent. Secundùm vivorum, in quibus eorum nomina inscripta erant, qui adhuc viventes dignitate aliquâ, vel beneficiis illi Ecclesiæ collatis conspicui, vel alio titulo benè meriti erant. In his primo loco Romanus Pontifex, tùm alii Patriarchæ, et proprius Antistes, ac reliqui Clero adscripti recensebantur. Posteà Imperator, Principes, Magistratus, ac populus fidelis. Tertium erat mortuorum, qui in Catholica communione decesserant. Usum verò diptychorum, eorumque lectionem intra Missarum solemnia, vel ab Apostolis, vel ex illorum institutione seu traditione ab immediatis successoribus satis constat.... Quod autem spectat ad primum genus pro solis Episcopis cum opinione sanctitatis vitâ functis, eam inscriptionem speciem quamdam habuisse canonizationis seu beatificationis fidem facit Dionysius in Theoria, c. 3. Eccles. Hierarchiæ. *Sacrarum*, inquit, *tabularum recitatio depravâdicat eos, qui sanctè vixerunt, et ad studiosæ vitæ perfectionem constanter pervenerunt.* Nos quidem eorum imitatione ad beatissimum illum statum, quietemque deiformem adhortando ac manuducendo : illos verò ceu viventes celebrando ; quippè ut Theologia docet, nequaquàm mortuos, sed ex morte ad vitam divinissimam translatos. Ideò Ecclesia sollicitè semper cavit, ne sanctorum Episcoporum nomina ob quorumdam pravorum hominum calumnias, vel ob errores proborum è sacris diptychis expungerentur. Hæc enim expunctio pœna erat illis solis irrogata, qui vel à fide defecerant, vel ob aliquod crimen à communione fidelium abstenti erant.

Notæ sunt diuturnæ altercationes de Chrysostomi nomine in diptycha referendo, in quibus ipsum scribere multi renuebant, eò quod à Theophilo Alexandrino exauctoratus, tamelsi iniquâ sententiâ, et non absolutus mortuus esset. Qua de re rescribens Theodoretus *lib.* 5. *histor. cap.* 34. ait Episcopos Occidentis non priùs cum Episcopis Ægypti, Orientis, Bosphori, et Thraciæ communicare voluisse, quàm nomen illius sanctissimi viri in tabulas defunctorum Episcoporum retulissent. Et quidem S. Cyrillus Theophili nepos, et in Cathedra Alexandrina successor, diù renuit Chrysostomum recipere, ut ex ejus et Attici litteris constat, quarum partem Facundus Hermianensis *lib.* 4. integras affert Nicephorus *lib.* 14. Sed tandem cessit, eumque recepit, ne gratiam et communionem Romanæ Ecclesiæ amitteret.

N. 2. Quidam existimarunt omnium prorsùs fidelium nomina intra sacram synaxim à Diacono lecta fuisse. Atqui hoc absurdum omninò est : Fide enim jam propagatâ et eversâ idololatriâ ad eam recitationem nec menses nec anni sufficissent ; præsertim in civitatibus, quæ innumerabilem populi multitudinem continebant. Delectus itaque habebatur, et in diptychis tam viventium quàm defunctorum, quæ publicè in Ecclesia

recitabantur, eorum tantùm nomina notabantur, qui inter cæteros aliquâ speciali notâ præeminebant, factâ de reliquis generali commemoratione. Jacob. Goar in variis lectionibus Liturgiæ Chrysostomi *pag.* 97. ex codice MS. ducentorum et ampliùs annorum Bibliothecæ Christianissimi Regis hanc brevem exhibet formulam commemorationis vivorum : « Memento mei, et cunctorum, et cunctarum : Josephi sanctissimi et universalis Patriarchæ (nempè Constantinopolitani, nomen enim Papæ » Scriptor schismaticus omisit) Philothei Alexandriæ, Marci Antiochiæ, » Theophili Hierosolymorum, et pro offerente Domino Deo sancta dona N. » honorando Sacerdote : Sacerdotum etiam adstantium, venerandi Presbyterii, ministerii in Christo, et omnis sacri ordinis cœtûs. Pro salute, » victoriâ, permanentiâ devotissimorum et Christum diligentium Imperatorum nostrorum : devotissimæ et Christum amantis Dominæ nostræ » Hippomenes monialis:devotissimæ et Christum amantis Dominæ nostræ » Eugeniæ monialis : devotissimorum et Christum diligentium Imperatorum nostrorum Joannis et Mariæ. Pro pace et consistentiâ totius » mundi, et sanctarum Dei Ecclesiarum : pro redemptione fratrum nostrorum captivorum : prosperitate et firmitate Christum diligentis exercitûs : residui populi salute, et cunctorum et cunctarum. » Porrò hæc formula contractior est ; alias autem ampliores esse non dubito.... Vivi autem dicuntur offerre *pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ : memoriæ Sanctorum, communicantes, et eos venerantes :* Ecclesia enim, quæ militat in terris, cum ea communicat, quæ in cœlis triumphat. Usus autem commemorandi B. Virginem et Sanctos in Missa, omnium Ecclesiarum immobili consuetudine comprobatur, ut patet ex eorum Liturgiis.... Maronitæ in sua Missa hanc ipsam commemorationem sic peragunt : « Memoriæ Domini » mei et Salvatoris nostri Jesu Christi, et totius dispensationis illius » salutaris quæ est erga nos, recordamur in hoc memento. Item patris » nostri Adam, et matris nostræ Evæ, et omnium hominum, qui placuerunt ante Deum ab Adamo usque in hodiernum diem, scienter autem » et nominatim sanctæ et laudabilis Virginis, et in omni tempore beatæ » genitricis Dei Mariæ, et Prophetarum, et Apostolorum, Martyrum, » Confessorum, justorum, Sacerdotum, Patrum sanctorum, et Doctorum, Rectorum, Religiosorum, et omnium Virginum, et sancti N. » supra cujus altare offerimus. »

Vide etiam infrà hujusce §. *num.* XXIV. *litt.* (B)

S. Aug. *serm.* 159. *aliàs* 17. *de verbis Apostoli, n.* 1. *Vide superiùs hujusce Cap.* §. 11. *litt.* (D)

Domn. Joan. Mabillon *De Liturgia Gallic. lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 12. *Vide suprà hocce num. litt.* (B)

Lib. 3. *n.* 11. Missale Gothicum incipit ab oratione, quæ *Collectio post nomina* dicitur..... Collectio post nomina dicebatur post recitationem nominum eorum, pro quibus sacrificium offerebatur. Fiebat autem simul commemoratio tam vivorum quàm mortuorum. Undè in vigiliis Epiphaniæ Collectio post nomina sic habet : « Præsentem itaque oblationem ita inla» bere, ut medelam viventibus, defunctis requiem præstet : et quorum » texuit recitatio præmissa sortem, inter electos jubeas aggregare. » De his actum est superiùs *in lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 12. ubi notavimus, etiam hoc loco Sanctorum factam fuisse commemorationem. Et id quidem de Mozarabico ritu constat: at in Gallicano haud ita expressa habetur hæc Sanctorum commemoratio, nisi ad modum generalis. Attamen in fragmento diptychorum, quod eo loci ex codice Regularum protulimus, singularis eorum memoria occurrit. Ejusmodi diptycha ad usum Ecclesiæ Arelatensis exstant in tomo tertio Analectorum. Diptycha hæc in omnibus Ecclesiis usitata erant : sed in Romana in Canone tantùm, ut modò, nomina recitabantur ; vivorum quidem ante, mortuorum verò post consecrationem : at in Gallicano et Mozarabico statim post oblationem. Hunc ritum improbare videtur Innocentius Papa I. in Epistola ad Decentium *cap.* 2. ubi rectiùs putat nomina recitari *inter sacra mysteria*, id est, (si benè capio) in ipso Canone, quàm *inter alia, quæ præmitti* solent. *Verba ejus integra habes suprà apud* Joan. Bona *Rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 7.

N. 12. De his diptychis exstat Sigebaldi Anglorum Regis Epistola ad

I. Cur in oratione *Communicantes*, petimus à Deo ut Sanctorum *meritis et precibus protectionis suæ muniamur auxilio*? His verbis vereor ne quid Christi meritis derogetur?

R. Jam sæpiùs diximus (*Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 3. *et alibi.*) Sanctorum intercessione nihil Christi meritis derogari; nihil posse Sanctos, nisi Christi meritis et virtute; Sanctorum intercessionem nihil habere ponderis et auctoritatis, nisi mediante Christo; nullum habere nos accessum ad Deum Sanctorum meritis et intercessione, nisi per Christum. Hinc fit ut isthæc oratio, sicuti et cæteræ omnes, terminetur, *per Christum Dominum nostrum.*

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm recitat Sacerdos orationem *Communicantes?*

R. Debèt jungere se Ecclesiæ triumphanti ad offerendum Sacrificium; simulque petere à Deo, ut Sanctorum intercessione et imitatione venire possit in partem eorum triumphi ac gloriæ.

N° XVIII. *De oratione*, Hanc igitur oblationem.

I. Quæ est quarta Canonis oratio?

R. Postquam Sacerdos oratione superiori junxit se Ecclesiæ triumphanti, nunc positis et expansis super panem et calicem manibus, prosequitur in hunc modum:

Hanc igitur Oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

In vigiliis Paschæ et Pentecostes, et per totam octavam harum solemnitatum, hîc specialis additur mentio recèns

Bonifacium Præsulem Moguntinum, quæ est inter Bonifacianas ordine 49. in quâ hæc legimus ad propositum: « Notum sit tibi, quòd ex eo tempore nomen tuum adscriptum habuissem, cùm Missarum solemnia celebrarem, simul cum nominibus Episcoporum nostrorum, etc. » Ubi obiter nota verbum *celebrarem*, quo Rex utitur.... Porrò hæc nominum recitatio in Ecclesia Græca fiebat per Diaconum: apud Latinos per Subdiaconum, ut patet ex Folcuino Monacho Laubiensi in Chronici Laubiensis cap. 7. « Dixit etiam Episcopus.... Adalbero Remensis prædecessorum suorum ductam usque ad se consuetudinem, ut inter Missarum solemnia, in ea speciali commemoratione defunctorum, quæ suprà diptycha dicitur, et in consecratione Dominici corporis solemniter dicitur, quotidiè in aurem Presbyteri, recitante silenter Subdiacono, omnium ipsius sedis nomina scripto recitentur Episcoporum. » Nomina hæc catalogo inscripta erant, *qui sacro altari tempore sacrificii superponebatur*..... Denique id genus diptycha erant in usu usque ad seculum XI. ut ex Micrologi cap. 13. et ex Leonis Ostiensis lib. 2. cap. 73. manifestum est. Hermannus Monachus hunc ritum suo tempore in desuetudinem abiisse innuit his verbis: « Mos antiquitùs institutus tunc temporis servabatur in Ecclesiis, ut nomina fratrum circumadjacentium Ecclesiarum, quibus se mutuas orationes debere, vel societatem promisisse noverant, super sacrosanctum altare scripta ponerentur: quatenùs Sacerdos Missam cantantibus nominatim recitaret, cùm ad illum locum venisset, *Memento Domine*, etc. *qui nos præcesserunt, etc....* Tunc enim unus Ministrorum altaris ei propinquans præsentabat recitanda: » *immò Minister ipse recitabat.*

baptizatorum ; quia ut jam diximus (*Part.* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 11.), antiquitùs id moris fuit, ut in vigiliis Paschæ et Pentecostes solemniter baptizarentur Catechumeni, qui recèns baptizati per totam octavam intererant in albis vestibus Sacrificio pro ipsis specialiùs oblato, et sacro Christi corpore reficiebantur. Sic autem fit hæc recèns baptizatorum mentio :

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et Spiritu sancto, tribuens eis remissionem omnium peccatorum, quæsumus, Domine, ut placatus accipias, etc. ut suprà.

Voces illæ, *pro his*, designat recèns baptizatos, Sacrificio circumstantes : qui licèt absint, fit tamen horum mentio non secùs ac si sacrificio interessent.

Id fuit etiam moris antiqui, ut exprimeretur sæpiùs in hac oratione specialis intentio propter quam Sacrificium offerretur, ut observat eruditissimus Cardinalis Bona legisse se in vetustissimo Sacramentorum libro Reginæ Sueciæ. Verbi gratiâ feria V. in cœna Domini sic recitabatur olim hæc oratio, ut fit etiamnùm : *Hanc igitur oblationem... quam tibi offerimus ob diem, in qua Dominus noster Jesu Christus tradidit discipulis suis corporis et sanguinis sui mysteria celebranda, quæsumus, Domine, ut placatus accipias*, etc. ut suprà.

In die anniversario Baptismi sic dicebatur : *Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerunt annua recolentes Mysteria, quibus eos tuis adoptasti regalibus institutis, quæsumus*, etc.

In anniversario suæ Ordinationis quilibet Sacerdos sic dicebat : *Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus hodiè, ob diem quo me nullius dignum merito, sed solo tuæ misericordiæ dono ad hunc locum perducere dignatus es Presbyterii, quæso, placatus accipias*, etc.

In dedicatione novæ Basilicæ : *Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus hanc dedicantes Ecclesiam*, etc.

Plures ejusmodi formulas legere licet apud Cardinalem Bona. (*Lib.* 2. *de rebus Liturg. c.* 12. *n.* 4.)

I. Cur Sacerdos hanc recitans orationem, extensas manus tenet super calicem et hostiam ?

R. Ut ritùs illius ratio teneatur, revocari necesse est in memoriam ea quæ diximus (*hujusce Cap.* §. 4.) de Sacrificiis Judaicis. In veteri lege qui oblaturi erant sacrificium, illi ante immolationem ponebant manus super caput victimæ, ut hoc ritu significarent, substituere se victimam in locum suum ad subeundam mortem quam ipsi meriti essent ; simulque orabant Deum, ut hujus Sacrificii oblatione placatus, simulque acceptam habens voluntatem offerentium, tribueret ipsis et remissionem peccatorum, et bona

omnia ad salutem mentis et corporis necessaria. Si quis privatus vellet offerri pro se sacrificium, positis manibus super caput victimæ tradebat illam Sacerdoti immolandam. Si plures simul offerri pro se sacrificium vellent, ponebant manus super caput victimæ, vel omnes simul, vel eorum præcipui cæterorum nomine, antequam illam Sacerdoti traderent. Si Sacerdos ipse pro se sacrificium esset facturus, non priùs victimam mactabat, quàm manus super caput ejus posuisset. Tandem in solemni sacrificio, quod semel in anno summus Pontifex pro suis et totius populi peccatis offerebat, manus super caput victimarum ponebant tam seniores populi quàm ipse Pontifex, antequam illæ à Pontifice immolarentur. Quæ quidem omnia in lege sancita sunt. (A) Hujus ad ritùs imitationem in nova lege Sacerdos facturus jam jam mysticam immolationem corporis Christi tam suo quàm populi simul offerentis nomine, ponit manus super oblata in corpus et sanguinem Christi mox convertenda. Eoque ritu offert Deo se populumque Christianum cum Christo jam jam mysticè immolando; ut ejus virtute sacrificii impetret à Deo remissionem peccatorum, vitæ præsentis pacem, et æternæ gloriam. Quæ quidem omnia eà oratione quam positis super oblata manibus recitat, exprimuntur, ut patet ex singulis hujus verbis. Ait enim Sacerdos:

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed et cunctæ familiæ tuæ. Recitat ergo hanc orationem expansis super oblata manibus, tam suo quàm populi nomine.

Quæsumus ut placatus accipias: petit remissionem peccatorum.

Diesque nostros in tua pace disponas. Petit vitæ præsentis pacem, easque proindè omnia quæ ad vitam hanc pacificè transigendam necessaria sunt.

Atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum jubeas grege numerari. Petit vitæ æternæ gloriam et felicitatem.

Per Christum Dominum nostrum. Id est, virtute corporis et sanguinis Christi mox mysticè immolandi. (B)

Hæc autem verba, *diesque nostros in tua pace disponas*, cum reliquis ad finem usque hujus orationis addita sunt jussu S. Gregorii Magni, ut refert in ejus vita Joannes Diaconus.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm Sacerdos, positis super oblata manibus, hanc recitat orationem?

R. Debet offerre se Deo per Christum et cum Christo hostiam viventem, idque *in spiritu humilitatis et in animo contrito* (*Daniel.* III. 39.), ut cum Scripturis loquar: eaque

(A) *Vide suprà hujusce Cap.* §. 4. LEVIT. I. *litt.* (G) *ibid.* III. *litt.* (B) *ibid.* IV. *litt.* (C) *ati et* XVI. *litt.* (L)

(B) S. AUG. *lib.* 10. *de Civit. Dei, cap.* 20. *Vide hujusce Cap.* §. 3. *litt.* (A)

mente petere à Deo id ipsum quod petit Sacerdos, cujus verba privatim à populo recitari nihil vetat.

N° XIX. *De Oratione*, Quam oblationem.

I. Quæ est quinta oratio Canonis ?

R. Post superiorem orationem, Sacerdos panem et vinum rursùs benedicit, signans ea quinquies signo crucis, ut annuntiet in antecessum Christi mortem, quæ Missæ sacrificio exhibetur et veluti ponitur ob oculos, ut diximus. (*Hujusce Cap.* §. 7. *et alibi sæpiùs.*) Oblata autem benedicens, sic precatur :

Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quæsumus benedictam †, *adscriptam* †, *ratam* †, *rationabilem, acceptabilemque facere digneris, ut nobis corpus* † *et sanguis* † *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.*

I. Quid Sacerdos petit his verbis, *Quam oblationem benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem acceptabilemque facere digneris ?* Cur tot adjuncta vocabula ?

R. Nullum ex his vocabulis temerè adjunctum est. Singula suum habent sensum ad rem apprimè accommodatum. Hic Sacerdos exprimit quinque præcipuas sacrificii partes, de quibus egimus suprà (*hocce Cap.* §. 4. *et hocce* §. *n.* XII.), nimirùm victimæ electionem et sanctificationem, oblationem, immolationem, consumptionem, communionem.

1° Eligebatur victima Deo mactanda ; hac electione fiebat è profana sacra, ac veluti *benedicebatur* et sanctificabatur.

2° Offerebatur Deo ante immolationem ; eâ oblatione *adscribebatur* inter res Deo sacras.

3° Immolabatur; eaque immolatio erat veluti *ratihabitio* et perfectio oblationis, quâ Deo consecrata fuerat.

4° Tradebatur flammis, quibus consumpta eximebatur ab omni sorde et corruptione ; factaque veluti spiritualis et *rationalis*, *accepta* erat Deo, cujus ad thronum ferebatur fumus victimarum incensarum, suscipiebaturque in odorem suavitatis.

5° Denique communicabat populus sacrificio, vel ore comedendo partem victimarum, vel spiritu jungendo se cum victimis, simulque petendo ut harum virtute placaretur Deus.

Isthæc omnia exprimere vult Ecclesia hac oratione, *Quam oblationem tu, Deus, in omnibus quæsumus benedictam, etc.*

Hujus igitur orationis hic sensus est:

Quam oblationem tu, Deus, quæsumus, ut acceptam habeas : jamjam enim sistet se tibi præsens victima quam tibi offerimus ; quæ utique jam pridem tibi consecrata est, quæ tibi seipsam obtulit, seipsam immolavit ; quæ depositâ mole corporis corruptibilis surrexit ad te cum corpore immortali, et ascendit propriâ virtute ad dexteram majestatis tuæ ; hujus, inquam, victimæ oblatio tibi sit acceptabilis, Deus omnipotens : fac ut eam puro

ore, mundo cordo manducemus, ejusque participatione ad vitam perveniamus æternam.

Hæc victima Christus est; is, ut jam diximus (*hocce Cap. §. 4. et hocce §. n.* XII.), quantùm ad naturam humanam *sanctificatus est* incarnatione, *oblatus est* Deo jam ipsâ nativitate, *immolatus est* passione, *immortalis factus est* resurrectione: *exhibuit se præsentem Deo* ascensione; huic denique *communicamus*, spiritualiter quidem per baptismum, quo membra ejus efficimur; corporaliter autem per Eucharistiam.

I. Cur petimus à Deo, ut *hæc oblatio nobis corpus et sanguis fiat Domini nostri Jesu Christi*?

R. 1° Petimus à Deo his verbis, ut panis et vinum convertantur in corpus et sanguinem Christi. Licèt enim sciat Ecclesia hanc transmutationem esse certissimè faciendam, id tamen nihilominùs petit à Deo. Habetur hæc oratio in Liturgiis antiquissimis Ecclesiæ tum Græcæ tum Latinæ, eamque sanctus Basilius recenset inter traditiones Apostolicas (A): nec desunt Theologi qui asserant eam orationem partem esse consecrationis, quæ non nisi verbis ipsis sacramentalibus Christi Domini consummetur et perficiatur. (B)

2° Hac oratione id quoque petimus à Deo, ut ipso auxiliante dignè communicemus corpori et sanguini Domini

(A) S. Basilius *de Spiritu sancto cap.* 27. Invocationis verba cum ostenditur panis Eucharistiæ et poculum benedictionis, quis Sanctorum in scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus aut Evangelium, verùm alia quoque et antè et post dicimus, tanquam multum habentia momenti ad mysterium, quæ ex traditione citra scriptum accepimus.

S. Cyril. Hierosolym. *Catheches.* 5. *mystag.* Deum benignissimum oramus, ut super illa proposita (dona) sanctum Spiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Christi, vinum verò sanguinem Christi; Omninò enim quod attigerit Spiritus sanctus, hoc sanctificatur et transmutatur.

S. Ambros. *seu* Auctor *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 5. *n.* 21. Vis scire quia verbis cœlestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit Sacerdos: Fac nobis, inquit, hanc oblationem adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem: quod figura est corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Qui pridiè, etc. *Vide.* §. *seq.*

(B) Messire Jacques Benigne Bossuet Evêque de Meaux, *dans son Explication de quelques difficultés sur les prieres de la Messe, n.* 45. *pag.* 291. Du consentement des deux Eglises (l'Eglise Grecque et l'Eglise Latine) la vertu qui change les dons, et en fait le corps et le sang, consiste essentiellement dans les paroles de notre Seigneur: ce qu'il serait aisé de vous faire voir par la tradition constante des Pères Grecs et Latins: mais la chose est si peu douteuse, que les Grecs même d'aujourd'hui, qui semblent mettre la force de la consécration précisément dans la prière où on demande que le Saint Esprit change les dons, après qu'on a récité les paroles de notre Seigneur, ne laissent pas d'avouer que la force est dans ces paroles qu'il a prononcées, et que la prière dont il s'agit ne fait qu'en appliquer aux dons proposés la toute-puissante vertu, comme on applique le feu à la matière combustible. Ainsi ce sont les paroles de notre Seigneur, qui sont en effet le feu celeste qui consume le pain et le vin: ces paroles les changent en ce qu'elles énoncent, c'est-à-dire, au corps et au sang, comme le dit expressément saint Chrysostôme: et tout ce qu'on pourrait accorder aux Grecs modernes, ce serait en tout cas que la prière serait nécessaire pour faire l'application des paroles de notre Seigneur; doctrine où je ne vois pas un si grand inconvénient, puisqu'enfin devant ou après nous faisons tous cette prière.

nostri Jesu Christi, et jam jam facienda corporis et sanguinis Christi consecratio nobis proficiat ad salutem. (C)

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm Sacerdos hanc recitat orationem ?

R. Hîc debet populus quidquid haberi potest attentionis, fidei, fervoris simul colligere, ob instantem consecrationem ; simulque petere, ut facienda mox immolatio mystica corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sit nobis fons et origo benedictionis et gratiæ.

N° XX. *De Consecratione.*

I. Recitatâ superiori oratione, quid agit Sacerdos ?

R. Immolat mysticè victimam, faciendo separatim corporis Christi sub panis specie, et sanguinis Christi sub specie vini consecrationem. Cur autem dicatur Christus hâc consecratione spiritualiter immolari jam exposuimus suprà. (*Hujusce Cap.* §. 9.)

I. Quomodò fit isthæc immolatio mystica, isthæc consecratio ?

R. Non jam suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Consecrat quidem, sed Christi nomine ; imò verius dixerim, hîc Sacerdos organum est Christi, ejus ore loquentis et consecrantis. (A) Ideoque non suo nomine loqui-

(C) CONCIL. FLORENT. *an.* 1439. *Sess.* 25. *pag.* 491. *Tom.* 13. *Concil. Labbe* De divino item sacrificio quæsitum est à Latinis : Quomodò prolatis Christi verbis, *Accipite et comedite, hoc est enim corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum :* (*Matth.* XXVI. 26. *etc.*) et illis, *Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus novi et æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effunditur in remissionem peccatorum.* (*Ibid.* 27. 28. *etc.*) Sacris donis per verba sanctificatis vos hanc posteà orationem additis, dicentes : Et fac panem quidem hunc pretiosum corpus Christi tui ; quod autem in calice isto est, pretiosum sanguinem Christi tui, sancto tuo Spiritu transmutans. Porrò hoc ita dissolutum est : fateri nos diximus, per hæc verba transsubstantiari sacrum panem, et fieri corpus Christi : sed posteà, quemadmodùm et ipsi dicitis, Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum ; ita nos quoque oramus dicentes, ut Spiritus sanctus descendat super nos, et efficiat in nobis panem hunc pretiosum corpus Christi tui, et quod in calice isto est pretiosum sanguinem Christi tui : transmutetque ipsa Spiritu sancto suo, ut fiant communicantibus in purgationem animæ, in remissionem peccatorum, et non fiant in judicium et condemnationem nostram.

(A) TERTULL. *lib.* 4. *advers. Marcion. cap.* 40. Acceptum panem et distributum Discipulis corpus illum suum fecit, dicendo, *Hoc est corpus meum.* (*Matth.* XXVI. 26.)

S. AMBROS. *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 4. *n.* 13. *Vide suprà* §. 9. *hujusce Cap. litt.* (B)

Cap. 5. *n.* 21. Qui pridiè quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit in cœlum ad te, sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumque Apostolis suis et Discipulis suis tradidit dicens : *Accipite et edite ex hoc omnes : hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur.* (*Matth.* XXVI. 26. 1. *Cor.* XI. 24. *etc.*)

N. 22. Similiter etiam calicem postquàm cœnatum est, pridiè quàm pateretur, accepit, respexit in cœlum ad te, sancte Pater omnipotens æterne Deus, gratias agens, benedixit, Apostolis et Discipulis suis tradidit dicens : *Accipite et bibite ex hoc omnes ; hic est enim sanguis meus.* (*Matth.*

tur, sed quod Christus ipse, sacratissimum hoc Sacrificium instituens, fecit et dixit, id ipsum Sacerdos Christi nomine facit et recitat; sed verbis illis dat Christus efficacitatem. Itaque accipit Sacerdos panem ac deindè calicem, quemadmodùm acceperat Christus; extollit oculos ad cœlum, quemadmodùm extulerat Christus; gratias agens benedicit panem et vinum, quemadmodùm gratias agens benedixerat Christus; pronuntiat verba eadem quæ Christus pronuntiavit; et quemadmodùm Christus his verbis panem in corpus suum, et vinum in sanguinem suum transmutavit, iisdem verbis Sacerdos panem et vinum in corpus et sanguinem Christi transmutat: tandem peracto Sacrificio frangit Sacerdos panem, et distribuit circumstantibus, quemadmodùm Christus fregerat et distribuerat Apostolis.

Postquàm autem Sacerdos sacratissima pronuntiavit verba, quibus mirabilis transsubstantiatio facta est; statim genuflectens adorat corpus Christi jam tum mysticè immolatum, et sanguinem mysticè effusum: tum surgit, et sursùm extollit sacratissimum corpus et sanguinem, ut adorentur à circumstantibus: quà quidem actione exhibet actionem, quà Christus erectà cruce pendens obtulit semetipsum Patri; ipseque tacitus offert Deo corpus et sanguinem Christi mox immolati, quemadmodùm in veteri lege Sacerdotes offerebant Deo sanguinem victimarum immolatarum. (*Vide hujusce Cap.* §. 4.)

I. Estne ritus idem consecrationis in Ecclesia Græca?

R. Idem est et semper fuit. Id patet ex omnibus omninò Liturgiis. Hoc solùm interest: 1. quòd in Liturgiis Orientalibus desunt hæc verba, *Mysterium fidei*, quæ et desunt quidem in veteri Ordine Romano; sed exstant tamen in omnibus veteribus Missalibus MS. Ecclesiæ Romanæ; asseritque Innocens III. *lib.* 3. *Mysteriorum Missæ*, *cap.* 5. verba hæc addita fuisse ex traditione Apostolica: eademque reperiuntur in Liturgia veteri quæ in usu est apud Christianos indos, ut observat Edmundus Martenne. (*Lib.* 1. *de antiq. Eccles. ritibus*, *cap.* 4. *art.* 8. *n.* 19.)

2. Apud Orientales verba consecrationis elatâ voce pro-

xxvi. 27. *etc.*) Vide illa omnia. Illa verba Evangelistæ sunt usque ad *accipite*, sive corpus, sive sanguinem. Inde verba sunt Christi: *Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus.* Et vide singula.

N. 23. Qui pridiè, inquit, quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam consecretur, panis est; ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem: *Accipite et edite ex eo omnes; hoc est enim corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini et aquæ plenus: ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis Christi efficitur, qui plebem redemit: ergo videte quantis generibus potens est sermo Christi universa convertere. Deindè ipse Dominus Jesus testificatur nobis quòd corpus suum accipiamus et sanguinem. Nunquid debemus de ejus fide et testificatione dubitare.

N. 25. Ergo non otiosè dicis tu: Amen, jam in spiritu confitens quod accipias corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi; et tu dicis, Amen, hoc est, verum. Quod confitetur lingua teneat affectus.

nuntiantur à Sacerdote; quibus enuntiatis populus circumstans dicit, *Amen;* ut eâ voce palàm profiteatur credere se factam his verbis transmutationem. Ecclesia autem Occidentalis jam à multis seculis verba consecrationis submissâ voce pronuntiat; nec populus respondet, *Amen. A multis*, inquam, *seculis:* nam eumdem olim servabat Ecclesia Occidentalis morem, quem retinet etiamnùm Orientalis (B): conjicitque vir eruditissimus Cardinalis Bona in opere eximio de rebus Liturgicis, morem hunc in Ecclesia Occidentali ad seculum usque decimum perseverasse. (C) Sed aliud alii eâ de re sentiunt: nec enim constat apud eruditos morem hunc in omnibus omninò Occidentalibus Ecclesiis viguisse antiquiùs; nec, si viguerit, tandiù perseverasse. Quidquid sit eâ de quæstione, certè ritus ille ad disciplinam, non ad fidem pertinet; et quem nunc servat Ecclesia Occidentalis eâ de re morem, is et sanctus est, et suâ ipsâ antiquitate venerabilis. (D)

I. Estne id antiquissimi ritùs, ut peractâ consecratione corpus et sanguis Christi sursùm efferantur à Sacerdote, ut ea populus circumstans adoret?

R. Ut corpus Christi post consecrationem exhibeatur ad adorationem populo circumstanti, id semper in more positum fuit apud omnes Christianos, ut patet ex omnibus omninò Liturgiis. Sed non eodem modo et ritu id fit apud omnes. Græci non per Sacerdotem, sed per Diaconum; non statim post consecrationem, sed paulò ante communionem,

(B) *Vide* S. AMBROS. *litt. sup. cap.* 5. *n.* 25. *Quem locum si quis de communione accipi velit, fatebitur certè id expressiùs et clariùs enuntiari lib. de his qui Mysteriis initiantur, cap.* 9. *his S. Doctoris verbis:* Ipse clamat Dominus Jesus: *Hoc est corpus meum.* Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur. Ipse dicit sanguinem suum. Ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis, *Amen*, hoc est, verum. Quod os loquitur, mens interna fateatur.

(C) JOAN. BONA S. R. E. Cardin. *Rerum Liturg. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 1. Græci et alii Orientales verba consecrationis elatà voce pronuntiant, et populus respondet, *Amen.* Dionysius Alexandrinus de hoc ritu testimonium perhibet Ep. ad Xistum Romanum Pontificem apud Eusebium lib. 7. histor. Eccles. cap. 9. *Qui gratiarum actionem*, inquit, *frequenter audierit, et qui cum cæteris responderit*, Amen, *etc.* Eumdem morem servabat olim Ecclesia Occidentalis, omnes enim audiebant sanctissima et efficacissima verba, quibus Christi corpus conficitur. Hinc Tertullian. lib. de spectaculis *cap.* 25. in eos invehitur, qui *eo ore quo* Amen *in sanctum protulerant, gladiatori testimonium reddere non verebantur.* Ambrosius lib. de iis qui initiantur, ait: *Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Et tu dicis*, Amen, *hoc est, Verum est.* Alcuinus idem asserit, et ex eo Florus magister in Expositione Missæ: Amen *autem quod ab omni Ecclesia respondetur, interpretatur, Verum, non ubicunque et quomodocunque, sed mysticâ religione. Hoc ergo ad tanti mysterii consecrationem, sicut et in omni legitima oratione respondent fideles, et respondendo subscribunt.* Posteà statutum est ut Canon submissâ voce recitaretur, et sic desiit ea consuetudo seculo decimo.

(D) CONCIL. TRIDENT. *sess.* 22. *can.* 9. *de Missæ sacrificio.* Si quis dixerit: Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse.... Anathema sit.

corpus Christi palàm exhibent populo circumstanti ad adorationem. Olim et Ecclesia Romana non nisi ante orationem Dominicam illud exhibebat, ut suo loco dicemus. (*Hocce §. n.* XXV.) Quin et moris recentioris est, (nec ubique etiamnùm mos ille obtinet,) ut calix seorsùm à corpore Domini exhibeatur. Carthusiani peractà consecratione corpus quidem Domini statim ostendunt adorandum, ut facimus; sed non ostendunt calicem, illum Ecclesiæ Romanæ morem secuti, qui tunc vigebat cùm eorum Ordo institutus est. (E)

(E) JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 13. *n.* 2. Latini peractà consecratione, Græci paulò ante communionem, ut ex Liturgiis Jacobi, Basilii, Chrysostomi manifestum est, corpus Dominicum et calicem elevant, ut à populo adoretur. Idque ab antiquo tempore fieri solitum indicant Scriptores Græci: Dyonysius lib. Eccles. Hierarchiæ, *Divinissima*, inquit, *consecrat mysteria, et in aspectum ducit, quæ celebravit.* Et infrà: *obtecta munera in apertum producit.* Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 27. *Invocationis verba, cùm ostenditur panis Eucharistiæ, et poculum benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit?* S. Germanus in contemplatione rerum Ecclesiasticarum circa finem: *Elatio autem in altum venerandi corporis repræsentat crucis elationem.* Anastasius Sinaïta serm. de sacrà synaxi: *Sacerdos post sanctificatum sacrificium incruentum, attollit panem vitæ, et omnibus illum ostendit.* Maronitæ post orationem Dominicam et alias preces eamdem hoc ritu peragunt elevationem. Sacerdos elevat corpus Christi, et vocem attollens dicit: « Sancta sanctis in per- » fectione, puritate et sanctitate dentur. *Respondet populus*, Unus Pater » sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus. Gloria Patri, et » Filio, et Spiritui sancto. *Tùm elevat calicem dicens*: Ita Domine in veri- » tate et verè credimus in te, sicut credit in te Ecclesia sancta Catholica, » quia es unus Pater sanctus, cui gloria, Amen; unus Filius sanctus, cui » gloria, Amen; unus Spiritus sanctus, cui gloria et gratiarum actio in » secula, Amen. » Eumdem ritum sequuntur Æthiopes, nam sancta dona elevant ante communionem, dicente Diacono, *Inspiciamus.* Tùm ait Sacerdos, *Sanctum date sanctis.* Subdit populus, *Unus Pater sanctus, unus Filius sanctus, unus Spiritus sanctus.* Et Sacerdos elevans sacramentum dicit altà voce, *Domine Jesu Christe miserere nobis.*

S. AUG. *in Ps.* XCVIII. *n.* 9. *Vide superiùs* §. 4. *Cap.* 4. *Sect.* 1. *hujusce Partis litt.* (F)

S. CYRILL. HIEROSOL. *Catech. mystag.* 5. *Vide infrà hujusce* §. *n.* 30. *litt.* (B)

S. AMBROS. *lib.* 3. *de Spiritu sancto, cap.* 11. *alias* 12. *n.* 76. *Adorate scabellum pedum ejus....* (*Ps.* XCVIII. 5.) Per scabellum terra intelligitur: per terram autem caro Christi quam hodièque in mysteriis adoramus, et quam Apostoli in Domino Jesu.... adorarunt; neque enim divisus est Christus, sed unus: neque cùm adoratur tanquam Dei Filius, natus ex Virgine denegatur.

S. JOAN. CHRYSOST. *in Epist. prior. ad Corinthios cap.* X. *homil.* 24. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Quid dicis, beate Paule, cùm vis auditorem confundere, et horrendorum mysteriorum meminisse, calicem benedictionis appellas, calicem illum formidolosum et horroris plenum? Sanè quidem: non enim parvum est quod dicitur. Siquidem cùm benedictionem dico, Eucharistiam dico: dicendo Eucharistiam, omnem benignitatis Dei thesaurum aperio, et magna illa munera commemoro. Etenim nos quoque recensitis supra calicem inenarrabilibus Dei beneficiis, et quæcunque consecuti sumus: ita demùm accedimus, et communicamus, gratias agentes quòd humanum genus errore liberavit, quòd cùm spem nullam haberemus, et impii in hoc mundo essemus, fratres et consortes suos adscripsit: cum his et cæteris hujusmodi gratiarum actionibus accedimus.... Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi

est? Maximè his sibi verbis et fidem facit et horrorem. Eorum autem hujusmodi est sententia. Quod est in calice, id est, quod à latere fluxit, et illius sumus participes. Calicem autem benedictionis appellavit, quoniam cùm præmanibus eum habemus, cum admiratione et horrore quodam inenarrabilis doni laudamus, benedicentes quòd sanguinem effudit ne in errore permaneremus; neque tantùm effudit, sed nos omnes ejus participes effecit.... Ne, rogo, ne nos ipsos occidamus per impudentiam, sed cum timore et summa puritate ad ipsum accedamus: et quando ipsum videris propositum, dic, Propter hoc corpus non sum ego ampliùs terra et cinis: non sum ampliùs captivus, sed liber: propter hoc spero me accepturum cœlos et omnia bona quæ in eis sunt, vitam immortalem, Angelorum conditionem, cum Christo consuetudinem. Hoc corpus clavis confixum, et flagris cæsum non tulit mors. Hoc corpus in crucem actum sol cùm vidisset, suos avertit radios. Propter hoc et velum tunc scindebatur, et petra rumpebatur, et terra quatiebatur. (*Matth.* XXVII. 51.) Hoc est illud corpus quod fuit cruentatum, quod lanceâ percussum, et salutares emisit fontes universo orbi terræ, unum quidem sanguinis, alterum verò aquæ.... Hoc corpus, etiam jacens in præsepi, reveriti sunt Magi (*Matth.* II.), et viri impii, et barbari patriâ et domo relictâ, et longam viam confecerunt, et cùm venissent, cum multo metu et tremore adoraverunt. Imitemur autem vel barbaros, nos cœlorum cives. Nam illi quidem cùm et in præsepi vidissent et in tugurio, neque tale quidpiam vidissent quale tu nunc, cum magna accesserunt reverentia. Tu autem non in præsepi vides, sed in altari; non fœminam eum tenentem, sed Sacerdotem adstantem, et Spiritum cum magna copia ea quæ sunt proposita supervolantem. Non solummodò hoc ipsum corpus vides sicut illi, sed nosti ejus et virtutem et dispensationem, et nihil ignoras ex iis quæ per ipsum effecta sunt, ut qui in omnibus mysteriis sis exactè et accuratè initiatus. Nos ergo ipsos excitemus, et formidemus, et longè majorem quàm illi barbari ostendamus reverentiam; ne si temerè et inconsideratè accesserimus, in nostrum caput ignem congeramus.

B. THEODORET. *dialog.* 2. *inconfusus Eran. etc. Eran.* Qui appellas donum quod offertur ante Sacerdotis invocationem? *Orth.* Apertè dicendum non est. Verisimile est enim adesse aliquos mysteriis non initiatos. *Eran.* Respondeatur ænigmaticè. *Orth.* Cibum ex talibus seminibus. *Eran.* Alterum verò symbolum quomodò vocamus? *Orth.* Commune et hoc nomen est, poculi speciem significans. *Eran.* Post sanctificationem verò quo modò hæc appellas? *Orth.* Corpus Christi, et sanguinem Christi. *Eran.* Et credis te corpus Christi et sanguinem percipere? *Orth.* Ita credo. *Eran.* Sicut ergo symbola Dominici corporis et sanguinis, alia sunt ante Sacerdotis invocationem, post invocationem verò mutantur, et alia fiunt: ita Dominicum corpus post ascensionem in Divinam substantiam mutatum est? *Orth.* Relibus quæ ipse texuisti, captus es. Neque enim symbola mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, et figura, et forma, et videri tangique possunt, sicut et priùs: intelliguntur autem ea esse quæ facta sunt, et creduntur, et adorantur, ut quæ illa sint quæ creduntur.

Domn. JOAN. MABILLON *Comment. in Ord. Rom. n.* 7. In quibusdam Ecclesiis *Amen* post verba consecrationis à populo dicebatur: sed nihil hâc de re nec in libellis nostris, nec in Sacramentario Gregoriano. Tametsi ejus rei meminit Augustinus in Epist. ad Januarium.

Per totum Canonem *Episcopi*, *Diaconi*, *Subdiaconi*, *Pontifici servientes, et Presbyteri in presbyterio permanebant inclinati:* nisi quòd ad verba, *Nobis quoque peccatoribus*, surgebant Diaconi. Hâc corporis inclinatione adorabant sacram actionem et sacra mysteria, quæ vulgatus Anastasius in Martino Papa *adorandam hostiam* vocat.

Non statim post consecrationem in altum à Sacerdote hostia, itemque calix primis illis temporibus efferebantur: sed sub finem Canonis, cùm diceret Sacerdos, *Per quem hæc omnia*, etc. erigebat se Archidiaconus solus: et cùm diceretur, *Per ipsum et cum ipso*, levabat cum offertorio calicem per ansas, et tenebat exaltans illum juxta Pontificem. Micrologus, *Corpus cum calice tunc levatum* fuisse dicit in cap. 15. ubi nullam alterius post consecrationem levationis mentionem facit. Orientales id

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm fit Consecratio ?

R. Debet, 1. tremendum hoc mysterium totâ mente atque animo intentissimo, summâ cum reverentiâ meditari.

2. Fidem suam de hac transsubstantiatione mirabili profiteri.

3. Petere à Deo ut et ipsi nos in Christum quodam modo transformemur.

I. Quid agendum dùm hostia salutaris, et sanguis Christi palàm adoranda exhibentur, ac sursùm tolluntur?

R. Adorandus est Christus tunc præsens in altari sub speciebus panis et vini velatus, ejusque imploranda misericordia.

N° XXI. *Series Canonis.* Unde et memores.

I. Quid agit Sacerdos peractâ consecratione ?

R. Recitatis verbis consecratoriis, pergit ex ore Christi in hunc modum :

Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. (*Luc.* XXII. 19. *et* 1. *Cor.* XI. 25.)

Deindè postquàm adoravit, exhibuitque populu circumstanti Christi sanguinem adorandum, offert denuò corpus et sanguinem Christi, his verbis usus :

præstant paulò ante communionem. Porrò elevatio post consecrationem in Gallia post medium seculum undecimum videtur fieri cœpta, haud scio an paulò seriùs in Ecclesia Romana : tametsi utrobique ad consecrationem sacra mysteria adorarentur. Hùc spectat Ivonis Episcopi Carnutensis Epistola 142. ad Mathildem Anglorum Reginam, cui gratias agit, ob campanas Ecclesiæ suæ concessas, quarum sonitu ait renovari ipsius Reginæ memoriam, tunc præsertim, *Quandò illa salutaris Hostia, pro nobis redimendis in ara crucis oblata per novi sacerdotii ministros in Domini mensa quotidiè consecratur.* Ubi nulla mentio elevationis ; uti nec in usuum Cisterciensium *cap.* 53. Sic verò in institutionibus Capitulorum generalium, cap. 25. distinct. 3. ubi in Capitulo generali anni 1215. statutum legitur, *Ut consecratione peractâ, hostia elevetur.* Quo ferè tempore Guillelmus Episcopus Parisiensis, et in Germania Guido Cardinalis statuerunt, ut ad elevationem campanula pulsaretur. Hoc loco in memoriam redit S. Malachiæ Hiberniæ Primatis calix sacer, in thesauro Clarævallensi asservatus ; ex cujus labio dependent aliquot campanulæ, quibus ad motum calicis adstantes ad adorandum excitarentur. Denique seculo XIII. in Cæremoniali Gregorii X..... præscribitur, *ut in elevatione corporis Christi prosternant se ad terram, et adorent reverenter in facies cadendo : et sic prostrati stent usque ad*, Per omnia. Quod hodiè quoque aclitant Carthusiani.

ORDINAR. CARTHUSIAN. *cap.* 27. *n.* 4. Brachiis altari innixis, stans capite inclinato cum omni attentione, reverentia et devotione profert hæc consecrationis verba super hostiam quam tenet, et simul super omnes quotquot sunt consecrandæ, (*Hoc est enim corpus meum.*) Debent autem illa verba proferri secretè, distinctè ac continuatè.

N. 5. Quibus prolatis Sacerdos tenens in sanctissima hostia Salvatorem mundi ..... profundè inclinatus, et genuflexus, non tamen usque ad terram, eam adorat, sic quidem ut à consistentibus retrò videri tunc non possit quæ adoratur. Mox Sacerdos se erigens, illam sensim et cum magna gravitate, semperque intentis eidem oculis, elevat quantùm commodè potest in altum : atque sic omnibus ostendit, quàm devotissimè adorandam ; deindè reverenter super corporale reponit · *Nil tale additur post calicis consecrationem.*

Undè et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis, offerimus præclaræ majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam † puram, hostiam † sanctam, hostiam † immaculatam, panem † sanctum vitæ æternæ, et calicem † salutis perpetuæ. (A)

Hæc dicens ter cruce signat hostiam simul et calicem, semelque hostiam seorsùm, ac deindè semel calicem.

I. Cur Sacerdos cruce signat toties hostiam et calicem peractâ jam consecratione?

R. Non ut sacrosanctum corpus et sanguinem Domini benedicat, quod vel cogitare absurdum est; sed ut his signis verba comitantibus intelligamus, Sacrificium et oblationem corporis et sanguinis Domini factam in altari Eucharistico, vim omnem et virtutem habere à Sacrificio crucis, quod in Missa exhibetur et continuatur.

I. Quid sibi vult Ecclesia in hac oratione, *Undè et memores?*

R. Id ut apertiùs intelligamus, singula hujus orationis verba perpendenda sunt.

Undè et memores. Hìc Sacerdos obsequitur Christo, cujus mox recitavit hæc verba, *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis.*

Nos servi tui, sed et plebs tua sancta. Hanc orationem sicuti et cæteras omnes liturgicas preces non suo tantùm, sed et populi Christiani nomine recitare se profitetur. Populus orat, populus offert, ministerio et voce Sacerdotis, ut sæpiùs diximus (§. 9. *hujusce Cap. et hocce §. sæpiùs.*): hæc ergo Ecclesiæ mens est, ut jungat se populus Sacerdoti hanc orationem recitanti, eamque si quisque tacitus simul recitaverit, faciet rem ad mentem Ecclesiæ apprimè accommodatam, ut patet ex ipso orationis contextu.

Tam beatæ passionis, nec non et ab inferis resurrectionis, sed et in cœlos gloriosæ ascensionis. Hìc revocari juvat in memoriam ea quæ diximus ad hanc orationem, *Suscipe sancta Trinitas* (*n.* XII. *hujus* §.), in qua profitetur quoque Sacerdos offerre se sacrificium *in memoriam passionis, et resurrectionis, et ascensionis Domini nostri Jesu Christi.* Quibus adde, quòd quemadmodùm consecratio, quâ panis et vinum transformantur in corpus et sanguinem Christi, exhibet, ut diximus (§. 9. *hujusce Cap.*), Christi morientis in cruce Sacrificium, ita quam nunc facit Sacerdos oblationem corporis et sanguinis Christi peractâ jam consecratione, illa novam exhibet oblationem Christi, qui post resurrectionem ascendit in cœlum, ut jugiter offerret Deo patri fusum pro nobis in cruce sanguinem (*Hebr.* IX. 24.): *Non enim in manufacta sancta Jesus introivit, exemplaria verorum, sed in ipsum*

(A) S. AMBROS. *Lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6. *n.* 27. *Vide infrà hocce* §. *n.* 22. *proximè sequente.*

cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis, inquit Apostolus. Et hæc quidem est ratio cur Sacerdos hìc dicat : *Memores passionis, et resurrectionis, et ascensionis offerimus præclaræ majestati tuæ*,

De tuis donis ac datis, id est, de pane et vino quæ tuâ liberalitate nobis concessa, transmutata sunt in corpus et sanguinem Christi. Ergo hostiam ex tuis donis ac datis, ex pane et vino conversam in corpus et sanguinem Christi tibi offerimus ; utique,

Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam; nimirùm corpus ipsum et sanguinem Christi. Hìc Sacerdos notat Prophetiam Malachiæ, quam superiùs retulimus (§. 7. *hujusce Cap.*), in quâ prædictum erat offerendam esse in omni loco *puram* et mundam *oblationem.*

Panem sanctum vitæ æternæ, et calicem salutis perpetuæ. Id est, cibum et potum quo vita æterna continetur et confertur. Non veretur Ecclesia corpus Christi appellare *panem*, etiam postquàm peractâ consecratione substantia panis in substantiam corporis Christi tota conversa est, nec quidquam superest prioris substantiæ : quia *panis* voce genericâ quodlibet cibi genus significatur. Undè Christus ipse de se loquens ait : *Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.* (*Joan.* VI. 41.) Hunc ergo panem cœlestem et vivificum offert Ecclesia.

N° XXII. Supra quæ.

I. Quæ est altera oratio Canonis post consecrationem ?

R. Postquàm Sacerdos panem hunc sanctum et calicem salutiferum obtulit, orat Deum ut hæc dona accepta habere dignetur. Sic autem prosequitur :

Supra quæ propitio et sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et Sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech sanctum Sacirficium, immaculatam hostiam. (A)

I. Miror admodùm cur oret Ecclesia Deum, ut propitio et sereno vultu respicere et accepta habere dignetur corpus et sanguinem Christi, sicuti accepta habere dignatus est munera Abelis, Abrahæ et Melchisedech : quasi verò Christus semetipsum offerens Patri velit propitium sibi Patrem esse ; quasi verò possit Sacrificium hoc non gratum et acceptum esse Deo ; quasi verò conferri possit meritum veterum sacrificiorum cum merito Sacrificii Christi. Vereor certè ne

(A) S. AMBROS. *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 6. *n.* 27. Et Sacerdos dicit : Ergo memores gloriosissimæ ejus passionis, et ab inferis resurrectionis, et in cœlum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, et calicem vitæ æternæ : et petimus et precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo per manus Angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera pueri tui Abel, et sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus Sacerdos Melchisedech.

quid in hac precandi formula Christo injurium esse videatur?

R. In hac precandi formula nihil injurium Christo, nihil quòd parùm deceat, nihil quod possit meritò reprehendi.

Neque enim orat Ecclesia ut Deus propitius sit Christo semetipsum offerenti, sed ut propitius sit nobis Christum ipsum offerentibus; acceptaque habeat munera Ecclesiæ Christum offerentis, quemadmodùm accepta olim habuit munera Abelis, Abrahæ et Melchisedech, hujusce Sacrificii typos et figuras offerentium. Neque enim Deo accepta fuêre vetera isthæc Sacrificia, nisi in quantum Christi Sacrificium prænuntiabant, et adumbrabant. Si enim illa à Christi Sacrificio separentur, nihil habuêre virtutis, nec propitio et sereno vultu respici à Deo potuerunt. Nisi hoc sensu totam hanc precationem intelligas, facies gravem Christo injuriam: quòd quàm alienum à mente Ecclesiæ sit nemo non videt. Sic itaque accipienda est illa orationis formula, ut intelligatur eo sensu qui verbis mox sequentibus exprimitur:

Quemadmodùm illæ olim accepta habere dignatus es munera Abel, Abrahæ, et Melchisedech, offerentium tibi de bonis suis Sacrificia, quemadmodùm propitius fuisti eis munera illa tibi offerentibus; ita Domine digneris propitio et sereno vultu respicere nos offerentes tibi non umbratica, ut illi, Sacrificia, sed Christum ipsum his Sacrificiis adumbratum.

I. Cur præ omnibus sacrificiis mentionem hîc facit Ecclesia Sacrificii Abelis, Abrahæ et Melchisedech, tacito nomine Sacrificiorum Judaïcorum? Cur nullam facit Aaronis mentionem?

R. Quia tres illi viri sancti Christum ipsum ejusque Sacrificium, et per se ipsi et sacrificiis suis, expressiùs adumbrarunt quàm cæteri omnes qui ante Christum vixêre.

Abel innocens primitias armentorum suorum cum fervore et fide offerens Deo, et à fratre invido occisus, Christum ipsum expressit innocentem, Judæorum invidiâ morti traditum, et offerentem se Deo in Sacrificium jam ab ipso vitæ exordio. (B)

Abraham pater omnium credentium unigenitum suum Isaac immolans, jamque moriturum, et velut à morte redemptum recipiens, ut Apostolus innuit, Christum expressit, qui est auctor fidei nostræ, et factus obediens Patri,

(B) Hebr. xi. 4. Fide plurimam hostiam Abel, quàm Caïn obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo; et per illam defunctus adhuc loquitur.

S. August. *lib.* 15. *de Civit. Dei cap.* 17. Occiso Abel, atque in ejus interfectione commendato mirabili sacramento.

Cap. 18. Ex duobus namque illis hominibus, Abel, quod interpretatur luctus, et ejus fratre Seth, quod interpretatur resurrectio, mors Christi et vita ejus ex mortuis figuratur. Ex qua fide gignitur hic civitas Dei, id est, homo, qui speravit invocare nomen Domini Dei.... Nam quis vacare hoc existimet ab allitudine sacramenti? Nunquid enim Abel non speravit invocare nomen Domini Dei, cujus sacrificium Scriptura tam acceptum Deo fuisse commemorat.

semetipsum Sacerdos simul et victima morti tradidit, et à mortuis suscitavit. (C)

Melchisedech Sacerdos, et secundùm significationem nominis Rex pacis et justitiæ, Sacerdos, inquam, in æternum, Sacerdos triumphato hoste sacrificans, Sacerdos Aarone major, Sacerdos panem et vinum offerens, quàm expressè Christum his omnibus adumbraverit nemo non videt. (D)

Itaque Abel, Abraham, et Melchisedech triplici illo Sacrificio quod suo quisque modo obtulit, magnum illud expresserunt Sacrificium quod Christus nascens inchoavit, moriens in cruce immolavit, cœlo receptus consummavit, et in altari Eucharistico quotidiè exhibet et continuat. Est ergo plena mysterii et mirabilis prorsùs quam hîc facit Ecclesia mentio triplicis illius Sacrificii, expresso Abelis, Abrahæ, et Melchisedeci nomine.

I. Quid causæ est cur Ecclesia Melchisedeci Sacrificium vocet, *sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam?*

R. Nihil obstat verba isthæc, si velis, intelligi de Melchisedeci Sacrificio; quia expressior typus fuit illius Sacrificii quod sub specie panis et vini a Christo erat offerendum.

Sed veriorem horum verborum sensum attigeris, si cum Odone Episcopo Cameracensi, Remigio Altissiodorensi, Floro Diacono Lugdunensi qui nono seculo floruit, Titelmanno aliisque non infimæ notæ sacri Missæ Canonis Interpretibus, verba hæc, *sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*, ad ipsum Christi Sacrificium referas, non ad Sacrificium Melchisedech: adeò ut verba hæc, « (Propitio ac » sereno vultu respicere digneris, sicuti accepta habere

(C) Hebr. xi. 17. Fide obtulit Abraham Isaac, cum tentaretur, et unigenitum offerebat, qui susceperat repromissiones (*Genes.* xxii. 1.); 18. ad quem dictum est: Quia in Isaac vocabitur tibi semen (*Genes.* xxi. 12.): 19. arbitrans quia et à mortuis suscitare potens est Deus: undè eum et in parabolam accepit.

S. Aug. *Lib.* 16. *de Civit. Dei*, *cap.* 32. *n.* 1. *Vide suprà Part.* 1. *Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 6. *litt.* (C. *et* E.)

S. Chrysost. *Homil.* 52. *ad popul. Antioch. de sancto Eustathio*, *pag.* 647. *edit. Paris. in fol. ann.* 1609. Abraham non gladium cruentavit; non altare rubefecit; non Isaac jugulavit; sed tamen sacrificium perfecit. Quis hoc ait? Ille ipse qui sacrificium suscepit. *Non pepercisti*, inquit, *filio tuo dilecto propter me.* (*Genes.* xxii. 12.) Atqui vivum eum recepit et incolumen reduxit. Quomodò igitur non pepercit? Quòd non ex factorum exitu, sed ex animi sententia, inquit, de hujusmodi sacrificiis solet judicare Deus. Non mactavit manus, at voluntas mactavit: non gladium pueri jugulo immersit: non cervicem indicit: sed est sacrificium etiam sine sanguine. Sciunt illi, qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus: propterea et illud sacrificium sine sanguine perfectum est, quoniam illius figura esse debuit. Vides in veteri Testamento imaginem multò antè adumbratam, noli veritati fidem denegare.

(D) Hebr. vii. 1. Hic enim Melchisedech, Rex Salem, Sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso à cæde Regum, et benedixit ei: 2. cui et decimas omnium divisit Abraham: primùm quidem qui interpretatur Rex justitiæ: deindè autem et Rex salem, quod est Rex pacis.

S. Aug. *lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 22. *et alios vide suprà hujusce Cap.* §. 5. *litt.* (C)

» dignatus es munera pueri tui justi Abel, et Sacrificium » Patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus » Sacerdos tuus Melchisedech ») parenthesi claudi oporteat, ut sensus sit, *Supra quæ* dona, quæ exhibent *sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam, propitio et sereno vultu respicere digneris, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri, etc.*

Aiunt verba hæc, *sanctum Sacrificium, immaculatam hostiam*, addita Missæ Canoni fuisse jussu S. Leonis Magni, seculo quinto. At quis putet hoc in honorem umbratici Melchisedech Sacrificii factum à sancto Pontifice. Longè verisimilius est, S. Leonem in mente habuisse unicum Christi Sacrificium, et verba hæc adjecisse post longam parenthesim huic orationi, ut his verbis hæc oratio faciliùs connecteretur cum oratione sequenti, quæ sic incipit, *Supplices te rogamus, jube hæc perferri in sublime altare tuum, etc.* adeò ut verborum illorum adjectione, verba hæc, *jube hæc perferri*, non ad umbratica Sacrificia, de quibus in præcedenti oratione mentio fit, sed ad ipsa dona in altari posita, ad sanctum Sacrificium, ad immaculatam hostiam, hoc est, ad Christum ipsum sub specie panis et vini oblatum referrentur.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm hæc recitatur oratio ?

R. Hæc oratio connexa est cum superiore, quam Sacerdos et populi circumstantis et suo nomine recitat, ut jam diximus (*Num. sup.*), et verba ipsa superioris orationis exprimunt. Hæc itaque Ecclesiæ mens est, ut populus circumstans jungat se Sacerdoti oranti ; facietque populus rem apprimè convenientem, si verba ipsa orationis tacitus recitet : quod et de sequenti oratione dictum puta, quæ hujus est series et continuatio.

N° XXIII. Supplices te rogamus.

I. Quæ est tertia Canonis post peractam consecrationem ?

R. Sacerdos profundè inclinatus, ut hoc habitu corporis exprimat et subjectionem mentis, et orationis instantiam, sic prosequitur :

Supplices te rogamus, omnipotens Deus : jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ : ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus : omni benedictione cœlesti et gratiâ repleamur, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

I. Quæ est hujus orationis ratio, qui scopus ?

R. Id ut faciliùs assequaris, ad mentem revocari juvat quod superiùs diximus de veteribus sacrificiis (*hujusce Cap.* §. 1.), in quibus victima immolata et supposito igne cremata abibat in fumum quasi ad thronum Dei elata, ut recreatus, si fas ita loqui, Deus illius odore suavissimo, largam benedictionem et varia dona in sacrificantes effunderet.

Quæ res typus Christi fuit. Christus enim in ara crucis immolatus, et factus immortalis resurrectione, quâ velut igne absortum est quidquid mortale et corruptibile assumpserat, ad thronum Dei tandem Ascensione pervenit; sedensque ad dexteram Patris, hinc varia dona et multiplicem benedictionem misso ad Discipulos Spiritu sancto in homines derivavit. *Ascendens in altum dedit dona hominibus*, inquit Apostolus. (*Ephes.* IV. 8.)

Mysteria hæc in Missæ sacrificio exhibemus et renovamus: idque ut palàm fiat omnibus, dicimus primùm offerri à nobis hoc sacrificium in memoriam Passionis, et Resurrectionis, et Ascensionis Jesu Christi; deindè petimus à Deo, ut hoc acceptum habere dignetur quemadmodùm olim acceptas habere dignatus est hujus sacrificii umbras. Denique petimus, ut victimam hanc in arâ Eucharisticà mysticè immolatam jubeat perferri ad sublime thronum divinæ majestatis suæ, ut per sacram ejus sumptionem participes efficiamur benedictionum et gratiarum omnium quæ sacrosancta hæc victima è cœlo nobis attulerit.

I. Rectè id quidem, sed vereor ne Christo injuriosa sit ea precatio, quâ petimus à Deo, ut Christus sancti Angeli ope è terra denuò perferatur in cœlum?

R. Fateor injuriosam Christo fore hanc precandi formulam, si sic ad litteram intelligeretur. Sed apage servilem istum et odiosum sensum. Christus ascendit in cœlum, nunquam indè discessurus donec veniat judicare vivos et mortuos: id Ecclesia credere se profitetur in Symbolo. Hàc ergo metaphoricà locutione alludit ad vetera sacrificia, in quibus incensæ victimæ fumus ad thronum Dei per manus Angelorum ferri dicebatur; secundùm id quod in Apocalypsi legitur, *Ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* (*Apoc.* VIII. 4.) Angeli enim sæpiùs in Scripturis dicuntur ad altare Dei, id est, Deo per Christum offerre hominum preces, vota, sacrificia. (A)

In hunc ergo sensum precamur. Cùm indignos nos esse sentiamus, quorum è manibus hostiam hanc immaculatam Deus suscipere dignetur, petimus ut Deus mittat aliquem ex sibi adstantibus Angelis, qui hostiam hanc pro nobis et nostro nomine ad altare Dei, id est, ad Christum ipsum in cœlo Patri assidentem perferat, ut prosit nobis ad salutem oblatio hîc à nobis facta. Antiquissima est hæc precandi formula: exstat enim in libro de Sacramentis, cujus auctor, si non ipse S. Ambrosius, saltem S. Ambrosio suppar fuit: in eo autem libro hæc precatio hæc habet verba, *Per manus Angelorum*, non, *per manus Angeli tui.* (*Vide num. super. litt.* (A)

(A) Tobiæ XII. 12. *Angelus Tobiam alloquens ait:* Ego obtuli orationem tuam Domino.

Nihil quoque obstat quominùs per sanctum Angelum hunc, per quem petimus immaculatam hostiam ad altare Dei perferri, intelligamus Christum ipsum, qui dicitur in Scripturis, secundùm versionem 70. Interpretum, magni consilii Angelus, estque simul et altare, et victima, et Sacerdos, et mediator, per quem unum habere possumus accessum ad Patrem. Quo posito, hic erit sensus divinæ hujus precationis :

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, jube ut qui se ipsum per manus nostras hîc tibi obtulit, qui se ipsum offert pro nobis jugiter in cœlis Jesus Christus, sanctus ille tuus magni consilii Angelus, perferat ad sublime altare tuum in conspectu divinæ majestatis tuæ quam nos in hoc altari fecimus corporis et sanguinis ejus oblationem, simulque exponat tibi quâ mente, quo flagranti desiderio obtulerimus : ut quotquot ex hoc altari sacrosanctum ejusdem Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratiâ repleamur, per eumdem Christum Dominum nostrum.

N° XXIV. Memento *pro mortuis.*

I. Quæ est quarta Canonis oratio post consecrationem ?

R. Peractâ superiori oratione, Sacerdos orat pro mortuis in hunc modum :

Memento etiam, Domine, famulorùm famularumque tuarum N. et N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

Hîc Sacerdos pausat aliquantulùm, interimque tacitus orat pro mortuis, quorum specialem vult facere mentionem. Deindè sic prosequitur :

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis ut indulgeas deprecamur, per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

I. Quid maximè advertendum in hac oratione, ut habeatur plenior illius intelligentia ?

R. 1° Ecclesia non orat pro omnibus omninò mortuis, sed pro iis solùm qui dormiunt quidem in somno pacis, et cum Christo quiescunt, sed nondùm tamen pervenerunt ad locum refrigerii, lucis et pacis. Proindè non orat pro sanctis cum Christo regnantibus et locum jam refrigerii, lucis et pacis obtinentibus : nec pro reprobis, qui vel non habuerunt unquam signum fidei, vel hoc amisso nec recuperato mortui sunt, nec dormiunt in somno pacis, nec in Christo quiescunt. (A)

2° Non solùm orat Ecclesia pro iis quos Sacerdos specialiùs commendat Deo, sed pro omnibus omninò defunctis in pace Christi quiescentibus : *ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, etc.* Nullam ergo animam ex iis quæ purgatorio igne mundantur prætermittit Ecclesia, nulla est cujus non faciat in sacrificio mentionem. Nulla proindè

(A) *Vide suprà hujusce Cap.* §. 12. *auctoritates à nobis allatas litt.* (C)

derelicta dici aut existimari debet, ut ignara plebs non rarò loquitur.

3° Pro defunctis petit Ecclesia *locum refrigerii*, *lucis et pacis* : refrigerii, propter *ignem;* lucis, propter *tenebras;* pacis, propter *anxietates :* quo triplici supplicii genere purgantur.

4° Hic adverte concentum planè mirabilem Ecclesiæ militantis cum Ecclesia triumphante et Ecclesia patiente. Ecclesia militans offert se Deo in sacrificium cum Christo et omnibus Sanctis ejus, id est, cum tota Ecclesia triumphante : simulque petit ut Ecclesia patiens locum refrigerii, lucis et pacis obtineat ; ut tandem adunatæ sub Christo capite tres illæ Ecclesiæ, omnes simul uno corde, uno ore Deum ament, laudent, benedicant et glorificent in æternum. Hic unus scopus Missæ sacrificii : hùc tendunt cæteræ omnes rationes et causæ sacrificii offerendi.

I. Estne prisco in more positum, ut inter sacrificandum oret Ecclesia pro defunctis ?

R. Exstat oratio pro defunctis in Liturgiis omnibus Ecclesiæ, tum Orientalis, tum Occidentalis. Hoc ab Apostolis traditum universa per totum orbem observat et observavit semper Ecclesia, ut pro defunctis inter sacrificandum oret. Quod fusè superiùs probavimus. (§. 12. *et* 13. *hujusce Cap.*) (B)

(B) S. Aug. *de cura pro mortuis gerenda*, *cap.* 1. *n.* 3. *Vide suprà Parte* 2. *Sect.* 4. *Cap.* 2. §. 24. *litt.* (F) *Vide et alias omnes* SS. PP. *auctoritates tùm eodem* §. *allatas*, *tum locis ibidem indicatis litt.* (A) *et hujusce Cap.* §. 12. *litt.* (D) *et seq.*

S. Epiphan. *in Expositione fidei Catholicæ*, *n.* 23. Jam verò quod ad mortuos spectat, nominatim illorum mentio fit : ac preces et sacrificia, mysteriaque frequentantur.

S. Cyrill. Hieros. *Cateches. Mystag.* 5. Deindè pro defunctis sanctis Patribus et Episcopis. Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitâ functi sunt, maximum esse credentes animarum juvamen, pro quibus offertur precatio, sancti illius et tremendi, quod in altari positum est, Sacrificii. Quod exemplo vobis demonstrare volumus. Scio enim multos dicere : Quid juvat animam, sive cum peccatis, sive absque peccatis ex hoc mundo decedentem, etiamsi in hoc Sacrificio mentio illius fiat ? An enim si Rex aliquis eos, à quibus offensus est, in exilium pepulerit, posteà verò illorum propinqui, coronam aliquam conficientes, pro his, qui sunt in supplicio, exulibus, eidem offerrent ; nonne condonationem aliquam suppliciorum ipsis dederit ? Ad eumdem modum et nos pro defunctis precationes adhibentes, quamvis sint peccatores, non quidem coronam plectimus, sed Christum pro nostris peccatis mactatum offerimus, ut et nobis et illis, eum qui est benignissimus, propitium reddamus.

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 21. *in Acta Apost. in morali. Vide suprà* §. 11. *hujusce Cap. litt.* (D)

Joan. Bona S. R. E. *Card. Rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 1. In aliis MS. codicibus hæc ipsa oratio sic inscribitur, *super diptycha.* Nomina enim fidelium defunctorum tabulis inscribere, et intra Missarum solemnia recitare, ut suprà indicavi, antiquissima consuetudo est, et Apostolicum institutum.

N. 2. In Monasteriis viguit olim hic mos, et in plerisque adhuc manet, ut mitterent sibi invicem fratrum, amicorum, et benefactorum defunctorum nomina, ut diptychis inscriberentur. Postquàm verò diptychorum usus desiit, in libro, quem Necrologium vocabant, scribebantur ; et

I. Quid agere debet populus circumstans dùm Sacerdos orat pro mortuis ?

R. Si tunc et ipse tacitus pro defunctis omnibus ad mentem Ecclesiæ oraverit, eorumque nominatim meminerit, quos voluerit in sacrificio expressiùs commendatos, faciet rem quâ melior tunc fieri nequit.

N° XXV. Nobis quoque peccatoribus.

I. Quid agit Sacerdos postquàm oravit pro mortuis ?

R. Orare pergit. Sic autem prosequitur, elatâ aliquantulùm voce ad tria priora orationis verba :

Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis Apostolis et Martyribus, cum Joanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis : intra quorum nos consortium, non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte, per Christum Dominum nostrum :

Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas †, vivificas †, benedicis †, et præstas nobis,

Per † ipsum, et † cum ipso, et † in ipso, est tibi Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritûs † sancti, omnis honor et gloria.

Hactenùs submissâ voce locutus est : tandem altâ voce concludit orationem his verbis :

Per omnia secula seculorum. Respondetur, *Amen.*

I. Quam connexionem habet hæc oratio cum præcedentibus ?

R. Postquàm Sacerdos ante consecrationem petiit à Deo, ut Ecclesiam militantem admittere dignetur in consortium Ecclesiæ triumphantis, postquàm idem post consecrationem petiit pro Ecclesia patiente : idem quoque nunc postulat pro

quotidiè post lectionem Martyrologii ex ipso codice eorum nomina legebantur, qui ipsà die obierant, et pro ipsis Psalmus *De profundis* cum oratione competenti cantari solebat, sicut hodiè fit in Cœnobiis benè institutis post generalem defunctorum Commemorationem. Vener. Beda *lib. 4. histor. Anglic. cap. 14.* loquens de obitu Oswaldi Regis, *Quærant*, inquit, *in suis codicibus, in quibus defunctorum est annotata depositio, et invenient illum hac, ut diximus, die raptum esse de seculo.* Plura ejusdem consuetudinis testimonia exhibent Epistolæ S. Bonifacii Martyris.... Non est autem hoc loco prætermittendum quod Dionysius *cap. 3. Eccles. hierarchiæ* divinæ Liturgiæ mysteria edisserens, nusquam meminit nomina viventium recitata tunc fuisse, sacri mortuorum duntaxat, idque ante consecrationem. Hoc in scholiis tanquam dignum observatione à S. Maximo notatum est. *Notandum*, ait, *mortuorum tantùm, eo Pontifice, recitari solita fuisse nomina :* cujus rei causam investiganti illud venit in mentem, in ea Ecclesia cui præfuit Dionysius, omnes fideles, qui pauci erant nondùm exstincto ethnicismo, sacris solemniis interfuisse : atque ideò defunctorum, qui soli aberant, factam duntaxat commemorationem. At ubi posteà vel aucto fidelium numero, vel diminuto fervore, plures abesse cœperunt, illorumque nomina recitata sunt, vivorum quidem ante consecrationem, et post illam defunctorum.

Vide etiam Auctoritates suprà allatas hocce §. n. 17. litt. (B)

se et pro omnibus circumstantibus, quorum nomine Sacrificium offert. Ideoque initium hujus orationis elatâ paululùm voce profert, ut possit adjungere se populus circumstans eidem preci; pectusque suum percutit ad hæc verba, *Nobis quoque peccatoribus*, ut hac percussione pectoris imitetur Publicanum Evangelicum, simulque et signo et voce exprimat quantâ cordis contritione et humilitate fateatur esse se peccatorem. (A)

I. Cur tot Sanctorum nomina hîc recitat, cùm jam multa recitaverit ante consecrationem ?

R. Hujus rei rationem reddidimus ad primam recitationem nominum ante consecrationem. (*Hocce* §. *n.* XVII.) Isthæc et alia plura nomina inscripta erant in diptychis, quorum pars Romæ, ut nunc fit, recitabatur olim ante consecrationem, pars altera post consecrationem.

Adde his, ut observavit Cardinalis Bona in opere eximio de rebus liturgicis (*Lib.* 2. *cap.* 14. *n.* V.), Ecclesiam hîc recitare nomina SS. Martyrum cujuscunque ferè ordinis; Joannis Baptistæ præcursoris Domini, Stephani Diaconi, Matthiæ Apostoli, Barnabæ Discipuli Domini, Ignatii Episcopi, Alexandri Papæ, Marcellini Presbyteri, Petri Exorcistæ, Felicitatis et Perpetuæ mulierum conjugatarum, Agathæ, Luciæ, Agnetis, Cæciliæ, Anastasiæ, Virginum.

I. Cur petimus à Deo ut in Sanctorum nos consortium, non æstimator meriti sed veniæ largitor, admittat ?

R. Quia novit Ecclesia,

1° Verum esse quod dicitur in Psalmo : *Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit ?* (*Ps.* CXXIX. 3.) et alibi : *Non intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens* (*Ps.* CXLII. 2.) : et quod ait S. Augustinus (*Confess. lib.* 9. *c.* 13. *n.* 34.), *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si seclusâ misericordiâ discutias eam.*

2° Vitam æternam non ut debitum rependi hominibus, sed ut gratiam et misericordiam. *Gratia Dei vita æterna*, inquit Apostolus (*Rom.* VI. 23.) : Hæc meritis quidem nostris redditur, sed merita ipsa sunt dona gratiæ et misericordiæ Dei ; Deusque merita nostra remunerans, remuneratur dona sua, *cumulans sua dona coronis*, inquit S. Prosper, carmine de ingratis.

I. Quis sensus est verborum qui in hac oratione recitantur in hunc modum : *Per Christum Dominum nostrum, per quem hæc omnia Domine semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis* ?

R. Hæc verba referuntur ad fructus novos, legumina, lac, mel, carnes, cibos denique omnes, qui solebant antiquitùs sub finem Canonis ante hæc verba benedici, quemadmodùm etiamnùm ante hæc verba fit benedictio olei infirmorum.

(A) Luc. XVIII. 13. Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad cœlum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens : Deus propitius esto mihi peccatori.

Per Christum enim bona hæc omnia in usum nostrum à Christum producuntur, sanctificantur, vitam accipiunt vel animalem vel vegetantem, benedicuntur et præstantur nobis. Hæc fructuum benedictio ad hæc verba Canonis fit etiamnùm nonnullis in Ecclesiis. In cæteris Ecclesiis licèt extra Missam fieri soleat benedictio fructuum, hæc verba tamen retinentur in Canone; quia verba hæc referri quoque possunt ad corpus et sanguinem Christi nobis sub specie panis et vini datum. (B) Quomodò autem hæc verba referri

(B) JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rerum Liturg. lib.* 2. *cap.* 14. *n.* 5. Finità hac oratione, post illa verba *largitor admitte*; si novæ fruges, aut quælibet alia humanis usibus inservientia benedicenda erant, ante altare olim collocari solebant, et hic à Sacerdote benedici: et terminatà benedictione solità clausulà, *Per Christum Dominum nostrum*, sequentem addebant orationem, *per quem hæc omnia Domine semper bona creas*: quæ, ut notat Lucas Dacherius in præfat. ad Lectorem Tom. 4. sui Spicilegii præfixà, non solùm referuntur ad oblata, sed etiam ad res tunc benedictas, quas Deus continuò creat sive producit, easque petimus ejus benedictione sanctificari nostris usibus profuturas. In libro antiquissimo Sacramentorum Reginæ Sueciæ, ponitur hoc loco benedictio ista novarum frugum in die Ascensionis Domini: « Benedic, Domine, et has » fruges novas fabæ, quas tu, Domine, rore cœlesti et inundantià plu» viarum ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis» cum gratiarum actionem in nomine Domini nostri Jesu Christi, per » quem hæc omnia Domine, etc. » In antiquo item Missali Vaticano num. 470. inserta est eodem loco benedictio agni in die Paschatis, quæ legi potest in Ordine Romano. In aliis plerisque tam Vaticanæ quàm Barberinæ Bibliothecæ, lac et mel benedicuntur, pro Catechumenis in Missa Sabbati sancti hac oratione: « Benedic, Domine, et has creaturas » fontis, lactis et mellis, et pota famulos tuos de hoc fonte perenni, qui » est Spiritus veritatis, et enutri eos de hoc lacte et melle. Tu enim, Do» mine, promisisti patribus nostris Abrahæ, et Isaac, et Jacob, dicens: » *Introducam vos in terram fluentem lacte et melle.* (*Exod.* XXXIII. 5.) Con» junge, Domine, famulos tuos spiritu charitatis et pacis, sicut conjunc» tum est hoc lac et mel in Christo Jesu Domino nostro. Per quem hæc » omnia, etc.. » In Missali Lugdunensi: In Canone Missæ antequàm Sacerdos dicat, *Per quem hæc omnia Domine, etc.* ponantur à Diacono super altare ad partem dexteram, propè manum Sacerdotis dexteram, acini uvarum in vase mundo, et Sacerdos dicat, (die S. Sixti) « Benedic, » Domine, hos fructus novos uvæ, quos tu, Domine, rore cœli et inun» dantià pluviarum, et temporum serenitate ac tranquillitate ad matu» ritatem perducere dignatus es, et dedisti eos ad usus nostros cum gratia» rum actione percipere in nomine Domini nostri Jesu Christi. » Deindè Sacerdos aspergat acinos uvarum aquà benedictà; et posteà subjungat, *Per quem hæc omnia.* Diaconus verò elevet vas acinorum de altari, et tradat vice-magistro chori; quo accepto, ipse videlicet vice-magister chori distribuat acinos uvarum omnibus de conventu in choro existentibus, et omnibus aliis laïcis in Ecclesia. Hæc nimirùm majorum nostrorum religio fuit, ut omnes sacræ et Ecclesiasticæ functiones, Sacramentorum administrationes, et quæcunque benedictiones intra Missarum solemnia peragerentur; omnium enim.... ultima perfectio et consummatio Eucharistia est, à quà vim energeticam et sanctitatem accipiunt. Sive fœdus sanciendum foret, sive incunda concordia, sive aliquid Deo offerendum, sive hæretici excommunicandi, sive Sanctorum natalitia, aliæque festivitates denuntiandæ, sive indicenda jejunia et Litaniæ, sive reconciliandi pœnitentes, sive imponendæ manus super initiandos, sive Episcopi consecrandi, sive Reges inungendi, sive chrisma conficiendum: hæc et alia ejusdem generis ab Eucharistia auspicari solebant; nec quidquam sine Sacrificio rectè institui existimabant. Sed tepescente successu temporis fervore, multa ex his, ne Missa prolixior eva-

possint ad Christi corpus et sanguinem sub specie panis et vini, paucis accipe.

Per Christum quotidiè *creantur* panis et vinum, quæ sunt materia Sacramenti; *per ipsum* enim *omnia facta sunt* (*Joan.* I. 3.), cùm sit sapientia Patris : *sanctificantur* eo ipso quo assumuntur in materiam Sacrificii : *vivificantur* ipsâ consecratione, quâ transformantur in panem vivum qui de cœlo descendit, in vivificum Christi corpus et sanguinem (*Joan.* VI. 33. *et* 51.) : *benedicuntur*, quia consecratione fiunt Sacrificium benedictionis et laudis in gloriam Dei, ex quo fons omnis gratiarum et benedictionum in Ecclesiam manat : *præstantur* denique nobis per sacrosanctam communionem, in quâ verum Christi corpus et sanguinem sumimus.

I. Cur Sacerdos hæc verba proferens signum crucis ducit super corpus et sanguinem Christi ?

R. Hujus rei jam reddidimus rationem. (*Hoc* §. *num.* 21.) Signa crucis ducit Sacerdos dùm hæc verba, *Sanctificas* †, *vivificas* †, *benedicis* †, *et præstas nobis* profert, ut intelligamus per virtutem crucis Christi panem et vinum modo superiùs exposito sanctificari, vivificari, et fieri nobis fontem gratiæ et benedictionis : quin et transmutationem divinam, quâ panis et vinum sanctificantur, vivificantur, et in Christi substantiam mutati sumuntur à nobis in salutem, eâ fieri actione quâ crucis Christi Sacrificium exhibetur et continuatur.

I. Quid sibi volunt sequentia hujus orationis verba, *Per ipsum, cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri, in unitate Spiritûs sancti, omnis et gloria ?*

R. His verbis innuimus solo Christi Sacrificio reddi honorem Deo debitum : nec posse dari gloriam Deo nisi per Christum, et cum Christo, et in Christo. *Per Christum*, quia ipse est *mediator Dei et hominum* (1. *Timoth.* II. 9.), per quem solum placare Deum possumus. *Cum Christo*, quia ut perfectè placeamus Deo, debitumque illi honorem reddamus, necesse est ut Christo per ejus Spiritum conjungamur, hoc sentiamus in nobis quod et in Christo Jesu, ipsique subjiciamur in omnibus. (*Philip.* II. 5.) *In Christo*, quia amici et filii Dei esse non possumus, nisi in quantum adhæremus Christo ut palmites viti, ut membra corpori et capiti.

I. Cur Sacerdos ter ducit signum crucis, dùm profert hæc verba, *Per* † *ipsum, et cum* † *ipso, et in* † *ipso* ?

R. Ut his signis intelligamus non posse reddi debitum honorem Dei, nisi per virtutem Sacrificii in cruce oblati.

I. Cur Sacerdos bis ducit signum crucis super altare, hæc

deret, ab eâ paulatim sejuncta sunt : adeò ut etiam ipsa Communio post Missam differatur, non sine magnâ rituum Ecclesiasticorum perturbatione, quia orationes quæ post Communionem à Sacerdote dicuntur, pro ipsis communicantibus sunt.

JOAN. I. 3. Omnia per ipsum facta sunt : et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

VI. 51. Ego sum panis vivus qui de cœlo descendi.

verba proferens, *Est tibi Deo † Patri omnipotenti, in unitate Spiritûs † sancti, omnis honor et gloria* ?

R. Ut intelligamus honorem omnem et gloriam exhibitum Deo fuisse per crucem, cujus altare typus est.

Potest alia reddi ratio, et quidem litteralis, horum quinque signorum crucis. Hoc frequenti positum in usu est, ut signum crucis fiat quotiescunque mentio fit in sacra synaxi alicujus è tribus sanctissimæ Trinitatis personis : fortè ergo quinque signa crucis hîc fieri præceptum est, quia Filii ter, semel Patris, et semel Spiritûs sancti mentio fit. Stat autem hæc ratio cum eâ quam mox proposuimus.

I. Cur Sacerdos dùm profert hæc verba, *Omnis honor et gloria*, calicem simul cum hostia superposita paululùm attollit ?

R. Ut à populo circumstanti tunc adoretur Christus, per quem, cum quo, et in quo omnis honor et gloria sanctissimæ Trinitati redditur.

Ad hanc alteram corporis et sanguinis Christi elevationem multis in Ecclesiis pulsatur campanula, ut hoc signo admonitus populus Christum, et per ipsum sanctissimam Trinitatem, adoret. (C)

Ante seculum duodecimum, ad hæc solùm verba nec priùs ostendebatur corpus Christi simul cum calice populo circumstanti, ad adorationem. Calicem ergo simul cum hostia Sacerdos sublevabat in altum, ut populus videret et adoraret.

Ex quo autem usus invaluit elevandi corporis Christi ac deindè calicis statim post peractam consecrationem, minùs solemnis hæc altera calicis et corporis Christi elevatio plerisque in Ecclesiis fuit ; nec jam Sacerdos sic elevat calicem, ut à populo circumstante videri possit. In multis tamen Ecclesiis pulsatur etiamnùm campanula ad hanc alteram elevationem ex veteri ritu ; et plerique eorum qui Missæ Sacrificio ministrant, solent hæc verba tunc pronuntiare, *Ave salus, ave vita, redemptio nostra :* quibus verbis profitentur adorare se Christum, qui corporaliter sub specie panis à Sacerdote exhibetur.

(C) Domn. JOAN. MABILLON M. B. *Comment. in Ordin. Rom. n.* 7. *Vide superiùs num.* 20, *hujusce* §. *litt.* (E)

MICROLOG. *de Eccles. observat. cap.* 15. Deindè panis in manus accipitur, et antequàm reponatur in altare, benedicitur. Item et calix elevatus, ante depositionem benedicitur. Nam et ipse Dominus in Evangelio utrumque legitur benedixisse, antequàm dimitteret è manibus. Accepta enim in manibus benedixit, posteà discipulis dedit. *Nihil hîc de elevatione hostiæ et calicis post consecrationem ; è contra c.* 17. Cùm dicimus, *Per omnia secula seculorum*, corpus cum calice levamus, et statim in altari deposita cooperimus.

Cap. 23. *in quo integrum Missæ ordinem prosequitur, non meminit elevationis post consecrationem ; sed post hæc verba*, OMNIS HONOR ET GLORIA : Hic elevat, *inquit*, oblatum cum calice, dicens, *Per omnia secula seculorum.*

MISSALE PARIS. Petri de Gondy *ann.* 1585. *in Rubr. Canon.* Ostendat populo hostiam de manu dextrâ, et reponat in loco suo : et cooperto calice de corporali expansis manibus dicat altâ voce, *Per omnia, etc.*

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm Sacerdos recitat hanc orationem, *Nobis quoque peccatoribus?*

R. Ea mens Ecclesiæ est, ut populus simul cum Sacerdote pectus percutiat, *in spiritu humilitatis, et in animo contrito* (*Dan.* III. 39.) divinam misericordiam implorans; deindè supplex petat admitti in consortium sanctorum Martyrum, quorum nomina recitantur; 3° gratias agat Deo per Christum de acceptis ab eo donis: 4° per Christum, et cum Christo, et in Christo sanctissimam Trinitatem et Christum ipsum adoret, dùm Sacerdos calicem paululùm attollit.

I. Cur Sacerdos recitato submissâ voce Canone, vocem attollit ad hæc verba, *Per omnia secula seculorum?*

R. Hæc est conclusio Canonis, à cujus initio Sacerdos cuncta sine cantu, immò et voce ita demissà pronuntiavit, ut ab iis qui juxta ipsum proximè adstant vix audi potuerit. Attollit ergo vocem ultima verba Canonis pronuntiando, ut populus omnis circumstans, cujus nomine singulæ Canonis orationes recitatæ sunt, ut constat ex dictis, suo consensu confirmet quidquid Sacerdos totius cœtûs nomine petiit à Deo. Consensum autem hunc dat populus altâ voce pronuntiando. *Amen.*

N° XXVI. Pater noster. Libera nos.

I. Quid agit Sacerdos post absolutum Canonem?

R. Recitat solemniter orationem Dominicam (A), de qua suprà fusè egimus. (*Hujusce Sect. Cap.* 4.)

(A) Domn. JOAN. MABILLON M. B. *Liturg. Gallican. lib.* 1. *c.* 5. *n.* 22. Hanc autem orationem Dominicam non à solo Sacerdote, sed etiam ab adstante populo apud Gallos prolatam fuisse docet Gregorius in lib. 2. de miraculis S. Martini cap. 30. Quippè *quâdam die Dominicâ, dum Missarum solemnia celebrarentur*, quædam femina muta in basilica *cum reliquo populo stabat. Factum est autem cùm Dominica oratio diceretur, hæc aperto ore cæpit sanctam orationem cum reliquis decantare.* Idem fiebat etiam tunc temporis apud Græcos, teste Leontio Episcopo in libro de vita Joannis Episcopi Alexandrini, cognomento Eleemosynarii: qui cùm Principem quemdam ad concordiam cum alio revocare vellet, misit qui eum ad se adduceret: atque ipso præsente *fecit Missas in oratorio suo nullum habens nisi Ministrum suum. Cùm ergo sancta benedixisset Patriarcha, et orationem Dominicam inchoasset; cæperunt dicere tres tantùm illi*, Pater noster. *Et cùm pervenisset ad sermonem quo dicitur*. Dimitte nobis debita nostra, etc. *innuit domestico Patriarcha, ut taceret. Siluit ergo Patriarcha, et remansit Princeps solus.* Quâ occasione captatâ, vir sanctus eum ad concordiam induxit. Hunc Græcorum ritum à Romano discrepasse testis est Gregorius M. in lib. 7. Epist. 64. Indic. 2. *Sed Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur: apud nos verò à solo Sacerdote....* Apud (*Mozarabes*) populus ad singulas ferè Dominicæ orationis petitiones respondebat tantùm, *Amen....* Post orationem Dominicam in Missali Gothico, non secùs ac in Mozarabico subditur oratio varia pro diversis Missis: In natali Domini, *Libera nos, omnipotens Deus, ab omni malo, et custodi nos in omni opere bono, perfecta veritas et vera libertas Deus, qui regnas in secula seculorum.*

S. CYRILL. HIEROSOL. *Catech.* 5. *mystag. orationem Dominicam eo ipso quo nunc eam cantamus loco olim cantatam fuisse testis est, eamque explanat his verbis:* Posteà dicitis illam orationem, quam Salvator suis Discipulis tradidit, cum pura conscientia patrem nuncupantes Deum, atque dicen-

tes : *Pater noster*, *qui es in cœlis.* O maximam Dei benignitatem, his qui defecerant ab illo, et in extrema inciderant mala, tantam præstitit malorum oblivionem, et gratiæ participationem, ut patrem sese appellari voluerit, (*Matth.* IV. 9.) *Pater noster*, *qui es in cœlis.* Cœli sunt, qui cœlestis ferunt imaginem, in quibus Deus habitat et inambulat. *Sanctificetur nomen tuum.* Sanctum est naturâ nomen Dei, sive id nos dicamus, sive non dicamus. Quia verò in iis qui peccant aliquando profanatur, sicut scriptum est, (*Rom.* II. 24.) *Propter vos nomen meum blasphematur inter gentes;* idcircò petimus in nobis sanctificari nomen Dei : non ut ex eo quòd non fuisset tale, esse incipiat, sed ut in nobis sanctificatis, et quæ sanctificatione digna sunt facientibus, sanctum fiat. *Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua*, *sicut in cœlo et in terra.* Mundæ est animæ, dicere confidenter : *Adveniat regnum tuum.* Audisti enim Paulum dicentem, (*Rom.* VI. 12.) *Non igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali;* Sed qui mundaverit, et operatione, et cogitatione, et sermone, dicet Deo : *Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua*, *sicut in cœlo et in terra.* Divini beatique Angeli Dei, voluntatem illius semper faciunt, sicut inquit David : *Benedicite Dominum omnes Angeli ejus : potentes virtute, facientes voluntates ejus.* (*Ps.* CII. 20.) Perindè igitur hoc est, quasi precando dicas : Sicut in Angelis fit voluntas tua, sic et in terra in me fiat, Domine. *Panem nostrum epiousion*, id est, *supersubstantialem da nobis hodiè.* Panis hic communis, non est *Epiousios*, id est, supersubstantialis. Panis verò iste sanctus, supersubstantialis dicitur, eò quòd substantiam animæ confirmet. Panis hic non in ventrem descendit, et in secessum emittitur, sed per te totum, ad corporis et animæ utilitatem distribuitur. *Hodiè* autem dicit, pro quotidiè ; sicut et Paulus : (*Hebr.* III. 13.) *Donec*, inquit, *hodiè cognominabimur. Et dimitte nobis debita nostra*, *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Multa enim habemus peccata, et offendimus tùm sermone, tùm cogitatione, plurimaque damnationis opera facimus. *Et si dicamus, quia peccatum non habemus, mentimur*, ut dicit Joannes. (1. *Joan.* I. 8.) Cum Deo igitur pacta inimus, quando petimus remitti nobis peccata, sicut et nos proximis debita remittimus. Cogitantes ergo pro quantulis quanta accipiamus, ne cunctemur, et mutuas inter nos offensiones ignoscere non tergiversemur. Exigua, levia et facilia ad remittendum sunt nostra in proximos peccata : quæ verò fiunt à nobis contra Deum, ea sunt maxima, hâc solâ indigentia benignitate. Adverte igitur, ne ob aliqua parva et levia adversùm te peccata, proximo non condonata, tibi ipsi præcludas apud Deum gravissimorum peccatorum condonationem. Et, *Ne nos inducas in tentationem*, *Domine.* Nunquid hic docet nos Dominus orare, ut ne omninò tentemur ? Quomodò ergo alibi dictum est : *Vir non tentatus*, *non est probatus?* (*Jacob.* I. 12.) Et iterùm : *Omne gaudium existimate*, *fratres mei*, *cùm in varias incideritis tentationes.* (*Ibid.* 2.) Sed istud fortè est ingredi in tentationem, cùm aliquis tentatione obruitur. Videtur enim esse tentatio veluti torrens aliquis transitu difficilis. Qui ergo in hujuscemodi torrente non submerguntur, optimi natatores facti, trajiciunt, neque deinceps unquam ab illo detrahuntur. Qui verò secùs affecti sunt, cùm primùm in aliquam tentationem fuerint ingressi, statim submerguntur. Verbi gratiâ : Judas in avaritiæ tentationem ingressus, non eam superavit, verùm submersus, et corpus et animam suffocavit. Petrus ingressus in eam, quâ Christum negavit, tentationem, non est submersus, sed strenuè tranans à tentatione liberatus est. Audi rursùs alibi universum Sanctorum chorum, quòd à tentatione liberati sunt, gratias agentem : *Probasti nos Deus*, *igne nos examinasti*, *sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum : posuisti tribulationem supra dorsum nostrum. Adduxisti homines super caput nostrum. Transivimus per ignem et aquam*, *et eduxisti nos in refrigerium.* (*Ps.* LXV. 10. *et seq.*) Vides ipsos liberè de transitu tentationis loquentes, atque profitentes, sese in illa non hæsisse? *Eduxisti nos*, inquiunt, *in refrigerium. Sed libera nos à malo.* Si hoc quod dicitur, *ne inducas nos in tentationem*, omninò non tentari, significaret, non ampliùs adjecisset, *Sed libera nos à malo.* Malus autem est adversarius noster diabolus, à quo liberari petimus. Tùm verò expletâ oratione, dicit, *Amen* : Obsignans per Amen, (quod significat, Fiat) totam hanc quam à Deo didicimus, Orationem.

I. Cur post absolutum Canonem statim recitat Sacerdos orationem Dominicam?

R. Quidquid à Deo petere possumus et debemus, totum id, ut jam diximus (*hujusce Sect. Cap.* 4. §. 1.), oratione Dominicâ comprehenditur. Hanc orationem recitat Ecclesia ut Christi præcepto obtemperet: ut autem faciliùs exaudiatur et postulata impetret, accedit ad thronum gratiæ in tempore opportuno (*Hebr.* IV. 26.), eo nimirùm momento quo jam jam absoluta est oblatio victimæ sanctæ, per quam misericordiam consequimur, et sine quâ nihil omninò possumus impetrare.

I. Cur Sacerdos ante recitationem orationis Dominicæ hæc verba præmittit, *Præceptis salutaribus moniti, et divinâ institutione formati, audemus dicere, Pater noster, etc?*

R. Hàc præfatione profitetur Sacerdos tantam esse in eâ precandi formulâ fiduciam, res tantas in eâ contineri, ut nisi Christi ipsius præceptum timidos excitaret animos, non auderemus unquam compellare Deum his verbis, *Pater noster, etc.*

I. Cur Diaconus in pluribus Ecclesiis ostendit patenam populo circumstanti, dùm canitur oratio Dominica?

R. Ut monitus hoc signo præparet se populus ad Communionem, cujus tempus instat. Est enim patena discus in quo ponitur corpus Christi distribuendum fidelibus.

I. Cur Subdiaconus patenam velo coopertam tenet à completo Offertorio usque ad orationem Dominicam?

R. Patena necessaria est, dùm canitur Offertorium, ad oblationem panis consecrandi in eâ positi. Oblatus panis in altari ipso super linteum ponitur, nec opus est ampliùs patenâ usque ad Communionem: eam itaque Subdiaconus, cujus intereà ministerium nullum aliud est, velo ab humeris pendente coopertam tenet. In Ecclesia Parisiensi aliisque non paucis, non Subdiaconus, sed Acolythus patenam toto hoc intervallo servat. In Missis autem privatis, in quibus tota res sacra agitur sine solemni cæremoniarum apparatu, statim post oblatum panem Sacerdos patenam deponit subtùs linteum quod Corporale dicitur, usque ad finem orationis Dominicæ.

I. Quid causæ est, cur oratio Dominica sicut et Symbolum recitetur in Missa altâ voce, in aliis autem officiis, putà ad Primam, ad Completorium, cæterasque Horas, quæ Canonicæ dicuntur, si quando contigat recitari orationem Dominicam vel Symbolum, non canendo, non altâ voce, sed secretò à singulis recitentur?

R. Hoc fit ex veteri ritu propter catechumenos et infideles, quibus olim nefas erat mysteria nostra propalare, qui tamen à sola Missa fidelium, non autem à reliquis Ecclesiæ conventibus arcebantur. Cùm itaque à Missa fidelium abesset quisquis nondùm sacris erat mysteriis initiatus, solemni

cantu recitabantur olim, ut nunc fit, Symbolum et oratio Dominica intra Missarum solemnia, dimissis catechumenis. In cæteris verò officiis, quibus adesse poterant infideles et catechumeni, Symbolum et oratio Dominica recitabantur, ut nunc fit, secretò à singulis. In oratoriis autem Monachorum, quæ clausa erant extraneis, à quibus proindè aberant semper infideles et catechumeni, oratio Dominica altâ voce recitabatur ad Laudes et Vesperas, quæ solemniùs canuntur quàm Horæ reliquæ, quemadmodùm altâ voce recitatur in Missa. Qui ritus viget etiamnùm apud Monachos omnes sub Regula sancti Benedicti militantes.

Confirmatur autem hæc responsio ex veteri ritu qui solemnis olim fuit per omnes Ecclesias, in quibus erant ordines duo catechumenorum, quorum alii competentes, id est, ad Baptismum admissi, alii nondùm competentes dicebantur. Competentibus catechumenis tradebatur Symbolum, et oratio Dominica : aliis non tradebatur. Ante baptismum autem catechumeni competentes publicè reddebant, id est, recitabant memoriter Symbolum et orationem Dominicam. Exstant etiamnùm multi sanctorum Patrum sermones ad catechumenos in traditione vel redditione Symboli et orationis Dominicæ.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm canitur oratio Dominica ?

R. Debet attentum præbere animum ad singulas orationis divinæ voces, et in fine respondere, *Sed libera nos à malo.*

I. Cur populus altâ voce pronuntiat ultimam orationis Dominicæ petitionem, et præter morem in cæteris orationibus usitatum Sacerdos secretò respondet, *Amen ?*

R. Hujus rei rationem suprà reddidimus (*hujusce Sect. Cap.* 4. §. 2. *in fine*), ad explicationem hujus vocis, *Amen*, postquàm egimus de oratione Dominica. Potest et hæc altera afferri ratio : *Amen*, inquit Sacerdos, id est, *Ita, peto à te, Domine, nomine totius populi congregati, ut liberes nos à malo:* ac deindè petitionem hanc fusiùs prosequitur his verbis :

Libera nos quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, et futuris ; et intercedente beatâ et gloriosâ semper Virgine Dei genitrice Mariâ, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo atque Andreâ, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et à peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi, Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, Per omnia sæcula sæculorum.

Ad hæc hujus orationis verba, *Da propitius pacem*, Sacerdos facto cum patena signo crucis, patenam osculatur.

Ad hæc verba, *Per Dominum*, frangit hostiam in partes tres.

Totam autem hanc orationem r[illegible] submissâ voce : quâ

dictâ attollit vocem ad hæc verba, *Per omnia secula seculorum*, ut factum est in fine Canonis; et populus respondet, *Amen*.

Nemo est qui non intelligat quæ sit hujus orationis connexio cum superiori. Ultima Dominicæ orationis petitio, his verbis concepta, *Sed libera nos à malo*, est, ut superiùs diximus (*hujus Sect. Cap.* 4. §. 2. *in fine*), veluti compendium et summa totius orationis Dominicæ. Hanc ergo solam Sacerdos resumit, et fusiùs prosequens petit à Deo pro populo Christiano liberationem à malis omnibus.

I. Quæ sunt mala præterita, præsentia, et futura, a quibus liberari petimus?

R. Mala præterita sunt peccata, quibus obstringimur; *præsentia* sunt variæ tentationes, quibus interiùs et exteriùs ad peccatum provocamur; *futura* sunt pœnæ omnes debitæ peccatis, sive temporales illæ sint, sive æternæ. Proindè Ecclesia in serie hujus orationis ad capita duo revocat quidquid à Deo petimus, scilicet liberationem à peccato, et pacem. *Liberationem quidem à peccato*, quia peccatum, si propriè loquamur, malorum genus omne complectitur; cætera enim mala omnia si non peccata sunt, sunt saltem consequentia et pœnæ peccati. *Pacem*, quia pax summa est bonorum omnium; ad pacem tendunt omnia, nec pax stare unquam potest cum peccato. Alioquin falsa illa pax erit: *Non est pax impiis, dicit Dominus.* (*Isaï.* XLVIII. 22.) (B)

(B) ROM. II. 9. Tribulatio et angustia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm, et Græci. 10. Gloria autem, et honor, et pax omni operanti bonum, Judæo primùm, et Græco.

S. AUG. *lib.* 19. *de Civit. Dei*, *cap.* 11. Possumus dicere, fines bonorum nostrorum esse pacem, sicut æternam esse diximus vitam: præsertim quia ipsi civitati Dei.... in sancto dicitur Psalmo: *Lauda Jerusalem Dominum* (*Ps.* CXLVII. 12.) *Qui posuit fines tuos pacem....* (*Ibid.* 14.) Ac per hoc fines ejus eam debemus hîc intelligere pacem, quam volumus demonstrare finalem. Nam et ipsius civitatis mysticum nomen, id est, Jerusalem, quod et antè jam diximus, visio pacis interpretatur. Sed quoniam pacis nomen etiam in his rebus mortalibus frequentatur, ubi utique non est vita æterna; propterea finem civitatis hujus, ubi erit summum bonum ejus, æternam vitam maluimus commemorare quàm pacem.... Tantum est enim pacis bonum, ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremò possit melius inveniri.

Cap. 12. *n.* 1. Quod enim mecum quisquis res humanas naturamque communem utcunque intuetur agnoscit, sicut nemo est qui gaudere nolit; ita nemo est qui pacem habere nolit. Quandoquidem et ipsi qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt: ad gloriosam ergo pacem bellando cupiunt pervenire.

N. 2. Quæ enim tigris non filiis suis mitis immurmurat, et pacatâ feritate blanditur? Quis milvus, quantumlibet solitarius rapinis circumvolet, non conjugium copulat, nidum congerit, ova confovet, pullos alit, et quasi cum sua matre-familias societatem domesticam quantâ potest pace conservat? Quantò magis homo fertur quòdammodò naturæ suæ legibus ad ineundam societatem pacemque cum hominibus, quantum in ipso est, omnibus obtinendam: cùm etiam mali pro pace suorum belligerent, omnesque, si possint, suos facere velint, ut uni cuncti et cuncta deserviant: quo pacto, nisi in ejus pacem, vel amando, vel timendo con-

sentiant? Sic enim superbia perversè imitatur Deum. Odit namque cum sociis æqualitatem sub illo: sed imponere vult sociis dominationem suam pro illo. Odit ergo justam pacem Dei, et amat iniquam pacem suam. Non amare tamen qualemcunque pacem nullo modo potest. Nullum quippè vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia.

N. 3. Itaque pacem iniquorum in pacis comparatione justorum ille videt nec pacem esse dicendam, qui novit præponere recta pravis, et ordinata perversis. Quod autem perversum est, hoc etiam necesse est ut in aliqua et ex aliqua et cum aliqua rerum parte pacatum sit, in quibus est, vel ex quibus constat; alioquin nihil esset omninò.

Cap. 13. *n.* 1. Pax itaque corporis est ordinata temperatura partium. Pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum. Pax animæ rationalis, ordinata cognitionis actionisque consensio. Pax corporis et animæ, ordinata vita et salus animantis. Pax hominis mortalis et Dei, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax domûs, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium. Pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima et concordissima societas fruendi Deo et invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. Ordo est parium, disparium que rerum sua cuique loca tribuens dispositio.

N. 2. Deus ergo naturarum omnium sapientissimus conditor et justissimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum instituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, id est, pacem temporalem pro modulo mortalis vitæ in ipsa salute et incolumitate ac societate sui generis, et quæque huic paci vel tuendæ vel recuperandæ necessaria sunt, sicut ea quæ aptè et convenienter adjacent sensibus, lux ista visibilis, auræ spirabiles, aquæ potabiles, et quidquid ad alendum, tegendum, curandum, ornandumque corpus congruit: eo pacto æquissimo, ut qui mortalis talibus bonis paci mortalium accommodatis rectè usus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipsam scilicet immortalitatis pacem, eique convenientem gloriam et honorem in vita æterna ad fruendum Deo, et proximo in Deo: qui autem perperàm, nec illa accipiat, et hæc amittat.

Cap. 14. Omnis igitur usus rerum temporalium refertur ad fructum terrenæ pacis in civitate terrena. In cœlesti autem civitate refertur ad fructum pacis æternæ. Quapropter si irrationalia essemus animantia, nihil appeteremus præter ordinatam temperaturam partium corporis et requiem appetitionum: nihil ergo præter quietem carnis et copiam voluptatum, ut pax corporis prodesset paci animæ. Si enim desit pax corporis, impeditur etiam irrationalis pax animæ; quia requiem appetitionum consequi non potest.... Sed quia homini rationalis anima inest, totum hoc quod habet commune cum bestiis, subdit paci animæ rationalis, ut mente aliquid contempletur, et secundùm hoc aliquid agat, ut sit ei ordinata cognitionis actionisque consensio, quam pacem rationalis animæ dixeramus. Ad hoc enim velle debet nec dolore molestari, nec desiderio perturbari, nec morte dissolvi, ut aliquid ùtile cognoscat, et secundùm eam cognitionem vitam moresque componat. Sed ne ipso studio cognitionis propter humanæ mentis infirmitatem in pestem alicujus erroris incurrat, opus habet magisterio divino cui certus obtemperet, et adjutorio, ut liber obtemperet. (2. *Cor.* v. 6. *et* 7.) Et quoniam quandiù est in isto mortali corpore, peregrinatur à Domino; ambulat per fidem, non per speciem: ac per hoc omnem pacem vel corporis, vel animæ, vel simul corporis et animæ refert ad illam pacem, quæ homini mortali est cum Deo immortali; ut ei sit ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Jam verò quia duo præcipua præcepta, hoc est, dilectionem Dei et dilectionem proximi docet magister Deus; in quibus tria invenit homo quæ diligat, Deum, seipsum, et proximum: atque ille in se diligendo non errat qui diligit Deum; consequens est, ut etiam proximo ad diligendum Deum consulat, quem jubetur sicut seipsum diligere. Sic uxori, sic filiis, sic domesticis, sic cæteris quibus potuerit hominibus; et ad hoc sibi à proximo, si fortè indiget, consuli velit: ac per hoc erit pacatus, quantum in ipso est, omni homini, pace hominum,

id est, ordinatâ concordiâ; cujus hic ordo est, primùm ut nulli noceat, deindè ut etiam prosit cui potuerit. Primitùs ergo inest ei eorum cura: ad eos quippè habet opportuniorem facilioremque aditum consulendi, vel naturæ ordine, vel ipsius societatis humanæ. Undè Apostolus dicit, (1. *Timoth.* v. 8.) *Quisquis autem suis, et maximè domesticis non providet, fidem denegat, et est infideli deterior.* Hinc itaque etiam pax domestica oritur, id est, ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium. Imperant enim qui consulunt: sicut vir uxori, parentes filiis, domini servis. Obediunt autem quibus consulitur: sicut mulieres maritis, filii parentibus, servi dominis. Sed in domo justi viventis ex fide et adhuc ab illa cœlesti civitate peregrinantis, etiam qui imperant, serviunt eis, quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbiâ, sed providendi misericordiâ.

Cap. 16. Quia igitur hominis domus initium sive particula debet esse civitatis, omne autem initium ad aliquem sui generis finem, et omnis pars ad universi, cujus pars est, integritatem refertur: satis apparet esse consequens, ut ad pacem civicam pax domestica referatur, id est, ut ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium referatur ad ordinatam imperandi obediendique concordiam civium. Ita fit, ut ex lege civitatis præcepta sumere patrem-familias oporteat, quibus domum sic regat, ut sit paci accommodata civitatis.

Cap. 17. Sed domus hominum qui non vivunt ex fide, pacem terrenam ex hujus temporalis vitæ rebus commodisque sectatur. Domus autem hominum ex fide viventium, exspectat ea quæ in futurum æterna promissa sunt, terrenisque rebus ac temporalibus tanquam peregrina utitur, non quibus capiatur et avertatur quò tendit in Deum, sed quibus sustentetur ad faciliùs toleranda minimèque augenda onera corporis corruptibilis, quod *aggravat animam.* (*Sap.* IX. 15.) Idcircò rerum vitæ hoic mortali necessariarum utrisque hominibus et utrique domui communis est usus: sed finis utendi cuique suus proprius, multùmque diversus. Ita etiam terrena civitas, quæ non vivit ex fide, terrenam pacem appetit; in eoque defigit imperandi obediendique concordiam civium, ut sit eis de rebus ad mortalem vitam pertinentibus humanarum quædam compositio voluntatum. Civitas autem cœlestis, vel potiùs pars ejus quæ in hac mortalitate peregrinatur, et vivit ex fide, istâ etiam pace necesse est utatur, donec ipsa cui talis pax necessaria est, mortalitas transeat. Ac per hoc dùm apud terrenam civitatem, velut captivam vitam suæ peregrinationis agit, jam promissione redemptionis et dono spiritali tanquam pignore accepto, legibus terrenæ civitatis, quibus hæc administrantur, quæ sustentandæ mortali vitæ accommodata sunt, obtemperare non dubitat: ut quoniam communis est ipsa mortalitas, servetur in rebus ad eam pertinentibus inter civitatem utramque concordia.... Hæc ergo cœlestis civitas dùm peregrinatur in terra, ex omnibus gentibus cives evocat, atque in omnibus linguis peregrinam colligit societatem; non curans quidquid in moribus, legibus, institutisque diversum est, quibus pax terrena vel conquiritur, vel tenetur; nihil eorum rescindens, nec destruens, immò etiam servans ac sequens: quod licèt diversum in diversis nationibus, ad unum tamen eumdemque finem terrenæ pacis intenditur. si religionem quâ unus summus et verus Deus colendus docetur, non impedit. Utitur ergo etiam cœlestis civitas in hac sua peregrinatione pace terrenâ, et de rebus ad mortalem hominum naturam pertinentibus, humanarum voluntatum compositionem, quantum salvâ pietate ac religione conceditur, tuetur atque appetit, eamque terrenam pacem refert ad cœlestem pacem: quæ verè ita pax est, ut rationalis duntaxat creaturæ sola pax habenda atque dicenda sit, ordinatissima scilicet et concordissima societas fruendi Deo, et invicem in Deo; quò cùm ventum fuerit, non erit vita mortalis, sed planè certèque vitalis: nec corpus animale, quod *dùm corrumpitur, aggravat animam* (*Sap.* IX. 15.), sed spirituale sine ulla indigentia ex omni parte subditum voluntati. Hanc pacem, dùm peregrinatur in fide, habet; atque ex hac fide justè vivit, cùm ad illam pacem adipiscendam refert quidquid bonarum actionum gerit erga Deum et proximum, quoniam vita civitatis utique socialis est.

I. Cur Sacerdos signat se signo crucis cum patena, antequàm pronuntiet hæc verba, *Da propitius pacem*?

R. Ut intelligamus pacem, cujus patena symbólum et instrumentum est, non haberi nisi per crucem.

Patenam autem dico symbolum esse et instrumentum pacis: est enim hæc discus in quo ponitur corpus Christi in signum pacis distribuendum. Et hæc quoque ratio est cur Sacerdos patenam osculatur ad hæc verba, *Da propitius pacem.*

I. Cur Ecclesia beatam Virginem Deiparam, Apostolosque Petrum, Paulum, et Andream interpellat, ut eorum intercessione impetretur nobis pax à Deo per Christum?

R. De Sanctorum intercessione jam satis dictum à nobis fuit (*hujus Operis Part.* 2. *Sect.* 3. *Cap.* 2. §. 3.), hanc ad faciliorem impetrationem adhiberi. Hìc autem specialiàs advocat Ecclesia eos è Sanctis quorum maximè operâ pax vera data est hominibus, beatam Virginem Matrem Dei pacis, et qui præcipui Apostoli fuêre Petrus, Paulus et Andreas, quorum prædicatione pax Christi mundo innotuit.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm Sacerdos recitat hanc orationem?

R. Potest et ipse tacitus hanc orationem recitare, debetque jungere intentionem suam orationi Sacerdotis.

X° XXVII. *De fractione hostiæ, et utriusque specici commixtione.*

I. Cur Sacerdos frangit hostiam dùm concludit orationem mox exponam?

R. 1° Frangit hostiam Sacerdos, ut imitetur Christum, qui fregit et ipse sacrum panem, antequàm distribueret Discipulis secum discumbentibus. Et hæc quidem fractio ab Apostolis ad nostra usque tempora continuà traditione per omnes Ecclesias observatur. (A)

2° Frangit autem hostiam in ipsa conclusione orationis, quâ petit à Deo liberationem à peccato et pacem; ut intelligamus ideò Christum immolatum in cruce suum nobis dare corpus sumendum, ut peccatis mortui, pacem habeamus.

(A) *I.* Cor. x. 16. Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?

xi. 23. Dominus Jesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, 24. et gratias agens fregit, et dixit: Accipite, etc.

S. Clemens Alexandr. *lib.* 1. *Stromatum in fine pag.* 198. *Editionis Lugd. Batav. ann.* 1616. *in fol. mihi pag.* 271. Eucharistiam cùm quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere.

S. Gregor. Nazianz. *Epist.* 240. *ad Amphiloch.* Ne cuncteris orare et intercedere pro nobis, quando dicto allicis Verbum Dei, quando incruentâ sectione corpus et sanguinem Dominicum secas, vocem adhibens pro gladio. *At hìc forsan non tàm de fractione hostiæ quàm de mysticâ ejus immolatione, quâ vi verborum Christi seorsùm corpus et seorsùm sanguis consecrantur.*

S. Aug. *Epist.* 149. *aliàs* 59. *ad Paulin. cap.* 2. *n.* 16. Precationes.... facimus in celebratione Sacramentorum, antequàm illud, quod est in Domini mensâ, incipiat benedici: orationes cùm benedicitur et sanctificatur et ad distribuendum comminuitur.

I. Dùm fraagitur hostia, frangiturne corpus Christi?

R. Jam suprà diximus (*Sect.* I. *hujusce Part. Cap.* 4. § 4.), non corpus Christi, sed solas corporis species frangi, et hæc quidem perpetua fides Ecclesiæ fuit, ut ex Patribus omnibus constat.

I. Quot in partes frangitur hostia?

R. Apud Græcos in partes quatuor dividitur. Apud Hispanos olim frangebatur in partes novem, ut fit hodieque in ritu Mozorabico, cujus vestigium conservatur in Ecclesia Toletana. Apud reliquum Occidentem ex antiquissimo ritu frangitur in partes tres. (B)

(B) JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 1. *cap.* 11. *n.* 5. Interim Sacerdos frangit hostiam per medium in duas partes: et acceptâ una parte facit ex eâ quinque particulas, et ponit in patena in linea recta, habentque singulæ proprium nomen: nam prima vocatur *Corporatio*, hoc est, Incarnatio, 2. *Nativitas*, 3. *Circumcisio*, 4. *Apparitio*, 5. *Passio*. Acceptâ similiter alterâ parte facit ex eâ quatuor particulas, quarum hæc sunt nomina, 6. *Mors*, 7. *Resurrectio*, 8. *Gloria*, 9. *Regnum*; et eas collocat in patena ordine hic expresso:

	CORPORATIO.	
	NATIVITAS.	RESURRECTIO.
MORS.	CIRCUMCISIO.	GLORIA.
	APPARITIO.	REGNUM.
	PASSIO.	

Lib. 2. *cap.* 15. *n.* 3. Orationi, *Libera nos*, consueta clausula apponitur, *Per Dominum nostrum J. C.* quam dùm profert Sacerdos, hostiam frangit ritu antiquissimo et cum ipsa hujus Sacramenti institutione exorto. Christus enim in mystica cœna *accepit panem, benedixit et fregit, deditque discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum* (*Matth.* XXVI. 26.); et quia præcepit Apostolis (*Luc.* XXII. 19.), ut idem in ejus commemorationem facerent, eumdem morem et ipsi secuti sunt, et Ecclesiæ tradiderunt. Ideò in Actis ipsorum *cap.* XX. legimus quòd die Dominico conveniebant ad frangendum panem (*Act.* XX. 7.): ipsique fideles *cap.* 11. perseverasse narrantur in communicatione fractionis panis. (*Ibid.* II. 42. Non utique panis communis, sed Eucharistici, de quo ait Apostolus (1. *Cor.* X. 16.), *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Hunc igitur ritum ex Domini traditione accepimus, qui passionem suam moz futuram eâ fractione designavit. Ideò Ecclesia, quæ hoc Sacrificio incruento eamdem passionem quotidiè repræsentat, corpus ejus sub specie panis immolatum quotidiè frangit, quia quæ fiunt in speciebus panis, in Christi corpore dicuntur fieri, quod sub illis reipsâ existere non dubitamus. Frangitur autem et dividitur ad divisionem specierum, ipso in se integro permanente et in qualibet particula existente; sicut anima rationalis, ut præclarè dixit Aug. lib. 6. de Trinit. c. 6. *et in toto corpore tota est, et in qualibet ejus parte tota est.* Aplè id explicat Cæsarius lib. 3. Dialog. interrog. 169. « Credimus secundùm sermonem divinum, id esse » corpus Dominicum, quod in divina mensa sanctè consecratur, et uni» verso cœtui sacro absque sectione dividitur, et absque defectu partici» patur. » Hoc sensu Chrysost. hom. 24. in 1. ad Corinth. exponens Pauli verba, *Panis quem frangimus*, ait: *Hoc licet videre fieri in Eucharistia, in cruce autem non item, sed utique ei contrarium; Os enim, inquit*, ejus non conteretur (*Exod.* XII. 46.): *sed quod non est passus in cruce, hoc in oblatione patitur propter te; et patitur frangi, ut omnes impleat.* (*Joan.* XIX. 37.) Dividitur enim ut scitè dicit Cæsarius, sine sectione; frangitur incruentâ fractione, eodem modo quo Christus in cœna corpus suum fregit absque scissura, et dolore: quod multò magis nunc fit cùm ejus corpus immortale est, nullique passioni obnoxium.... Hujus fractionis tanquam in Ecclesia semper et ubique à temporibus Apostolorum usitatæ mentionem faciunt sancti Patres, et alii Ecclesiastici Scriptores. Clemens

Alexandr. lib. 1. Stromat. « Cùm Eucharistiam, ut mos est, diviserint, » permittunt unicuique ex populo ejus partem sumere. » Dionysius cap. 3. Eccles. Hierarch. §. 13. « Pontifex oblecta munera in apertum producit, » ipsorumque unitatem in plura dividit. » Gregor. Nazianz. Epist. 240. ad Amphilochium : « O Dei cultor sanctissime, ne cuncteris orare et inter- » cedere pro nobis, quando dicto allicis Verbum Dei, quando incruentâ » sectione corpus et sanguinem Dominicum secas, vocem adhibens pro » gladio. » Aug. Epist. 59. ad Paulinum loquens de pane Eucharistico : « Cùm benedicitur, (inquit,) et sanctificatur, et ad distribuendum com- » minuitur. » Omitto alios innumeros, præsertim recentiores. Liturgiæ quoque quæcunque exstant, hanc fractionem præscribunt.

N. 4. Latini dividunt in tres partes, Græci et reliqui Orientales in quatuor, Mozarabes in novem. Olim, fractâ hostiâ, una pars servabatur usque ad finem Missæ.... quam pro infirmis reservatam fuisse asserit Micrologus. Ordo quoque Romanus ait particulam oblatæ quam frangit Pontifex ab eo relinqui super altare. Maronitæ, dùm hostiam frangunt : « Credi- » dimus, (*inquiunt*,) et obtulimus, signamus et frangimus, Eucharistiam » hanc, panem cœlestem, corpus Verbi Dei vivi in calice salutis et gra- » tiarum actionis : signamus in face ardenti, propitianti, et plena myste- » riis ab excelso : in nomine Patris vivi in vitam : et Filii unigeniti et » sancti, geniti ab eo, et illi consubstantialis in vitam : et Spiritûs sancti, » principii et finis et sigilli totius quod factum est et fit in cœlo et in terra. » Una virtus, una potestas, una voluntas. Unus Deus verus, benedictus » et excelsus, in qua non est divisio, à quo est vita in secula seculorum. » Amen. » Græci frangunt statim post elevationem hoc modo. Diaconus stans à dextris Sacerdotis ait : *Divide, Domine, panem sanctum.* Sacerdos verò frangit in quatuor partes dicens : *Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris ; qui frangitur, et non comminuitur : qui semper comeditur, et non consumitur : sed eos qui sunt participes sanctificat.* Tùm accipit partem unam, et in manu tenet ; et Diaconus ostendens sacrum calicem dicit, *Imple, Domine, sanctum calicem.* Ait Sacerdos ; *Plenitudo fidei Spiritûs sancti :* et exprimens signum crucis immittit in sanctum calicem.... Ritu Ambrosiano post orationem, *Per quem hæc omnia*, Sacerdos dividit hostiam super calicem dicens : *Corpus tuum frangitur, Christe, calix benedicitur.* Tùm aliam detrahit particulam dicens : *Sanguis tuus sit nobis semper ad vitam : et ad salvandas animas, Deus noster.* Mox particulam ponens in calicem, ait : *Commixtio consecrati corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, nobis edentibus et sumentibus proficiat ad vitam et gaudium sempiternum....* Romano more Sacerdos fractâ hostiâ in duas partes æquales, unâque depositâ super patena, ex altera parte quam tenet sinistrâ manu, aliam particulam decerpit, quâ ter signans calicem, dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum :* quæ salutatio in Ordine Romano, et in omnibus antiquis Missalibus reperitur. Illam verò particulam mittit in calicem, dicens : *Hæc commixtio et consecratio, etc....* Abest à quibusdam codicibus vox *consecratio*, quæ de exteriori quadam consecratione ex corporis et sanguinis mixtione intelligenda est.... Exstat hæc mixtio in Liturgia Jacobi, et in vetustissimo Ordine Romano, aliisque Missalibus ; sed oratio, quæ miscendo dicitur, in diversis codicibus aliis verbis concepta est, quæ tamen idem significant.... In codice Ratoldi apud Menardum : « Hæc sacrosancta commixtio corporis et sanguinis Domini nostri » Jesu Christi fiat omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et ad vi- » tam capiendam æternam præparatio salutaris. *In codice Tilliano apud* » *eumdem :* Sancti sanguinis commixtio cum sancto corpore Domini nos- » tri Jesu Christi prosit omnibus sumentibus ad vitam æternam. *Apud* » *Micrologum cap.* 23. Fiat commixtio et consecratio corporis et sanguinis » Domini nostri Jesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam. *Ritu* » *Maronitarum, dùm Sacerdos ponit particulam in calice, dicit :* Conjun- » xisti, Domine, divinitatem tuam cum humanitate nostra, et humanita- » tem nostram cum divinitate tua, et vitam tuam cum mortalitate nostra, » et mortalitatem nostram cum vita tua. Tu nostrum tulisti, et dedisti » nobis tuum in vitam et salutem animarum nostrarum, tibi gloria in se- » cula. Amen. »

Lib. 1. *cap.* 11. *n.* 1. Officium divinum, quo olim Hispania et vicinæ

I. Quæ ratio est varii hujus ritûs ?

R. Græci frangunt hostiam in partes quatuor, quarum una Sacerdoti destinatur, altera populo communicaturo, tertia servatur in communionem infirmorum, quarta miscetur in calice cum sanguine Christi.

Mozarabes frangunt hostiam in partes novem, et unamquamque partem appellant nomine unius ex Christi Mysteriis, ut designent singulos status in quibus Christus vel fuit vel futurus est. Quo ritu innuunt sacrosanctæ Missæ sacrificio singula Christi mysteria exhiberi. Primam partem vocant *Incarnationem*, alteram *Nativitatem*, tertiam *Circumcisionem*, quartam *Apparitionem*, id est, *Transfigurationem*, quintam *Passionem*, sextam *Mortem*, septimam *Resurrectionem*, octavam *Gloriam*, id est, Christi in cœlum introïtum, nonam *Regnum*. nimirùm Christi, cui jam *data est omnis potestas in cœlo et in terra* (*Matth.* XXVIII 18.), et cui subjicientur omnia postquàm judicatis vivis et mortuis (*Hebr.* II. 8.), posuerit *inimicos suos scabellum pedum suorum.* (*Ps.* CIX. 1.)

gentes utebantur, Gothicum et Mozarabicum dictum est. Gothicum, quia originem habuit eo tempore quo reges Gothi ibidem dominabantur. Mozarabicum verò, quia cùm Arabes Hispaniam penè omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes* et corrupto vocabulo Mozarabes, id est, mixti cum Arabibus dicti sunt. Quidam à Muza Arabe, qui Toletum expugnavit, Christianos qui in ea civitate remanserant, Muzarabes dictos autumant; sed prior etymologia præferenda, cui rerum Hispanicarum Scriptores consentiunt. A quibus et quo tempore hoc officium institutum fuerit, incertum est. Baronius anno 633. ejus auctorem fuisse putat Isidorum Hispalensem.... Mihi autem ne huic sententiæ statim adhæream, quædam sunt, quæ gravem ingerunt difficultatem. Nam primò, in Missa S. Martini in oratione *post nomina*, hæc verba leguntur: *Hunc virum, quem ætatis nostræ tempora protulerunt, jubeas auxilium nostris ferre temporibus.* Martinus autem obiit anno Domini 402. et primus ex Confessoribus paulò post obitum publico cultu cœpit honorari; ergo multò ante Isidorum hæc Missa scripta fuit.... Crediderim hoc officium Concilio tertio Toletano, cui Leander interfuit, antiquius esse, et sæculo quinto jam in usu fuisse, ut ex Missa sancti Martini modò ostendimus; sed de primo ejus auctore non constare, ab ipso tamen Leandro illustratum, ab Isidoro auctum, ab aliis progressu temporis amplificatum, nominatim ab Ildefonso.... Diù viguit hic ritus in Hispania, in Gallia item Narbonensi, et in aliis regionibus Gothorum regno subjectis, donec Gregorii VII. auctoritate in Romanum mutatus est.

N. 3. Circa annum millesimum octuagesimum, subditis pervivaciter contradicentibus, qui à veteri precandi ordine, et ab avitis cæremoniis ægerrimè discedebant,.... in Hispania Romanus ritus, Mozarabico abrogato, receptus fuit, qui tamen in aliquibus Monasteriis aliquanto tempore custoditus est, ut asserit Rodericus, qui etiam testatur translationem Psalterii ritûs Gothici propriam, adhuc ipso vivente in plurimis Ecclesiis cathedralibus, et in Monasteriis recitatam fuisse. Adeò verum est ægrè divelli homines a consuetudinibus, quas à majoribus receperunt. Ne autem tantæ antiquitatis ritus omninò interiret, viri celeberrimi Francisci Ximenii Archiepiscopi Toletani cura providit: è Gothicis enim tumulis suscitatum novis characteribus recudi jussit, institutoque Sacerdotum collegio à quibus quotidie divina officia et Missarum solemnia usque in hodiernum diem hoc ritu celebrantur in sacello, quod in majori Ecclesia Toletana ædificavit. Sunt etiam Toleti aliquot Parœciæ, in quibus ordo iste Mozarabicus adhuc servatur, idemque fit Salmanticæ in sacello Doctoris Talabricensis.

Romana Ecclesia cum reliquo Occidente dividit hostiam in partes tres : unam ad commixtionem utriusque speciei, alteram ad communionem Sacerdotis, tertiam cæteris grandiorem, quæ in ipsa communione rumpebatur olim in complures alias particulas, quarum aliæ distribuebantur in communionem populi circumstantis, aliæ servabantur absentibus et infirmis. (C) Nam Ecclesia panes olim ad Missam exhibebat et spissiores et majores ; nunc autem singulis singulos panes minutos conficit.

Hujus antiqui ritûs vestigium habes, quoties summus Pontifex Missam Romæ vel alibi solemniter celebrat : tunc enim dividit hostiam sicuti Sacerdotes omnes in partes tres, quarum unam miscet in calice cum sanguine Domini, alteram sibi sumit, quâ sumptâ tertiam partem mediam dividit in communionem Diaconi et Subdiaconi ministrantium. (D) Itemque in ordinatione seu consecratione Episcoporum,

(C) Micrologg. *de Ecclesiast. observat. cap.* 17, Cùm autem dicit, *Per Dominum nostrum*, rumpit hostiam ex dextro latere juxta ordinem, ad designandam Dominici lateris percussionem. Deindè majorem partem in duo confringit, ut tres portiones de corpore Dominico efficere possit. Nam unam in calicem, faciendo crucem, mittere debet, cùm dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum;* ad designandum corporis et animæ conjunctionem in resurrectione Christi. Alteram verò ipse Presbyter necessariò sumit, ante calicis participationem, juxta Dominicam institutionem. Tertiam autem communicaturis sive infirmis necessariò dimittit.

(D) Joan. Bona S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 8. Ordo communionis hic erat, ut primo quidem Celebrans seipsum communicaret, deindè Episcopos si qui aderant, vel Presbyteros simul cum eo synaxim agentes ; tum Diaconos, Subdiaconos et Clericos ; Monachos, Diaconissas, et sacras virgines ; novissimè populum adjuvantibus Presbyteris, primùm viros, posteà mulieres. Idem in calicis distributione servabatur, nisi quòd Presbyteri per se illum sumebant, Diaconi à Presbyteris, reliqui à Diaconis, ut ex Ordine Romano et ex Græcorum Euchologio constat. Præmittebatur communicantium exploratio et notitia, undè illa vox in quibusdam Liturgiis, *Agnoscite vos invicem :* et Græci nunc etiam hoc servant, ut nomen communicantis inquirant, si ignotus sit ; et cùm Sacerdos alicui porrigit Eucharistiam, nomen ejus exprimit dicens : *Sumis serve Dei N. pretiosum et anctum corpus et sanguinem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum tuorum, et vitam æternam.* Quod spectat ad locum, Celebrans in medio altaris, alii Presbyteri in circuitu, Diaconi retrò altare communicabant, Subdiaconi et Clerici in limine sanctuarii, sive in choro ; reliqui extra cancellos. Græci sanctuarium ingredi soli permiserunt Imperatori, *can. Trullano* 69.... Græci stantes divina dona percipiunt, ita enim præscribunt ipsorum Ritualia, quibus consonant SS. PP. sed prono capite, et demissis oculis.... Hodiè in Missa solemni Romani Pontificis Diaconus communicat stans, omninò ex veteri ritu.... Summus Pontifex cùm solemniter celebrat sedens communicat hoc modo : Datâ pace Episcopo et duobus Diaconis assistentibus, qui os ejus et pectus osculantur, ascendit ad sedem suam comitantibus ipsum Diaconis et Episcopis. Tùm Diaconus Evangelii apud altare patenam cum Sacramento reverenter accipiens, ambabus manibus in altum elevat usque ad oculos, habentem desuper auream stellam cum nominibus duodecim Apostolorum, ne hostia labi possit. Ut primò vertit se ad latus Epistolæ cum summa gravitate, et per eamdem viam revertitur ad medium altaris : posteà eodem modo vertit se ad latus Evangelii, ubi Subdiacono genuflexo patenam tradit cum Sacramento. Tùm surgit Subdiaconus, et ipse Diaconus flectit genua donec ille discesserit, portans Sacramentum Pontifici, qui ei advenienti profundè

Episcopus consecrator fractâ pro more in partes tres hostiâ, partem unam immittit in calicem, alteram sibi sumit, tertiam dat in communionem Episcopi consecrato, et concelebranti. (E)

I. Cur Sacerdos fractâ hostiâ pacem precatur populo his verbis : *Pax Domini sit semper vobiscum ?*

R. Hoc genus benedictionis est, quam populo precatur Sacerdos per meritum hostiæ pro eis fractæ. Proindè ad hæc verba, *Pax Domini*, signum crucis ter ducit cum hostiâ super calicem.

In Missis Pontificalibus per totum olim Occidentem hîc dabatur ab Episcopo solemnis benedictio : qui ritus etiamnùm observatur Parisiis et in aliis multis Galliarum Ecclesiis. Hîc etiam Romæ fiebant olim solemnes denuntiationes festorum et jejuniorum, quæ jam fiunt in Pronao post Evangelii lectionem. Ante annos nongentos is erat Ecclesiæ Romanæ ritus. (F)

inclinat, ac ipsum reverenter adorat. Subdiaconus verò cùm pervenerit ad Pontificem, stat rectus ad ejus sinistram. Post hæc Diaconus accipiens calicem parvo velo aureo coopertum, eodem modo se vertit ad utrumque latus altaris, sicut cùm patenam tenebat : et indè cum ipso calice ad dextrum latus Pontificis accedit. Pontifex verò sumit unam partem hostiæ, et aliam in duas partes dividit pro communione Diaconi et Subdiaconi. Sumpto autem à Pontifice Christi corpore, Episcopus Cardinalis assistens porrigit ei calamum aureum, quo sanguinis partem sugit, residuum dimittens pro Diacono et Subdiacono. Tùm Pontifex communicat Diaconum stantem, et tenentem dextrâ manu calicem, calamum sinistrâ ; qui accepto corpore Christi faciem Pontificis osculatur, et reversus ad altare partem sanguinis sugit. Eodem modo corpus Christi porrigit Pontifex Subdiacono coram se genuflexo et patenam tenente ; qui et ipse ad cornu altaris accedens residuum sanguinis cum calamo sugit. Unus autem ex ipsis particulam hostiæ, quæ calici de more immissa fuerat, ad labia ipsius calicis retrahit et sumit. Hæc ex Cæremoniali Romani Pontificis excerpta sunt, quæ ab antiquissimo Ordine Romano in paucis discrepant.

(E) PONTIFIC. ROMAN. *in consecr. Episc. pag.* 79. Ponatur una hostia consecranda pro consecrante et consecrato ; et vinum consecrandum, in calice, sufficiens pro utroque.... Deindè postquàm consecrator corpus Domini sumpserit, non totum sanguinem sumit, sed solùm partem ejus cum particulâ hostiæ in calicem missâ, et priusquàm digitos abluat communicat consecratum ante se in eodem cornu capite inclinato stantem, et non genuflectentem, priùs de corpore, tùm de sanguine ; deindè purificat se, posteà consecratum.

(F) JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 16. *n.* 1. Olim post orationem *Libera nos*, antequàm Sacerdos diceret, *Pax Domini sit semper vobiscum*, interponi solebat benedictio, quam Scriptores sacrorum rituum Episcopalem vocant, quia ad solum Episcopum pertinebat. Exstant ejusmodi benedictiones in vetustis libris Sacramentorum, et in Romano Pontificali edito sub Leone decimo.... Ejusdem benedictionis ritus sic fusiùs describitur in Missali Vaticano MS. cod. 4743. *Responso* Amen *post orationem* Libera, *Pontifex ponit particulam super patenam. Tùm Diaconus ad populum conversus cambucam* (ita baculum pastoralem vocant medii ævi Scriptores,) *in manibus tenens, dicit altâ voce :* Humiliate vos ad benedictionem, *et chorus respondet*, Amen : *et statim cantat altâ voce*, Princeps Ecclesiæ Pastor ovilis, tu nos benedicere digneris, *Mox Diaconus rursùs ait :* Cum mansuetudine et charitate humiliate vos ad benedictionem. *Chorus dicit :* Humili voce clamantes, atque dicentes Deo gratias semper agamus. *Quibus dictis Pontifex convertit se ad populum ante*

I. Cur portionem hostiæ Sacerdos miscet cum sanguine Christi ?

R. Id agit ex perpetuâ Ecclesiæ traditione, quam omnes omninò Ecclesiæ retinuerunt, ut constat ex omnibus Liturgiis. (G)

Hujus ritûs prima fortè ratio hæc fuit, quòd cùm olim communicarent omnes etiam laïci sub utràque specie, si fortè deficeret species vini, vinum aliud infundebatur in calicem : ut autem vinum illud sanctificaretur saltem com-

medium altaris, et legit benedictionem solemnitati congruentem; quâ data, ait : Et pax ejus sit semper vobiscum : *tùm particulam mittit in calicem, dicens:* Fiat commixtio. Idem ferè ritus habetur in Pontificali MS. Bibliothecæ Barberinæ *n.* 1866. et in aliis codicibus apud Menardum *pag.* 27. Ritu Mozarabum non solùm Episcopi, sed omnes Presbyteri hanc benedictionem in singulis Missis impertiri solent; de quâ re loquitur canon 18. Concilii IV. Toletani : *Nonnulli Sacerdotes post dictam orationem Dominicam statim communicant, et posteà benedictionem in populo dant : quod deinceps interdicimus; sed post orationem Dominicam, et conjunctionem panis et calicis benedictio in populum sequatur.*

N. 4. In libro Sacramentorum Romanæ Ecclesiæ ante annos nongentos scripto.... post salutationem, *Pax Domini sit semper vobiscum*, hæc ex usu illorum temporum annotantur : *Post hæc commonenda plebs pro jejuniis quarti, septimi et decimi mensis temporibus suis : sive pro scrutiniis, vel auriam apertione: sive orandum pro infirmis, vel annuntianda natalitia Sanctorum.*

Dom. JOAN. MABILLON M. B. *Comment. in Ord. Rom. n.* 7. *tom.* 2. *Musæi Ital. pag.* 51. Post orationem Dominicam fit fractio panis consecrati, et una ex tribus particulis in calicem demittitur. At duplex in Missâ Pontificali commixtio antiquitùs fiebat : una ante *Agnus Dei* ex priori sacrificio,.... alia post communionem Pontificis ex præsente. Verùm jam à multis seculis unica tantùm, nempè posterior fit commixtio ex relictâ parte Eucharistiæ intra digitos Pontificis post communionem. In Gallicanis et Hispanicis Ecclesiis antequam diceretur, *Pax Domini sit semper vobiscum*, benedictionem populo circumstanti ab Episcopo sacra celebrante impendi antiquus mos est, ut patet tùm ex antiquissimis libris Ordinis Gallicani, tùm ex Concilii IV. Toletani canone 18.

De Liturg. Gallic. lib. 1. *cap.* 4. *n.* 13. Concil. Tolet. canone 18. Arguitur quorumdam Sacerdotum consuetudo, qui *post dictam orationem Dominicam statim communicant, et posteà benedictionem in populo dant :* statuiturque ut *post orationem Dominicam et conjunctionem panis et calicis, benedictio in populum sequatur* ante communionem. Huic decreto affine est quod Cæsarius in sermone 281. Appendicis ad novam editionem Sermonum Augustini, Fideles monet, ut qui vult Missam *ad integrum celebrare*, id est, audire, *usquequò oratio Dominica dicatur, et benedictio populo detur*, se in Ecclesiâ contineat.

N. 14. In Missali Mozarabico benedictio ubique communioni præmittitur, itemque in Gallicano passim apud Thomasium : et hactenùs benedictio Episcopalis ante communionem datur. Quippe licebat iis, qui non communicabant, acceptâ benedictione, ante communionem discedere, ut ex prædictis locis intelligitur : atque hinc patet, non omnes qui tunc Missæ aderant, in eâdem communionem accepisse. Immò verò Diaconus ante communionem clamare solebat : *Si quis non communicat, det locum*, testante Gregorio M. in lib. 2. Dialogorum cap. 23. quod non tantùm de pœnitentibus, sed etiam de quibusvis aliis, qui non communicabant, intelligendum existimo.

Cap. 5. *n.* 23. Communionem subsequentem præcedebat benedictio ab Episcopo vel Sacerdote impertita, ad quam Diaconus præsentes elatâ voce admonebat ut se inclinarent.

(G) Dom. JOAN. MABILLON M. B. *Comment. in Ord. Rom. art.* 2. *Vide hocce* §. *litt. seq.* (H)

mixtione corporis Domini, immittebatur in calicem pars hostiæ consecratæ, quam tandem consumebat Diaconus ante purificationem calicis, ut fit etiamnùm in iis Ecclesiis in quibus communio sub utràque specie conceditur Diacono et Subdiacono ministrantibus.

Hujus quoque rei vestigium habes in Missâ Præsanctificatorum, quæ celebratur apud nos feriâ sextâ majoris Hebdomadæ : cùm enim sola species panis pridiè consecrati reservetur in crastinum, ut Sacerdos feriâ sextâ communicaturus servet saltem umbram communionis sub utràque specie, immittit in vinum particulam hostiæ pridiè consecratæ, sumptoque corpore Domini, sumit vinum eà commixtione sanctificatum. (H)

(H) Domn. JOAN. MABILLON. M. B. *Comment. in Ord. Rom. art.* 12. *n.* 1. Ordo Romanus. « Cùm verò dixerint, *Amen*, sumit de sanctâ, et ponit » in calicem, nihil dicens, nisi fortè secretè aliquid dicere voluerit. *Pax* » *Domini*, non dicat, quia non sequuntur oscula circumadstantium. « Sanctificet autem vinum non consecratum per sanctificatum panem.... » *Ordini Romano succedat Amalarius in lib.* 1. *cap.* 15. In superiùs memo» rato libro inveni scriptum, ut duo Presbyteri afferant post salutationem » crucis corpus Domini, quod pridiè reservatum fuit, et calicem cum » vino non consecrato : quod tunc consecretur, et indè communicet » populus.... Qui juxta ordinem libelli per commixtionem panis et vini » consecrat vinum, non observat traditionem Ecclesiæ, de quâ dicit » Innocentius, isto biduo Sacramenta penitùs non celebrari.... Ratus » ordo est ut exspectemus, usquedùm Dominus noster consecret sacra» menta corporis et sanguinis sui in cruce, et nova ea faciat per resurrec» tionem suam : et sic tandem manducemus et bibamus saluberrimum » illud sacramentum. »

Vulgatus Alcuinus iisdem fermè verbis utitur atque editus Ordo Romanus : *Cùm verò dixerint*, Amen, *sumit de pane sancto, et ponit in calicem silendo....* Pax Domini *non dicit, quia non sequuntur oscula circumstantium. Sanctificatur autem vinum non consecratum per sanctificatum panem.*

Hi sunt Auctores, quos de hac consecratione seu sanctificatione mentionem fecisse invenimus ante damnatum Berengarium. Proximè post mortem Gregorii septimi, qui Berengario tandem silentium imposuit, scribebat Micrologus, qui eà de re agit in cap. 19. « Non est autem authen» ticum, quòd quidam corpus Domini intingunt, et infinctum pro com» plemento communionis populo distribuunt. Nam Ordo Romanus con» tradicit, quia et in Parasceve vinum non consecratum, cum Dominicâ » oratione et Dominici corporis immissione jubet consecrare, ut populus » plenè possit communicare ».... Jacobus Gaïetanus habet in cap. 92. *sanctificari vinum non consecratum per corpus Dominici immissum.* Petrus Amelii, *per corporis Domini missionem*, quod idem est. Major est difficultas in decimo libello nostro hic edito, ubi cùm agitur de viatico infirmorum, præscribitur eis tradi *Eucharistiam Dominici corporis vino intincti, et vinum, tali intinctione sanctificatum in Christi sanguinem transmutatum, dicendo*, Accipe, frater, viaticum corporis et sanguinis, etc. Hic enim transmutationis vocabulum nullam relinquit ambigui sensûs dubitationem.

N. 2. Disquirendum est, quæ fuerit Amalarii.... sententia super consecratione vini in Paraseeve : et quid demùm in suæ sententiæ recognitione emendaverit. In priori loco ait, *sanctificari vinum non consecratum per sanctificatum panem :* in posteriori quasi non satis valere animadverteret sanctificationem illam ex commixtione particulæ consecratæ, ulteriùs progressus est in lib. 4. cap. 26. ratus vini consecrationem fieri per solam orationem Dominicam. Atque ut eum de verâ et propriè dictâ consecratione loqui appareat, ita mentem suam exponit, ut dicat, « Nisi esset » adnexum ex Romano Ordine, ut reservaretur corpus Domini à feriâ

» quintà usque in sextam, non esset necessarium reservari. *Quid ita?* » Quoniam sufficeret sola oratio Dominica ad consecrandum corpus, » sicut sufficit ad consecrandum vinum et aquam. » Hoc in loco manifestum est, Auctorem agere de verâ ac propriè dictâ Dominici corporis consecratione, quæ fieret per solam orationem Dominicam in feriâ sextâ, si ex priori consecratione nihil fuisset reservatum. Unde consequens est, eamdem orationem Dominicam, secundùm Amalarium, *sufficere ad consecrandum vinum et aquam*, consecratione non tantùm accidentariâ, sed verâ et reali.

Nunc verò quid in secundis curis sui operis Auctor in his duobus locis emendavit? De priori facilis est solutio ex comparatione, quam mox faciemus, primæ editionis cum secundâ: ubi nemo non videt, mutata potiùs fuisse verba, quàm sensum. Nam in primâ concludit, *Sanctificari vinum non consecratum per sanctificatum panem:* in secundâ verò *juxta ordinem libelli* Romani *per commixtionem panis et vini consecrari vinum.* Et ne quis putet id interpretandum de metaphoricâ consecratione, addit, qui hoc fecerit, *non observare traditionem Ecclesiæ, de quâ dicit Innocentius, isto biduo Sacramenta penitùs non celebrari.* Atqui Innocentius agit de verâ consecratione mysteriorum: ac proindè Amalarius, qui hac commixtione prædictam traditionem violari existimavit, eidem commixtioni veram consecrationem tribuit.

Sed quia in posteriori loco primæ editionis consecrationem illam non commixtioni, sed orationi Dominicæ adscripserat: ut sibi ipse constaret, totum hunc locum sustulit, ut totam consecrandi vini virtutem commixtioni tribueret.

N. 3. Interim unum afferre lubet Micrologum, qui in cap. 17. ubi *reverendæ memoriæ* Gregorium VII. laudat, se post ejus obitum scripsisse satis innuit. Is de vitandâ intinctione agens, ita loquitur in cap. 19. «Non » est autem authenticum, quòd quidam corpus Domini intingunt, et » intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam » ordo Romanus contradicit, qui et in Paraseeve vinum non consecratum, » cum Dominicâ oratione et Dominici corporis immissione jubet conse- » crare, ut populus plenè possit communicare; quod utique superflue » præciperet, si intinctum Dominicum à priori die corpus servaretur, » et ita intinctum populo ad communicandum sufficere videretur. » In his verbis nullus ambigendi locus relictus est, quin Micrologus veram consecrationem Dominicâ oratione et Dominici corporis immissione fieri crediderit: tùm quia ex calice ita consecrato complementum communionis dari putat: tùm quia ejusmodi consecrationem tantumdem valere, atque ex vero sanguine intinctionem opinatur.

Art. 13. Aliarum etiam Ecclesiarum hac de re sententiam investigare juvat.... Atque ut à Gallicanis Ecclesiis exordium faciamus, in primis occurrit Remensis, in cujus veteri Missali ad diem Parasceves præscribitur, ut de *Sacrificio* particula mittatur in calicem, dicendo, *Fiat unitio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi sumentibus in remissionem peccatorum in vitam æternam.* Quæ verba nullum sensum videntur habere, si calix ex contactu in sanguinem conversus non credatur. Quomodò enim aliàs fieret *unitio corporis et sanguinis?* Favet Pontificale Ecclesiæ Noviomensis, in quo hæc distinctè leguntur: *Commixtio corporis et consecratio sanguinis D. N. J. C. etc.* ubi commixtio distinguitur à consecratione sanguinis quæ fit per illam commixtionem.

Iisdem vestigiis insistebant etiam aliæ ejusdem metropolis Ecclesiæ, Suessionensis et Ambianensis. Suessionens. quidem in hæc verba: «Interea » sumens Episcopus de sanctâ, nihil dicens ponit in calice; factoque in » eo signo crucis, communicat se et omnes qui voluerint: et sic sancti- » ficatur vinum non consecratum per Panem sanctificatum. » Quæ verba sunt vulgati Ordinis Romani, relata in veteri Missali Suessionensi, quod ad seculum duodecimum videtur pertinere. At expressiùs aliud ejusdem Ecclesiæ Missale seculi nostro superioris: « Nihil dicendo mittat Sacerdos » unam partem de corpore Christi in calicem: quo facto, nihil dicendo, » communicet se, et sanguinem Domini percipiat. Consecratur enim » vinum per commixtionem factam in calice de corpore Christi. » Paulò minùs expressa est Ecclesiæ Ambianensis definitio in suo Ordinario:

« Vinum et aqua in calice sanctificantur, cùm corpus Domini admis-» cetur. » Hæc de Metropoli Remensi.

Eadem etiam verba leguntur in Ordinario Viennensi. At Virdunense Missale : *Hic consecratur vinum per corpus Domini.* Denique, ut paucis absolvam, Mimatense Pontificale ubi de communione infirmorum : « Tra-» dat ei Sacerdos Eucharistiam Dominici corporis intincti vino ; et vinum » tali intinctione sanctificatum, *et* in Christi Domini sanguine transmu-» tatum, dicens. » Accipe fratrer viaticum corporis et sanguinis Domini, etc. quæ totidem verbis habentur inferiùs in decimo nostro libello.

In Monasteriis etiam Gallicanis plerisque vigebat eadem sententia. Cæremoniale Sancti Benigni apud Divionem, ante annos quingentos scriptum, ita præscribit in Parasceve.... « Sumit de sanctâ, et dimittit in » calicem : sanctificaturque vinum non consecratum per panem sancti-» ficatum. » Ubi sanctificari idem est ac consecrari : cùm æquè dicatur *sanctificatus panis*, atque *sanctificatum vinum.*

Ordinarium sancti Apri apud Tullum Leucorum quædam singularia continet pro cœna Domini, quæ hùc referre visum est : « Post ultimum » *Agnus Dei*, ille qui primus est in choro, dicat, *Confiteor ;* et Fratres » respondeant, *Misereatur tui.* Deindè dicant et ipsi, *Confiteor :* et ille » qui primus est dicat, *Misereatur vestri ;* item dicat, *Indulgentiam*, et » responso ab omnibus *Amen*, accedant Fratres ad sacram communionem. » Dimittatur aliqua pars de corpore Christi in calice, et portetur à Dia-» cono super altare beati Apri, et teneat ibi calicem, et unus puer am-» pullam in quâ sit vinum quod in calicem fundatur cùm necesse fuerit, » donec biberint omnes fratres Monachi. Sanctificatur enim vinum per » corpus Christi consecratum et in calice depositum, cùm dicitur, *Fiat* » *hæc commixtio.* Sacrista verò habeat alium calicem et urceum cum vino » ad altare sancti Christophori, et ibi bibant Conversi et Conversæ, qui » corpus Domini susceperunt. » Hoc in loco aliter communicant Monachi choro addicti, aliter verò Conversi et Conversæ. Monachi enim sumptâ panis Eucharistici specie bibunt ex calice, in quo particula consecrata commixta fuerat ad sanctificandum vinum : at Conversi et Conversæ sumebant vinum ex alio calice non sanctificatum.

Nec omittendum Missale cœnobii Elnonensis seu sancti Amandi in Belgio ad diem Parasceves : *Hic consecratur vinum per corpus Domini ; sanctificatur non sanctificatum per sanctificatum.* Et Viconiense : *Hic consecratur vinum per corpus.* At in Rotonensi anni 1531. hæc consecratio verbis ipsius Sacerdotis exprimitur : « Quando Sacerdos divisit hostiam in » tres partes, tunc mittat partem panis consecrati in calicem, dicendo » hæc verba : » Per panem istum sanctificatum et consecratum sanctifi-cetur et consecretur vinum istud non consecratum. *Posteà communicet se Sacerdos more solito.* Hactenùs de Gallicanis Ecclesiis.

Quod attinet ad alias aliorum regnorum Ecclesias, Sarisberiense in Angliâ Missale duplex, seculi XV et XVI. eadem verba refert, quæ infrà ex Rhotomagensi afferemus : et Oxoniense ubi de communione infirmorum : *ille communicetur infirmus, et ponat sacrificium in vino sine aquâ, dicens :* Fiat commixtio et consecratio corporis et sanguinis D. N. J. C. *etc.* Ad hæc Bambergense in Germaniâ : *sanctificatur vinum non consecratum per sanctificatum panem.* Utrobique idem vocabulum ad designandum panis et vini consecrationem, ut de Benigniano Cæremoniali superiùs notavimus.

Postremò in Missa Mozarabum, ubi de die Parasceves hæc leguntur ; *Particulæ* Regnum *et* Gloria (sic appellantur duæ ex novem particulis consecratis, in quas hostia frangitur) *mittuntur in calicem. Quæ particula, secundum quosdam, consecrat vinum in calicem.* Quam opinionem etsi rubrica non approbet, non tamen eam rejicit, uti apparet ex sequenti cautelâ : « Accipiat patenam et mundet eam super calicem cum pollice, » et mundatam ponat eam sub mento, et positâ sumat vinum de calice » cum suâ particulâ : quia secundùm quosdam consecrat vinum in calice : » Ex quibus manifestum est, hanc opinionem sub dubio in Hispanicis Ecclesiis propositam fuisse.

Hactenùs argumenta, quæ consecrationem ex contactu stabilire pos-

sunt, retulimus : nunc quæ in negantem partem ferunt, proponenda sunt. Unam suppeditat Ecclesiæ Parisiensis Missale posterioribus seculis scriptum, in quo hæc verba : « Non est consecratum vinum per immis-» sionem partis hostiæ consecratæ in ipsum, quod facit Ecclesia die » Veneris sancta. *Tum additur :* Caveat maximè ne dicat, *Hæc sacrosancta* » *commixtio corporis et sanguinis*, aut aliud, ubi fiat verbum de sanguine. » Eamdem sententiam confirmat vetus Rituale Dionysianum.

Pontificale quoddam Ecclesiæ Remensis : « Nec vinum propter hoc » exstitit consecratum, sed tantummodò benedictum.. Orationes dicendæ » sine mentione sanguinis.... Nec debet fieri mentio de sanguine, quia » istâ die sanguis non consecratur. » Missale sancti Remigii in eâdem urbe, editum medio seculo superiori, eòdem spectat, uti et Missalia Rhotomagensia eodem seculo vulgata : tametsi Missale anni MDXIII. non sibi constet, cùm distinctè habeat in Parasceve de Sacerdote : *Post accipiat corpus Domini dicendo*, Corpus Domini, *etc. deindè calicem, dicens :* Corpus et sanguis, *etc. more solito, et communicetur qui voluerit, sicut hesternâ die.* Cur enim distinctè *corpus et sanguis* pro calice, si vinum ex contactu (quod idem Missale dicit) non consecratur ?

Præter hæc duo alia nobis suppetunt argumenta in partem negantem, unum ex Rituali Corbiensi, quod annos minimùm quingentos præ se fert, suggeritque hæc verba in Parasceve : Pax Domini, Agnus Dei, *et* Hæc sacrosancta commixtio *non dicentur : sed frustum fractionis sinet cadere infra calicem, nihil dicendo.* Domine J. C. Corpus Domini, Quod ore sumpsimus *dicentur, sed sanguis non nominabitur.* Placeat tibi *non dicetur. Omnibus communicatis, capiet quisque de vino per fistulam, et post bibet, calicibus ante majus altare præparatis.* Ubi licèt vinum ex fistulâ seu calamo de more sumatur, disertè tamen præcipitur à mentione sanguinis abstinendum. Quod etiam statuit Fontisebraldense anni MDXXXIV. Postremò Missale Cluniacense anni MDXXX. conceptis verbis rejicit hanc consecrationem, dicendo : *Vinum ex tactu sacræ hostiæ non consecratur, sed sanctificatur, ac reverendum efficitur.* Hactenùs libri rituales ; in quibus colligendis fateor me non parum profecisse ex observationibus, quas mihi subministravit religiosus et eruditus Claudius DE VERT Cluniacensis Theologus.

Jam verò si Auctores hâc de re consulamus, compugnantes etiam inveniemus eorum sententias. Non repetimus hic quæ superiùs diximus de Amalario, Micrologo, aliisque nonnullis. Pro affirmante parte militare videntur Græci nonnulli. In his Michaël Cerularius Patriarcha C. P. ante annos sexcentos, ab Allatio relatus in tractatu *de Præsanctificatis*, credit admistione panis præsanctificati mutari vinum in sanguinem Domini. Idem censet Simeon Thessalonicensis, trecentis annis Michaele inferior, apud eumdem Allatium.

Ad eamdem sententiam revocari potest quoddam de Eucharistiâ miraculum, quod Helmoldus Abbas suo tempore, id est, seculo XII. desinente, accidisse narrat. Id verò contigit in quadam Thuringiæ puellâ, quæ cùm suscepto à Sacerdote viatico *portiunculam Eucharistiæ in bicarium*, in quo Sacerdos datâ communione manus suas abluerat, decidisse animadvertisset, et sibi ad bibendum jussisset afferri ; totam aquam *in sanguinem mutatam* deprehendit, et portiunculam ipsam versam *in cruentam carnem.* Baronius hoc factum refert in fine anni MCXCII. atque hanc narrationem hoc modo concludit : « Hæc de transsubstantiatione aquæ in sanguinem » Christi, per commistionem Christi corporis divinitùs facta ; quod sem-» per fieri in vino, cùm commistio intercederet, antiquitas existimavit. » Undè illud Romani Ordinis : Vinum etiam non consecratum, etc.

Verùm quod Baronius antiquitati tribuit, non ita accipiendum est, quasi generalis fuerit totius antiquitatis ea persuasio. Nam ne quid dicam de primis octo seculis, in quibus nulla hujusce opinationis apparent vestigia, immò in quibus illa conversio nonnisi verbis Christi à Sacerdote prolatis fieri semper et ubique credita est : certè in subsequentibus seculis, quo tempore apud nonnullos hæc opinio invalescere cœpit, multi Auctores iique gravissimi, in contrariam abierunt sententiam : alii verò mediâ viâ incedentes, rem sub dubio reliquerunt.

Inter Auctores partis negantis quasi princeps censendus est sanctus

Bernardus Abbas Claræ-vallensis, qui ex immissâ in vinum non consecratum particulâ, vinum quidem *Sacrum*, sed non verè ac propriè consecratum fuisse dicit in Epistolâ 69. Huic occasionem præbuit factum cujusdam Abbatis Sacerdotis, qui cùm super solam aquam in calice temerè positam verba consecrationis protulisset, atque errore animadverso posteà vinum infudisset, ac consecratæ Eucharistiæ particulam in calicem immisisset ad consecrationem supplendam, Bernardum, quid super hâc re sentiret, consuluit, hocque responsum impetravit: « Nec » sub tanto articulo melius fieri potuisse putamus, arbitrantes, liquorem, » etsi non ex consecratione propriâ atque solemni in sanguinem mutatum, » sacrum tamen fuisse ex contactu corporis sacri... » Jacobus à Vitriaco in Historiæ Occidentalis cap. 38. «Non dicimus, (inquit,) quòd ex tactu sanguinis vinum ablutionis convertatur in sanguinem; sed remanet purum » vinum, licèt ex contactu sanctæ rei sit sanctificatum, sicut aqua » fluminis, aquæ benedictæ commixta, dicitur sanctificari. » Quibus præmissis hæc subdit quæ in rem nostram magis expressè faciunt: « Men- » tiuntur ergo qui dicunt, quòd in die Parasceve corpus Christi ex con- » tactu mutat vinum in sanguinem. Illo enim die corpus, sed non sanguis » sumitur; neutrum autem conficitur, eò quòd die illo in veritate immo- » lata fuit hostia: et ideò non immolatur in figurâ. » Non poterat Jacobus magis affirmatè sententiam pronuntiare.

Dixerit aliquis, Jacobum post medium seculum tertium decimum vixisse, quo tempore jàm penè desierat communio sub alterâ specie. Verùm Jacobi tempore nondùm ubique abrogata erat communio sub alterâ specie. Deinde hæc objectio non militat in sancto Bernardo, cujus tempore perseverabat communio sub utraque specie, ex dictis. Idem dicendum de Hugone Victorino, sciscitante, cur in die Parasceves *non sumatur sanguis Christi, sicut et caro:* quod contrà esset, si vinum ex contactu esset transmutatum in sanguinem.... Jacobo à Vitriaco prævit uno fermè seculo Joannes Belethus, qui et ipse negantem sententiam sequitur, ac ratione confirmat in cap. 99. « Si quis autem roget, nùm » istud vinum, quod eo die, *scilicet Parasceves*, sumitur, ex Dominici » corporis contactu consecretur? Quamvis complurium scripta illud » asserere videantur, nos tamen veritatem magis sequentes, et ea quæ » sancti Patres tradiderunt, dicimus, vinum illud omninò non esse con- » secratum ex illo contactu, sed sanctificatum. »

Rationes hujus sententiæ subdit idem Auctor, easdemque totidem ferè verbis repetit Guillelmus Durandus in Rationalis lib. 6. cap. 75. art. 14. In Ecclesiâ Romanâ sanguis è calice consecrato refundebatur in calicem ministerialem, in quo vinum erat: in quibusdam verò Ecclesiis cùm ad communicandum populum sanguinis consecrati copia non sufficiebat, tantum vini in calicem infundebatur cum reliquo sanguine commiscendum, quantum ad supplementum communionis satis erat. Prioris generis commistionem exhibent tres primi libelli Ordinis Romani; posteriorem liber Ritualis sancti Benigni, Usus Cisterciences, itemque Victorini, et Constitutiones Anglicanæ à Guillelmo de Linwode relatæ, quorum omnium testimonia attulimus in superiori capite octavo.

Perseverabat alter hic ritus in nonnullis Ecclesiis sub finem seculi tertii decimi, testante Guillelmo Durando in Rationalis cap. 42. num. 1. « In quibusdam locis, (inquit,) post sumptionem corporis et sanguinis » Christi, aliquid de ipso sanguine reservatur in calice, et superinfun- » ditur vinum purum, ut ipsi communicantes indè sumant. Non enim » esset decens tantum sanguinem conficere, nec calix capax inveniretur. » Idem Auctor in consequentibus negat vini consecrationem verè effici ex ejusmodi contactu. Quas hùc affert rationes, utrique speciei communes sunt: quarum præcipua est, quòd nunquam fiat veri conversio panis aut vini in Eucharistia, nisi per solemnia consecrationis verba, quæ Christus instituit.... Quærat aliquis, cur non ex puro sanguine calicis communio populo tribueretur? Non una, sed plures hujus facti rationes. Prima est, ut aliqua prærogativa Sacerdoti cæterisque Ministris sacris, quibus sanguis purus concedebatur, præ laïcis tribueretur. Quæ ratio potissimùm valet in ritu Ecclesiæ Romanæ. Secunda ratio est, quòd difficile esset accuratè tantum sanguinis consecrare, quantum communicandis laïcis

Nihil autem vetat ritum hujus sacro-sanctæ commixtionis mysticè explicari. Et hæc quidem est hujus expositio mystica. Quemadmodùm factâ separatim utriusque speciei consecratione, mortem Domini annuntiamus; ita utriusque speciei factâ deindè commixtione, ejusdem Resurrectionem exhibemus, innuimusque sacro-sanctâ communione sumi Christum à mortuis suscitatum. (1)

Observandum porrò præter commixtionem de quâ hactenùs egimus, hoc olim in usu positum fuisse, ut aliquando immitteretur in calicem et altera particula hostiæ in aliâ Missâ priùs consecratæ.

1° Quotiescunque summus Pontifex sacram synaxim solemniter agebat, ferebatur ante ipsum particula hostiæ quam aliâ die jam consecraverat. Hanc super altare repositam Pontifex ad altare accedens adorabat, miscebatque ante communionem cum Christi sanguine, ut eo ritu significaret Sacrificium hac die oblatum non aliud fuisse ab eo quod pridiè oblatum fuerat. Si fortè alius Episcopus summi Pontificis vices ageret in offerendo Sacrificio, hunc eumdem ritum observabat, quò intelligerent omnes Sacrificium hoc idem esse cum eo quod Papa priùs obtulerat.

2° Pontifex singulis Dominicis diebus mittebat per Acolythos portionem hostiæ à se consecratæ ad singulos urbis Presbyteros, quam illi inter Missarum solemnia miscebant cum speciebus corporis et sanguinis Christi à se consecrati; ut hoc ritu significarent et suam cum Pontifice communionem, et unitatem Sacrificii novæ legis, et secundi ordinis Sacerdotes subjectos esse Pontifici, sine cujus jussu vel permissione non offerrent Sacrificium.

3° In ordinatione Episcoporum et Presbyterorum, Consecrator tradebat olim Episcopo seu Presbytero à se mox ordinato hostiam grandem in Missâ mox consecratam. Novus autem Episcopus seu Presbyter per quadraginta dies continuos offerebat quidem Sacrificium, sed portionem hostiæ ab Episcopo consecratore acceptæ miscebat ante communionem cum speciebus panis et vini mox a se consecratis; ut hoc ritu intelligerent idem esse Sacrificium quod offerebat cum eo quod Episcopus consecrator obtulerat.

sufficere poterat, ut ne superaret vel deesset sanguinis copia communicaturis. Undè minor quantitas sanguinis in quibusdam Ecclesiis consecrabatur: ut cùm deficere cœpisset, vino superaddito augeri potuisset. Tertia mox dictæ rationi proxima est, quòd ubi magna populi frequentia erat, vix tantus calix haberi posset, qui sufficientem multitudini quantitatem sanguinis continere posset. Quam rationem attulit suprà Guillelmus Durandus. Quarta denique ratio adduci potest, saltem pro ritu Romano, ut periculo effusi sanguinis minori incommodo occurreretur. Nam longè minus incommodum erat, si quid liquoris ex vino commisto inter communicandum stillaret è calice, quàm si purus sanguis effusus fuisset.

(1) MICROLOGUS *de Eccles. observationib. cap.* 17. Unam portionem in calicem faciendo crucem mittere debet, cùm dicit, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ad designandum corporis et animæ conjunctionem in resurrectione Christi.

Hoc triplici in casu fiebat in Missâ commixtio duplex hostiæ cum sanguine Christi : primò hostiæ de præcedenti Sacrificio reservatæ, 2° hostiæ mox consecratæ à Sacerdote consecrante. (K)

(K) Domn. JOAN. MABILLON M. B. *Comment. in Ordin. Roman. art. 6. n. 1.* In processione Pontificis ad altare.... « Duo Acolythi (*inquit Ordo* » *Rom. I. n. 8.*) tenentes capsas cum Sanctis apertas, et Subdiaconus » sequens cum ipsis tenens manum suam in ore capsæ, ostendit Sancta » Pontifici, vel Diacono qui præcesserit. Tunc inclinato capite Pontifex » vel Diaconus salutat Sancta et contemplatur : ut si fuerit superabun- » dans, præcipiat ut ponatur in conditorio. »... Hoc vocabulo Eucharistiam significari *probo*. Principio ubicunque hoc nomen *sancta* in plurali solitariè occurrit, maximè in his libris ; aut semper, aut ferè semper Eucharistiam significat, exemplo Græcorum, qui *ta agia* appellant ; et Tertullianus *sanctum* absolutè appellat tùm in libro de oratione, tùm in alio de præscriptione. Idem Ordo Romanus n. 17. *Cùm dixerit*, Pax Domini sit semper vobiscum, *faciens cracem tribus vicibus manu suâ super calicem, mittit Sancta in eum.* Hunc locum de Eucharistia intelligendum nullus dubitaverit. Mihi verò nihil aliud esse videtur quàm particula consecrata ex illis *Sanctis*, quæ Pontifici ad altare procedenti in capsâ ostensa sunt, quæ et cum Diacono adoravit.... Duplex itaque particula mittebatur in calicem, una scilicet ante oblatæ fractionem : alia post fractionem, ex ipsâ oblatâ. Adeòque prima nihil aliud esse videtur, quàm particula ex anteà consecrata Eucharistia, quam Pontifex ad altare procedens adoraverat in capsâ ostensam ; ex quâ parte quæ *superabundans* fuisset, præceperat reponi *in conditorio*, id est, in eo loco, ubi Eucharistia soleret asservari.... Constat igitur duplicem Eucharistiæ particulam fuisse immissam in calicem, unam ex priori (ut quidem opinor) consecratione, alteram ex præsente. Cur autem particula ex Eucharistia asservata immissa fuerit in calicem ? Fortassè ut Sacrificii unitas et perpetuitas hoc ritu inculcaretur. Id enim colligi potest ex alio persimili ritu, qui in eodem primo libello nostro subsequitur num. 21. ubi configerit, Pontifice absente, Missam in loco, in quo statio fuerit, ab Episcopo celebrari. « Sexto loco quando dici debet, *Pax Domini sit semper vobiscum*, depor- » tatur à Subdiacono oblationario particula fermenti, quod ab Apostolico » consecratum est, et datur Archidiacono : ille verò porrigit Episcopo. » At ille consignando tribus vicibus, et dicendo, *Pax Domini sit semper* » *vobiscum*, mittit in calicem. » Hic locus insignis est ad probandum.... fermentum illud de quo agit Innocentius primus in Epist. ad Decentium, esse ipsammet Eucharistiam consecratam, non Eulogiam seu panem benedictum. Deindè ex hoc ritu Missæ Episcopalis, absente Pontifice celebratæ, illustrari similem ritum Missæ Pontificalis, in quâ particulam Eucharistiæ anteà consecratæ deferri ad altare, et posteà immitti in calicem modò observabamus. Deindè hoc ritu Sacrificii unitatem commendari, atque unionem Pontificis cum Sacerdote, qui sancta priùs consecrasset ; et Episcopi cum Pontifice, fermenti, id est, Eucharistiæ particulam à Pontifice anteà consecratam in calicem immittentis.

Ex his non obscurè conficimus, *Sancta* hæc, quæ Pontifici ad altare procedenti præferebantur, Eucharistiam fuisse. Consimilis ritus in Parasceve observabatur seculo XIV. teste Jacobo Gaietano in Ordinarii sui cap. 92. ubi cùm descripsit processionem Papæ cum suo Clero ab Ecclesia Lateranensi ad Basilicam S. Crucis cum corpore Domini, hæc subdit : « Presbyter qui portat corpus Domini, ponat illud in secretario, dùm » Dominus Papa præparat se. Illo præparato, reportet illud ante Papam » in processione ad altare. » Hinc illustrari et confirmari possunt ea quæ hac de re superiùs diximus.

N. 2. Hoc porrò fermentum nihil aliud esse, quàm Eucharistiam constat ex vetustissimo codice Ratisponensi, in quo habentur Glossæ super decretales Pontificum Epistolas, cujus codicis hæc verba sunt... « De fermento » quod dicit, mos est Romanis, ut de Missa quæ cantatur in cœna Do- » mini, et in Sabbato sancto, et in die Paschæ, et in Pentecosten, et in » natali Domini, de Sancta.... per totum annum servetur : et ubicunque

Nunc autem, dùm fit hæc commixtio, Sacerdos hâc utitur formulâ : *Hæc commixtio et consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.*

I. Quid sibi vult ea vox, *Consecratio*, quam valdè miror hîc adhiberi, cùm corpus et sanguis Christi nullam possint mutuâ commixtione consecrationem de novo accipere ?

R. 1. Quemadmodùm consecrationem dicimus mysticam separationem corporis et sanguinis Christi, quam exhibet distinctio utriusque speciei : ita commixtionem utriusque speciei consecrationem appellari nihil vetat, quia Christi resurrectio illâ commixtione, ut diximus, exhibetur. Utraque autem illa consecratio fit nobis in vitam æternam, cùm dignè communicamus.

2° In multis Missalibus antiquissimis et plerisque Galliarum non legebatur olim hîc ea vox, *Consecratio*, sed, *Hæc sacro-sancta commixtio*, vel *Hæc commixtio et consecratio.* Hæc ferè eôdem recidunt : suum quisque ritum sequatur : parvi sanè momenti est illa differentia.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm Sacerdos frangit hostiam, ejusque particulam miscet cum sanguine Domini ?

R. Debet 1° gratias agere Christo, qui sic dilexit nos, ut suum nobis corpus et sanguinem in cibum dederit ; 2° Petere ab eo, ut commixtio utriusque speciei, quâ fortè exhibetur et significatur Christi resurrectio, sit nobis pignus futuræ resurrectionis ad gloriam.

N° XXVIII. Agnus Dei. *Pacis osculum.*

I. Post fractionem hostiæ et commixtionem utriusque speciei, quid agit Sacerdos ?

R. Ter recitat orationem sequentem, percutiendo pectus suum : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis :* et tertiâ vice, *Da nobis pacem.* Si celebret pro defunctis, prætermissis his vocibus, *Miserere nobis*, et *Dona nobis pacem*, ait : *Dona eis requiem ;* et tertiâ vice, *Dona eis requiem sempiternam.*

» per stationes, si ipse Papa ad Missam præsens non fuerit, de ipsa Missa » (*fortè* Sancta) mittitur in calicem, cùm dicitur, *Pax Domini sit semper vobiscum :* et hoc dicitur, fermentum. » Hinc illustrantur ea quæ superiùs notavimus tùm de fermento sumpto pro Eucharistia, itemque de *Sancta ;* tùm de asservata Eucharistia ex priori Sacrificio ad immittendam particulam consecratam in Missis subsequentibus ; tùm denique de ritu usitato in Missa Episcopali, ubi statio fuisset absente Pontifice. Ejusdem glossæ verba proximè addita subjungo : « Tamen Sabbato sancto » Paschæ nullus Presbyter per Ecclesias baptismales neminem commu- » nicat, antequàm mittatur ei de ipsa Sancta, quam obtulit Dominus » Papa. »... Consimilis ritus servabatur in ordinatione Episcoporum et Presbyterorum,... quibus ab Ordinatore porrigebatur integra oblata consecrata, ex quâ communicabant in cœtus à sua ordinatione dies, immittendo scilicet particulam ex accepta priùs oblata in calicem à se consecratum : ut sic suam cum suo Ordinatore communionem, atque Sacrificii unitatem protestarentur, etc. *Vide superiùs* §. 8. *Cap.* 7. *Sect.* 1. *hujusce Partis litt.* (H)

Hæc oratio nullâ indiget interpretatione : nemo ignorat Christum in Scripturis sæpiùs Agnum Dei dici. (A)

I. Cur hîc recitatur vel canitur hæc oratio ?

R. Ut imploratione divinæ misericordiæ, tùm populus tùm Sacerdos præparent se ad sacrosanctam communionem. Antiquitùs ter dicebatur, *Agnus Dei.... Miserere nobis.* Sed ab annis circiter septingentis præcepit Ecclesia ut in tertiâ repetitione diceretur, *Dona nobis pacem ;* quibus verbis voluit Ecclesia postulari pacem Ecclesiæ, pacem inter Christianos Principes. Pacem precatur Ecclesia in omnibus orationibus ab oratione Dominicâ ad communionem.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm Sacerdos recitat orationem, *Agnus Dei ?*

R. Hæc oratio solemniter canitur à Choro ; hæc itaque Ecclesiæ mens est, ut canat populus cum choro ; vel si Missa sine cantu peragatur, seorsùm cum fide et fervore recitet unusquisque, *Agnus Dei*, etc.

I. Recitatâ hâc oratione, quid agit Sacerdos ?

R. Profundè inclinatus pacem Ecclesiæ postulat his verbis : *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis*, Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis (*Joan.* XIV. 27.), *ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ, eamque secundùm voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris, qui vivis et regnas Deus, per omnia secula seculorum. Amen.*

I. Cur pacem etiam tunc precatur Sacerdos, postquàm universus populus jam pacem precatus est his verbis, *Dona nobis pacem* ?

R. Hanc ipsam precem Sacerdos fusiùs hîc prosequitur ; quia ex veteri ritu jamjam unusquisque circumstantium daturus est pacis osculum. Orat igitur Sacerdos ut mente sincerâ sese invicem singuli osculentur, adeò ut omnia et singula membra, quibus Ecclesia constat, coadunentur, omnesque sint unum corpus et anima una de uno pane, Christi nimirùm corpore mox reficiendi.

I. Cur datur pacis osculum ante communionem ?

R. Ut significetur verum esse quod ait Apostolus : *Unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* (1. *Cor.* X. 17.) Utque mysticæ hujus unitatis mysterium exprimeretur, voluit Christus sacrosanctum Eucharistiæ mysterium his rebus perfici, quæ sunt symbolum communionis, imò et unitatis. Quod quidem sic explicat sæpiùs sanctus Augustinus : Quemadmodùm panis ex multis granis simul attritis et in unum corpus compactis efficitur, vinum ex multis acinis confluit ; ita fideles omnes, qui ad sacram mensam admittuntur, sacratissimi Christi corporis participatione sic adunantur in Christo, ut unum cum ipso corpus efficiant : proindè necesse est ut sint et ipsi quid unum

(A) JOAN. I. 29. Alterâ die vidit Joannes Jesum venientem ad se, et ait : Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.

inter se, utpotè qui unius omnes Christi Spiritûs, unii omnes Christi corporis participatione vegetentur. (B)

I. Estne veteri in more positum ut fideles dent sibi invicem pacis osculum ante sacrosanctam communionem?

R. Mos ille continuâ ab Apostolis ad nostra usque tempora traditione servatur per omnes Ecclesias (C), cum eo solùm discrimine, quòd in multis Ecclesiis detur reipsà pacis osculum, in aliis autem porrigatur in signum pacis instrumentum pium singulis osculandum, quod idem est ferè ac si se singuli invicem oscularentur: eadem enim in porrec-

Apoc. v. 12. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

(B) S. Aug. *serm.* 227. *alias* 83. *de diversis in die Paschæ* 4. Debetis scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid quotidiè accipere debeatis. Panis ille quem videtis in altari, sanctificatus per verbum Dei, corpus est Christi. Calix ille, immò quod habet calix sanctificatum per verbum Dei, sanguis est Christi. Per ista voluit Dominus Christus commendare corpus et sanguinem suum, quem pro nobis fudit in remissionem peccatorum. Si benè accepistis, vos estis quod accepistis. Apostolus enim dicit, *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* (1. *Cor.* x. 17.) Sic exposuit Sacramentum mensæ Dominicæ: *Unus panis, unum corpus, multi sumus.* Commendatur vobis in isto pane quomodò unitatem amare debeatis. Nunquid enim panis ille de uno grano factus est? Nonne multa erant tritici grana? Sed antequàm ad panem venirent, separata erant: per aquam conjuncta sunt, et post quamdam contritionem. Nisi enim molatur triticum, et per aquam conspergatur, ad istam formam minimè venit, quæ panis vocatur. Sic et vos ante jejunii humiliatione et exorcismi sacramento quasi molebamini. Accessit baptismum et aqua; quasi conspersi estis, ut ad formam panis veniretis. Sed nondùm est panis sine igne. Quid ergo significat ignis? Hoc est Chrisma. Oleum etenim ignis nostri, Spiritûs sancti est sacramentum... Accedit ergo Spiritus sanctus, post aquam ignis: et efficimini panis, quod est corpus Christi; et ideò unitas quodammodò significatur.... Post ipsam (*Orationem Dominicam*) dicitur, *Pax vobiscum*: et osculantur se Christiani in osculo sancto. Pacis signum est. Sicut ostendunt labia, fiat in conscientia. Id est, quomodò labia tua ad labia fratris tui accedunt, sic cor tuum à corde ejus non recedat.

(C) S. Cyril. Hierosolym. *Catech.* 5. *mystag. n.* 2. Deindè clamat Diaconus: *Complectamini et osculemini vos invicem;* atque tunc mutuo nos osculo salutemus. Non hoc ita accipias, quasi osculum illud sit ejuscemodi, quale in foro inter communes amicos esse consuevit: neque enim tale est. Hoc igitur osculum animas mutuò conciliat, et omnem malorum oblivionem illis spondet. Signum igitur est hoc osculum reconciliationis animorum, universæque injuriarum memoriæ delelæ. Propterea et Christus Dei Filius dicebat (*Matth.* v. 23. *et* 24.): « Cùm offers munus » tuum ad altare, et illic recordatus fueris, quòd frater tuus habet ali» quid adversùs te, relinque munus tuum ad altare, et vade priùs, et » reconciliare fratri tuo, et tunc accedens offer munus tuum. » Igitur osculum hoc reconciliatio est, atque ideircò sanctum. De quo et Paulus dicit (*Rom.* xvi. 16. *etc.*): *Salutate vos invicem in osculo sancto;* et Petrus inquit (1. *Petr.* v. 14.), *in osculo dilectionis.*

S. Joan. Chrysost. *Homil.* 18. *in* 2. *ad Corinth. in morali.* Ad hæc cùm pax danda, vicissimque accipienda est, omnes æquè inter nos exosculamur.

Acta SS. MM. Montani, etc. apud Theod. Ruinart, *pag.* 242. Et sacramentis legitimæ pacis nullus profanus arbiter interesset.... Sic consummatis omnibus fratribus, et pace perfectà.... hujusmodi verba dimisit: Habetis, inquit, fratres dilectissimi, nobiscum pacem, si noveritis Ecclesiæ pacem, et dilectionis unitatem servaveritis.

tione instrumenti verba proferuntur quæ in amplexu, nimirùm et qui proximum osculatur, et qui pacis instrumentum osculandum porrigit, aiunt, *Pax tibi*, et respondetur, *Et cum Spiritu tuo.*

I. Sacerdos dictâ oratione, *Domine Jesu Christe*, cur osculatur altare antequàm det pacem Diacono? Cur Diaconus dat deindè pacem Subdiacono, et Subdiaconus Clero?

R. Sacerdos osculatur altare, qui Christi typus est, ut significet acceptam à Christo pacem se dare Diacono, et per Diaconum Clero et populo circumstanti. Is olim plurimarum Ecclesiarum mos erat, ut Sacerdos non altare sed ipsum Christi corpus oscularetur antequàm daret pacem Diacono: qui ritus in Ecclesiâ Parisiensi ad annum millesimum sexcentesimum octavum usque perseveravit, ut patet ex Missali hujus ævi, in quo hæc verba leguntur: *Posteà osculato corpore Christi* (Sacerdos) *det osculum ad pacem, dicens*: Pax tibi, frater, et Ecclesiæ sanctæ Dei.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm datur pacis osculum?

R. Hic revocet unusquisque apud se verba Christi: *Si offers*, inquit (*Matth.* v. 23. *et* 24.), *munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversùm te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade priùs reconciliari fratri tuo; et tunc veniens offeres munus tuum.* Quibus verbis liquidò constat, si quis odio prosequatur fratrem suum, si quis, quod in se est, pacem cum omnibus non habuerit, nefas illi esse ad sacrosancti Sacrificii communionem accedere. Id itaque singuli meditentur, dùm datur pacis osculum; simulque orent enixè, ut divinâ adspirante gratiâ adstringatur magis et magis in dies pacis vinculum, quo fit ut omnes in Christo fratres simus et (Apostoli verbis utor) Christo concorporales (*Ephes.* III. 6.) nec unquam vinculum illud pacis cujusquam culpâ dissolvatur.

N° XXIX. *De Communione Sacerdotis.*

I. Quid agit Sacerdos dùm circumstantes dant sibi invicem pacis osculum?

R. Recitat seorsùm sequentes orationes duas, quibus præparat se ad communionem:

Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis; et fac me tuis semper inhærere mandatis, et à te nunquam separari permittas, qui cum eodem Patre et Spiritu sancto, vivis et regnas in secula seculorum. Amen.

Perceptio corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem, sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum

mentis et corporis, et ad medelam percipiendam; qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritûs sancti Deus, Per omnia secula seculorum. Amen.

I. Debetne populus circumstans has orationes seorsùm recitare ?

R. Qui communicaturi sunt debent ad eam mentem orare, ut præparent se ad communionem. Sive autem has orationes recitent, sive alias similes, sive taciti orent ad hanc mentem, perindè est.

Qui autem non sunt communicaturi sacramentaliter, debent saltem ex mente Ecclesiæ spiritualiter communicare : proindè facient rem à mente Ecclesiæ non alienam, si utramque orationem vel saltem alteram earum quæ ordine prima est recitent.

I. Absolutis his precibus quid agit Sacerdos ?

R. Accipiens manibus corpus Christi, submissâ voce pronuntiat hæc verba Psalmi CXV. 13. *Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.* Quibus verbis suam fidem, suum erga Christum amorem excitat. Deindè voce paululùm elatiore ter dicit, percutiens pectus suum,

Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur anima mea.

In hunc modum precatus est Centurio pro famulo ægrotante : *Domine*, inquit, *non sum dignus ut sub tectum meum intres, sed tantùm dic verbo, et sanabitur puer meus.* (*Matth.* VIII. 8.) Cujus fidem admiratus Christus, ait illi, *Vade, et sicut credidisti fiat tibi.* (*Ibid.* 13.) Proindè verba hæc ipsa vult Ecclesia recitari ab iis omnibus qui jam jam percepturi sunt corpus Christi, ut illis ipsis verbis intelligant quâ fide, quâ humilitate accedere oporteat ad tremendam corporis Christi communionem.

I. Quid agit posteà Sacerdos ?

R. Sumit ore reverenter corpus Christi sub specie panis, facto priùs cum Christi corpore signo crucis in memoriam passionis Dominicæ, dictisque simul his verbis, *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.*

Postquàm autem communicavit sub specie panis, acceptà patenà colligit fragmenta si quæ sint super corporale, patenam quoque diligenter extergit et suos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat : interim recitat hæc verba Psalmi CXV. 12. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi :* sumensque manu calicem, verba Psalmi prosequitur, *Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* (*v.* 13.) *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.* (*Psal.* XVII. 4.)

Deindè signans se signo crucis cum calice, ait :

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Quo dicto sumit reverenter totum sanguinem cum particulâ speciei panis in calicem priùs injectâ.

Episcopi et Presbyteri stantes communicant dùm sacrum agunt. Sed Papa cùm solemniter celebrat, sedens in throno communicat : qui ritus antiquissimus est, et propiùs accedit ad exemplum Christi, qui discumbens Discipulis simul discumbentibus corpus suum manducandum dedit. Nihil obstat standò, sedendo, genuflectendo Christum adorari. Papa porrectum sibi à Diacono corpus et sanguinem Christi profundè inclinatus adorat, antequàm communicet, ut habetur expressè in ordine Missæ Papalis ; et mentionem hujus adorationis faciunt Ordines Romani antiquissimi. (A)

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm Sacerdos communicat ?

R. Si communicaturi sunt debent præparare se ad proximam communionem ; sin minùs, cum intimo humilitatis sensu agnoscant indignitatem suam, dicantque cum Prophetâ (*Daniel.* III. 39. *et* 40.) : *In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur à te Domine, et sic fiat sacrificium hoc in conspectu tuo hodiè, ut placeat tibi,* (*et prosit nobis,*) *Domine Deus.* Deindè, *Domine non sum dignus ut intres,* etc.

N° XXX. *De Communione Populi.*

I. Quid agit Sacerdos postquàm communicavit corpori et sanguini Domini ?

R. Si qui sunt qui communicare velint, dat eis corpus Domini : et interim canitur in choro antiphona quæ Communio dicitur; cui antiphonæ addebatur olim Psalmus, ut Dei laudibus vacaret populus, dùm cæteri communicarent. Mos ille canendi Psalmum, dum fieret sacra communio, introductus est primùm in Africâ tempore sancti Augustini, ut refert ipse libro secundo Retractationum capite undecimo. Isque retinetur hodieque per totum Orientem, ut constat ex omnibus Liturgiis Orientalibus, etiam antiquissimis. (A)

(A) JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 8. *Vide suprà hujusce* §. *num.* XXVII. *litt.* (D)

ORDO ROM. I. *et* II. Expletâ confractione, Diaconus minor, levatâ de Subdiacono patenâ, defert ad sedem, ut communicet Pontifex.

ORDO ROM. III. Expletâ confractione, Diaconus minor, levatâ de Subdiacono patenâ, defert eam ad Pontificem, ut communicet corpore Dominico.

ORDO ROM. IV. Expletâ confractione, quando communicat Domnus Apostolicus, partem sibi mordet, et reliquam in calice mittit, faciens crucem de eâ tribus vicibus super calicem, nihil dicens. Et sic confirmatur de calice, tenente calicem Archidiacono. Quando verò Domnus Apostolicus descendit ab altari, incipit communicare populus. *Ad altare ergo non ad sedem corpus Domini sumpsit.*

ORDO ROM. V. Fractis itaque oblatis, jubeat Diaconus Acolytho ut deferat unam patenam ad sedem ante Pontificem. Qui surgens vertat se ad Orientem, et communicet. *Hic ad sedem defertur Eucharistia, sed stans eam sumit Pontifex. Quæ verba retulit in Votis ad I. Ord. Rom.* Domn. JOAN. MABILLON, *ex quinto Ordine cæteros interpretans.*

(A) CONST. APOSTOL. *lib.* 8. *cap.* 13. *Vide superiùs* §. 14. *hujusce Cap. litt.* (B)

Antiphona autem quæ Communio dicitur, exprimit ut plurimùm sensum accommodatum sacrosanctæ Eucharistiæ mysterio.

I. Quis erat olim ritus communionis?

R. Postquàm Sacerdos celebrans communicaverat, distribuebat corpus et sanguinem Christi sub utraque specie Presbyteris concelebrantibus, nam ut dixi (*hujusce Cap.* §. 18.), Presbyteri omnes adstantes concelebrabant.) Deindè Diaconi omnes sumebant corpus Christi de manu Sacerdotis, et sanguinem de manibus Presbyterorum concelebrantium; Subdiaconi et cæteri omnes de Clero corpus Christi de manu Sacerdotis, sanguinem de manu Diaconorum accipiebant. Presbyteri omnes adstantes simul cum Sacerdote celebrante distribuebant populo, per circuitum Ecclesiæ in suo cuique ordine stanti, corpus Christi: Diaconi calicem singulis offerebant. Primò viri acceptum corpus Christi in extensa palma dexteræ manûs deferebant ad os; deindè mulieres recipiebant quidem in extensa manu corpus Christi, sed modestiæ causà, in multis Ecclesiis, manum operiebant linteolo quod Dominicale dicebatur. Presbyteri omnes ad altare communicabant; Diaconi retrò altare, sic enim erant disposita altaria ut circuirentur facilè; Subdiaconi et cæteri de Clero intra chori ambitum; populus extra septa chori in suo quisque loco communicabat, nec enim movebatur loco populus ad communionem, ne fieret confusio.

Ante communionem Diaconus iterùm altâ voce pronuntiabat, *Sancta sanctis.* Quæ verba pronuntiantur etiamnùm à Sacerdote ante communionem in Ecclesia Græca.

Probabilius est omnem olim populum non genuflexum, ut nunc fit, sed stantem communicasse non secùs ac Sacerdotes: qui ritus observatur hodieque apud Græcos. Et quoties Papa Missam solemniter celebrat, Diaconus et Subdiaconus stantes de ejus manu communicant sub utraque specie.

Porrigendo corpus Christi Sacerdos singulis inquiebat, *Corpus Christi:* et singuli respondebant, *Amen*; ut hàc voce fidem profiterentur suam circa venerabile mysterium. Qui ritus observatur etiamnùm in Ecclesia Parisiensi, in Meldensi aliisque non paucis: et Pontificale Romanum in ordinationibus et benedictionibus Abbatum, Abbatissarum, Regum aliisque hujusmodi servari præcipit. De hoc ritu mentio fit apud omnes ferè SS. Patres ex antiquioribus. (B)

(B) S. Cyrill. Hieros. *Catech. mystag.* 5. *versùs finem.* Sacerdos autem posteà dicit: *Sancta sanctis.* Sancta scilicet ea quæ in ara proposita sunt, adventu Spiritûs sancti sanctificata: sancti et vos cùm sitis, sancto Spiritu donati, atque ita sancta sanctis conveniunt. Vos deindè respondetis: *Unus Sanctus, unus Dominus Jesus Christus.* Verè unus est ille Sanctus, qui est naturâ sanctus: vos autem etsi sancti sitis, non tamen naturâ, sed participatione, exercitio et precatione. Audistis deinceps divinâ quâdam melodiâ psallentem, atque ad sacrorum mysteriorum communionem vos adhortantem: *Gustate et videte, quòd suavis est Dominus.* (*Ps.* xxxiii. 9.) Nùm hoc corporeo palato ut istud dijudicetis, vobis præcipitur? Nequaquàm, sed potiùs fide certâ, et omnis dubitationis experti.

Gustantes enim, non panem aut vinum ut gustent, jubentur, sed quod sub specie est, (videlicet panis et vini) corpus et sanguinem Christi. Accedens autem ad communionem, non expansis manum volis accede, neque cum disjunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quamdam subjicias dextræ, quæ tantum Regem susceptura est : et concavâ manu suscipe corpus Christi, dicens : *Amen.* Sanctificatis ergo diligenter oculis, tam sancti corporis contactu, communica. Cave autem, ne quid indè incidat tibi : quod enim amittas, hoc tanquàm ex proprio membro amiseris. Nam si quis tibi ramenta aurea daret, nonne magnâ cum diligentiâ illa teneres, cavens, ne quid ex illis periret, damnumque sustineres? Et non multò magis et diligentiùs de hoc, quod auro gemmisque pretiosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, providebis? Tùm verò post communionem corporis Christi, accede et ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, et venerationis, dicens, *Amen.* Sanctificeris eo sanguine Christi, quem assumis : et cùm adhuc est humiditas in labiis tuis manibus attingens, et oculos, et frontem, et reliqua sensuum organa consecra.

S. HIERON. *Epist.* 39. *alias* 62. *ad Theophil. adv. Joan. Hierosol.* Quâ conscientiâ ad Eucharistiam accedam, et respondebo AMEN : cùm de charitate dubitem porrigentis?

S. FULGENTIUS *Respons. ad duas inquisit. Ferrandi Diaconi, seu Epist.* 12. *cap.* 11. *n.* 25. *seu potiùs* S. AUGUST. *Serm.* 272. *aliàs* 16. *ex Vignerianis, quem* S. FULGENT. *Epist. suæ subjunxit.* Si ergo vos estis corpus Christi et membra, mysterium vestrum in mensa Domini positum est, mysterium Domini accipitis. Ad id quod estis, *Amen* respondetis, et respondendo subscribitis. Audis ergo, *Corpus Christi*, et respondes *Amen.* Esto membrum corporis Christi, ut verum sit, *Amen.*

ORDO ROM. I. *Tom.* 2. *Musæi Ital. pag.* 14. *n.* 20. Deindè venit Archidiaconus cum calice ad cornu altaris, et annuntiat stationem : et refuso parùm calice in scyphum inter manus Acolythi, accedunt primò Episcopi ad sedem ut communicent de manu Pontificis secundùm ordinem ; similiter et Presbyteri, ut communicent post eos. Episcopus autem primus accipit calicem de manu Archidiaconi, et stat in cornu altaris sequentis ordinis usque ad primicerium defensorum. Deindè Archidiaconus acceptò de manibus illius calice, refundit in scyphum, quem suprà diximus ; et tradit calicem Subdiacono regionario, qui tradit ei pugillarem, cum quo confirmat populum. Calicem autem accipit Subdiaconus sequens ; dat Acolytho, quem ille revocat in paratorium. Qui dùm confirmaverit quos Papa communicat, descendit Pontifex à sede cum primicerio notariorum et primicerio defensorum, tenentibus ei manus, ut communicet eos qui in senatorio sunt : post quem Archidiaconus confirmat. Post hæc Episcopi communicant populum, annuente eis primicerio cum manu sub planeta, percontato Pontifice. Post eos Diaconi confirmant. Deindè transeunt in partem sinistram, ut faciant similiter. Presbyteri autem, annuente primicerio, jussu Pontificis communicant populum : et ipsi vicissim confirmant. Nam mox ut Pontifex cœperit in senatorio communicare, statim schola incipit antiphonam ad communionem per vices cum Subdiaconibus, et psallunt usque dùm, communicato omni populo, annuat Pontifex ut dicant *Gloria Patri :* et tunc repetito versu quiescunt. Et Pontifex mox ut communicaverit in parte mulierum, redit ad sedem : et communicat regionarios per ordinem, et eos qui in filo steterant : et in diebus festis de schola XII. Nam cæteris diebus in Presbyterio communicant. Post hos omnes redeuntes Nomenculator et Sacellarius, et Acolythus, qui patenam tenet, et qui manutergium tenet, et qui aquam dat, ad sedem communicant, et post Pontificem Archidiaconus eos confirmat.

N. 21. Adstat autem Subdiaconus regionarius ante faciem Pontificis, ut annuat ei. Ille verò contemplans populum, si jam communicati sint, et annuit ei. Et ille vadit ad humerum, aspicit ad primum scholæ, faciens crucem in fronte sua, annuit ei dicere *Gloriam :* et ille resalutato eo, dicit *Gloria, sicut erat*, et versum. Finità autem antiphonà surgit Pontifex cum Archidiacono, et veniens ante altare dat orationem ad complendum, directus ad Orientem.

Plures auctoritates invenies infrà apud JOAN. BONA *hacce litt.*

PONTIFIC. ROM. *in ordinat. Presbyt. pag.* 51. Pontifex ponit plures hostias consecratas super patenam, quam ori cujuslibet communicandi supponit, et singulos communicat, cuilibet dicens : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam :* Quilibet respondet, *Amen.*

JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 3. Olim ante communionem clamabat Diaconus, *Sancta sanctis :* ac si diceret, Qui non est sanctus non accedat. Eadem verba nunc etiam apud Græcos dicit Sacerdos.... Ipsam autem Eucharistiam sumpturis, tabellæ quædam spongiâ perpolitæ à ministris apponebantur, veluti mensulæ, ut ex Chrysostomo et Athanasio observat Baronius *an.* 57. *n.* 146. quibus hodiè linteamina successerunt, ut si quid forlè decidat, his excipiatur. At verò Sacerdos Sacramenta distribuens, quid daret contestabatur dicens : *Corpus Christi ;* et accipiens respondebat, *Amen ;* quâ voce verum illud esse profitebatur. Auctor Constitutionum Apost. lib. 8. cap. 13. *Episcopus tribuat oblationem dicens :* Corpus Christi ; *et accipiens dicat*, Amen : *Diaconus verò tribuat calicem dicens :* Sanguis Christi, poculum salutis ; *et bibens dicat*, Amen.... Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 5. *Dicit tibi Sacerdos*, Corpus Christi ; *et tu dicis*, Amen, *id est*, *verum*... Aug. lib. 12. contra Faustum, cap. 10. « Habet enim magnam vocem Christi sanguis » in terra, cùm eo accepto ab omnibus gentibus respondetur, AMEN. » *Leo Magn. serm.* 6. *de jejunio* 7. *mensis :* Sic sacræ mensæ communicare » debetis, ut nihil prorsùs de veritate corporis Christi et sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur quod fide creditur, et frustrà ab illis » *Amen* respondetur, à quibus contra id quod accipitur disputatur.... » Ipsa quoque sacra communio antiquo ritu non ore excipi solebat, ut hodiè fit, sed manu : quam qui susceperat ori reverenter admovebat.... Cyrillus Hierosol. Catech. 5. Mystag. « Accedens ad communionem, non » expansis manuum volis accede, neque cum disjunctis digitis, sed » sinistram veluti sedem quamdam subjiciens dexteræ quæ tantum Regem » susceptura est, et concavâ manu suscipe corpus Christi dicens : AMEN. » Hunc ipsum ritum commendat Damascenus lib. 4. Orthod. fidei, cap. 14. « Ardenti cupiditate ad eum adeamus, manibusque in crucis formam » compositis crucifixi corpus suscipiamus.... » Porrò hîc notandum est in susceptione Eucharistiæ inter viros et mulieres discrimen aliquod fuisse : nam viri in nuda manu, mulieres subjecto linteolo, quod Dominicale dicebatur, illam accipiebant. Sic statutum legimus in Conc. Autissiodor. *cap.* 36. « Non licet mulieri nudâ manu Eucharistiam accipere : *et cap.* 42. Ut unaquæque mulier, quando communicat, Dominicale suum habeat ; quòd si qua non habuerit, usque ad alium diem » Dominicum non communicet. » Aug. Serm. 252. de tempore, diù ante hoc Concilium invaluisse per Africam hanc consuetudinem testis est, dicens : « Mulieres quomodò nitidum exhibent linteolum, ubi corpus » Christi accipiant, sic corpus castum et cor mundum exhibeant. »

N. 6. Quòd si olim licitum fuit et domi privatim habere Eucharistiam, et eam secum in itinere deferre, multò credibilius est in Ecclesiis conservatam fuisse, ut semper in promptu esset ad infirmos communicandos. Nec desunt probationes. Nam Optatus Milevitanus de conservatâ in templo Eucharistiâ intelligendus est, cùm à Donatistis inaudito scelere traditam canibus narrat *lib.* 2. non sine signo divini judicii ; canes enim accensi rabie homines ipsos dente vindice laniarunt. Victor Episcopus *lib.* 1. *Africanæ persecutionis* de divinis quoque Sacramentis in Ecclesia asservatis agit, cùm Valerianum Episcopum utiliter dimicasse ait ne ipsa traderet, quâ de causâ ab impio rege Geiserico foràs civitatem singularis jussus est pelli : addito præceptо, ne quis eum in domo aut agro permitteret habitare. Cyrillus Alexandrinus ejusdem moris testis est *in Epistola ad Calosyrium* præfixâ libro adversùs Anthropomorphitas, quâ eos redarguit, qui dicebant Eucharistiam in sequentem diem servandam non esse. Idem colligitur *ex Pœnitentiali* Columbani Abbatis, in quo præscribit quæ pœna sit illis imponenda quorum negligentiâ Eucharistia corrupta et putrefacta sit. Eudocia Martyr apud Henschenium *die* 1. *Martii*, antequàm ad Martyrium duceretur, brevi morulâ à satellitibus impetratâ ad sacram ædem cucurrit, et arculâ reseratâ sacri doni cor-

I. Quis nunc est communionis ritus in Ecclesia Occidentali?

R. Postquàm Sacerdos celebrans communicavit sub utraque specie, Minister facit confessionem pro communicaturis, dicens, *Confiteor Deo*, etc. quâ factâ, Sacerdos dicit, poris Christi particulam acceptam sinu recondidit, et cum militibus abiit..... Rectè verò observat Morinus *lib.* 8. *de Pœnitentia cap.* 14. servatum antiquitùs in Ecclesia corpus Christi propter infirmorum communionem, addens hodiernam consuetudinem plures particulas reservandi ad fideles in ipsa Ecclesia et etiam extra sacrificium communicandos, à mendicantibus primùm introductam, et ab aliis deindè usurpatam, ipso Romano Rituali refragante, in quo nunc etiam decernitur propter infirmos asservari. Sanis veteri ritu nullus erat communionis usus extra Sacrificii actionem, nisi cùm permisit Ecclesia, ut accepta mysteria domum deferrent. Notabile est autem quod *in Basilii vita* refertur; cùm enim precibus à Deo gratiam obtinuisset ut suis verbis sacrificium offerre posset, accepto divinitus pane et vino, ipsisque consecratis; tempore confractionis panem divisit in tres partes, et unam quidem cum multo timore et veneratione sumpsit, alteram verò unà secum sepeliendam servavit, tertiam denique in columba aurea depositam desuper sacrum altare suspendit. Quod ideò hoc loco annotandum censui, quia olim viguit hic mos consepeliendi mortuis Eucharistiam, non solùm apud Græcos, sed etiam apud Latinos.... Hic mos vetitus est *cap.* 6. Concil. III. Carthaginensis, et *cap.* 12. Autissiodorensis, et *cap.* 83. Trullani.

N. 7. Simili modo desiit mos accipiendi manibus Eucharistiam, et eam domum deferendi, pœnisque gravissimis transgressoribus impositis sancitum fuit, ne quis eam, exceptis Ministris, attrectaret....

N. 8. *Vide superiùs, n.* 27. *hujusce* §. *litt.* (D)

D. JOAN. MABILLON *Comm. in Ordin. Rom. n.* 8. *art.* 14. Confirmato Pontifice, Archidiaconus *refundebat parum de calice*, seu de sanguine consecrato *in scyphum*, quem tenebat Acolythus. Hic est scyphus seu calix ministerialis, in quem vinum oblatum ex majori calice refusum fuisse superiùs notavimus: ac proindè sanguis refusus in illum scyphum cum vino jam in eum refuso commiscebatur ad populum confirmandum.... In aliis locis et Ecclesiis non infundebatur vinum cum sanguine consecrato, nisi ubi advertebant Ministri non suffecturum sanguinem purum communicaturis.

Hujus rei exemplum habemus in Usuum Cisterciensium cap. 53. *Dùm autem fratres percipiunt sanguinem*, infundatur vinum in calice a Diacono, cùm opus fuerit, « de ampullâ à Subdiacono antè præparatâ juxta altare. Si quid autem residuum fuerit de ipso sanguine, bibat illud cum calice, etc. » Ergo sanguis absolutè dicebatur etiam post illam vini admixtionem.

N. 15. Mox accedebant Episcopi et Presbyteri, ut à Pontifice communionem acciperent: Episcopi quidem stantes ad sedem Pontificis; Presbyteri verò ad altare genibus flexis, ut patet ex Cæremoniali Gaïetani, *pag.* 312. *et* 313. contra veterem ritum saltem Græcorum, de quo Valesius in Eusebium *pag.* 145. Utrosque Archidiaconus sanguine Dominico; Episcopus verò sequentes ordines stans in cornu altaris confirmabat. Presbyteri et Diaconi manu, Subdiaconi ore Eucharistiam accipiebant, *ex libello sexto;* at *in quinto* Subdiaconus calicem præbet primo Presbytero communicanti, qui et tribuat subsequenti, et sic de aliis successivè.

N. 17. Pontifex è sede descendebat in senatorium, ubi Magnates Eucharistiâ reficiebat: et in adversam partem, ubi matronæ consistebant, eisdem communionem præbiturus, subsequente Archidiacono cum scypho prædicto ad utrosque confirmandos. Primis temporibus Eucharistia etiam laïcis tribuebatur in manus, quâ de re testis est in primis Augustinus, tùm *in libro* 2. *contra Epistolam Parmeniani, cap.* 7. tùm *in libro* 2. *adversùs litteras Petiliani cap.* 23. Verùm apud Romanos jam ante Gregorii M. pontificatum in os immittebatur à Sacerdote, ut probat *lib.* 3. *Dialogorum cap.* 3. ubi Agapitus Papa cuidam muto et claudo *corpus Dominicum in os misisse* perhibetur.

Misereatur vestri, etc. et *Indulgentiam*, etc. (C) Deindè, postquàm responsum est, *Amen*, sumit sinistrà manu pyxidem, et dexterà tenens corpus Christi, conversus ad communicaturos semel ait : *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi :* deindè, *Domine non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo, et sanabitur anima mea ;* quà oratione ter dictâ, ut eam singuli communicaturi seorsùm apud se ter quoque recitent, dat singulis corpus Christi sub specie panis, dicens unicuique, *Corpus Domini nostri Jesus Christi* (Parisiis, Meldis, et alibi respondet quisque communicans, *Amen :* tùm pergit Sacerdos) *custodiat animam tuam in vitam æternam.* ℟. *Amen.*

Sacerdos autem dans singulis corpus Christi, facit priùs cum hostia signum crucis super pyxidem seu patenam.

Diaconus et Subdiaconus ministrantes, et Presbyteri, si qui sint communicaturi, communicant in supremo gradu altaris, cæteri de clero in infimo, populus ex veteri ritu extra septa sanctuarii : singulis extenditur linteum, quod à singulis extensum teneri oportet, ut particulæ, si quæ fortè excidant, eo linteo recipiantur; neque enim alius est hujus lintei usus, nec rectè faciunt qui eo utuntur ad abstergenda labia, vel qui id junctis manibus tenent. Jam non ponitur in manu communicantium corpus Christi, sed hoc Sacerdos uniuscujusque ori apponit : undè necesse est ut singuli ore aperto linguam aliquatenùs admoveant, ad recipiendum in eâ corpus Christi.

I. Cur populus jam non communicat sub utraque specie?

R. Antequàm Ecclesia usum calicis laïcis interdiceret, jam pridem communio sub specie vini abierat in desuetudinem, ut fusè probavimus Sectione de Sacramentis Capite de sacramento Eucharistiæ : ibique reddidimus hujus desuetudinis rationem. (*hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 9.) (D)

In eodem Capite diximus quoque (*ibid.* §. 7.) quâ ratione, quâ mente, quibus præviis dispositionibus accedere oporteat ad communionem.

I. Qui non communicant sacramentaliter, quid agere debent dùm cæteri communicant?

R. Debent saltem mente communicare, id est, meditari mysteria sacrosancto hoc Sacramento et Sacrificio contenta; cum magnâ cordis contritione confiteri Domino peccata sua, quibus hujus Sacramenti participatione indigni efficiuntur; Christo intimis affectibus conjungi ; petere suppliciter ab eo

N. 18. Interim Episcopi et Presbyteri, annuente primicerio, populum hinc et indè sacræ communionis participem faciebant, Diaconis ex scypho confirmantibus.

(C) Pontif. Rom. *de Ordinat. Presbyteri*, *pag.* 51. Presbyteri ante communionem non dicunt confessionem, nec datur eis absolutio, quia concelebrant Pontifici : propterea si non sint alii ordinati, confessio et absolutio prædictæ (*id est*, Misereatur *et* Indulgentiam) omittuntur.

(D) Domn. Joan. Mabillon M. B. *Comment. in Ord. Rom. n.* 9. *etc.* Joan. Bona *Vide suprà hujusce Part. Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 9. *litt.* (O)

dispositiones necessarias ad sanctè communicandum ; tandemque supplicare, ut spiritualis hæc communio divinâ adspirante gratiâ prosit ad salutem, non secùs ac si corpori Christi sacramentaliter communicatum fuisset.

I. Licetne ad sacrosanctam communionem accedere ante Missarum solemnia ?

R. Id solis infirmis licet, aliis neutiquam.

I. Debetne populus communicare intra vel post Missarum solemnia ?

R. Intra Missarum solemnia, statim atque Sacerdos hausit sacrum sanguinem, ut habetur expressè in Rubricis Missalis et in ordine Missæ. (E)

I. Cur ergo populus multis in Ecclesiis non communicat priùs quàm Missa fuerit absoluta ?

R. Morem hunc nunquam Ecclesia ullâ lege, ullo statuto probavit ; abusum fortè rectè dixeris ; introductus primùm fuisse videtur in Ecclesiis magno populorum concursu frequentatis, ne multitudine communicantium Missa nimis protraheretur. Morem hunc, ne dicam abusum, tollunt quantùm fieri potest Episcopi non pauci, solliciti, ut par

(E) *Vide* JOAN. BONA *suprà hocce 2. litt.* (B)

Domn. JOAN. MABILLON. M. B. *de Liturg. Gallic. lib.* I. *cap.* 2. *n.* 7. Communio præbetur adstantibus his verbis, *Corpus Christi* ; et respondetur, *Amen.*

Cap. 5. *n.* 28. Post benedictionem et Sacerdotis communionem, fideles communicaturi ad altare accedebant, etiam mulieres, contrà quàm apud Hispanos apud quos sancitum est Conc. IV. Tolet. can. 17. *ut Sacerdotes et Levitæ ante altare communicent, in choro Clerus, extra chorum populus.* Idem ferè statutum Conc. Laodic. can. 19. Contrarius mos apud Gallos : in II. Conc. Turonensi can. 4. vetat laïcos choro misceri psallentium Clericorum : *ad orandum verò et communicandum laïcis et feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.*

N. 25. De Eulalii Comitis ad altare accessu insignis est etiam locus apud.... Gregorium Turon. lib. 10. cap. 8. ex quo discimus, particulam hostiæ communicaturis à Sacerdote porrectam, atque ab eis in manus acceptam fuisse : « Convenientibus civibus cum Sacerdote, *seu Episcopo* « *Arvernorum Cautino*, ad festivitatem B. Martyris Juliani, ad pedes Epis» copi Eulalius ille prosternitur, querens se inaudilum à communione » remotum. Tùm Episcopus permisit eum cum cæteris spectare solem» nia. Verùm ubi ad communionem ventum est, et Eulalius ad altarium » accessisset, ait Episcopus : Rumor populi parricidam te proclamat esse. » Ego verò utrum perpetraveris hoc scelus, an non, ignoro. Idcircò in » Dei hoc et beati Martyris Juliani statuo judicio. Tu verò si idoneus, ut » asseris, accede propiùs, et sume tibi Eucharistiæ particulam, atque » impone ori tuo. Erit enim Deus respector conscientiæ tuæ. At ille ac» ceptâ Eucharistiâ communicans abscessit. » Ex hoc Gregorii loco quatuor colligimus : unum, *Eucharistiæ* nomine hic solam panis speciem designari. Alterum, ex *particula* ejus, non ex integrâ panis formulâ communionem datam fuisse. Tertium, communionem hàc in occasione sub sola panis specie factam : siquidem Eulalius, *acceptâ Eucharistiâ*, id est, *Eucharistiæ particulâ*, statim abscessit. Quartum denique, Eucharistiam idem in manus fuisse traditam : ac proindè antiquum illum Ecclesiæ morem eò usque perseverasse. Mulieres tamen linteo Dominicali utebantur, ut notum est ex canone 42. Concilii Autissiodorensis. Sumptâ Eucharistiæ particulâ, calix sacratus porrigebatur.... Porro calicem præbebant Diaconi : *at corpus Christi præsente Presbytero tradere* non eis licebat, ex Concilii Arelatensis II. *can.* 15.

est. ne quid præter ordinem fiat ; monentque Rectores Ecclesiarum in Statutis synodalibus, in decursu Visitationum, ut ne sacram communionem extra Missarum solemnia dent cuiquam nisi infirmo.

Et rectè quidem. Nam ut sæpiùs diximus (§. 9. *hujusce Cap. et hocce* §. *sæpiùs*), et ipsis sacrificii precibus demonstravimus, Missæ sacrificium est populi non secùs ac Sacerdotis : Sacerdotis quidem sacrificantis et offerentis ; populi verò cum Sacerdote offerentis. Peractâ communione, Postcommunio, sicut et reliquæ preces, dicitur à Sacerdote et suo et populi circumstantis nomine. Ad eam orationem, quæ est gratiarum actio post factam communionem, respondet populus, *Amen*, sicut ad reliquas orationes. Ordo certè præposterus si populus gratias agat de communione quasi perceptâ, quam tamen nondùm perceperit : nec admittatur ad sacram mensam, nisi postquàm finito Sacrificio dimissus est per hæc verba, *Ite Missa est*. Laudanda proindè eorum Episcoporum diligentia, qui tollunt hunc abusum, et pristinum restituunt morem communicandi intra Missarum solemnia. In Ecclesiis magno communicantium concursu frequentatis, si multi simul Presbyteri dent communionem populo, res brevi temporis intervallo conficietur, nec multùm protrahetur Missa.

Sunt qui existiment morem distribuendi extra Missarum solemnia corporis Christi cuilibet poscenti, ex Ecclesia Hierosolymitana fortè in totum Occidentem invectum fuisse ; in autem Ecclesia fuisse quâdam veluti necessitate introductum. Cùm enim ad illam Ecclesiam concurreret ex toto terrarum orbe peregrinorum maxima frequentia, quorum singuli communionem Christi corporis appetebant, nec liceret, ex prisco Ecclesiæ Orientalis more, quotidiè missam celebrare ; ut eorum devotioni consuleretur, diebus aliturgicis dabatur peregrinis sacrosancta communio ex præsanctificatis. Id jam superiùs annotavimus. (*hujusce Cap.* §. 18.) (F)

(F) Domn. JOAN. MABILLON *Liturg. Gallic. lib.* 1. *cap.* 9. *n.* 26. Cæterùm ex asservata Eucharistia soli communicabant infirmi, non sani, quibus vix unquam extra Missam communio à Sacerdote porrigebatur. Contrarius mos in Ecclesia Jerosolymitana primùm cœpisse videtur ex Humberto Cardinale in responsione contra Græcorum calumnias in hæc verba : « Ad hæc si quid ex sancta et venerabili Eucharistia in Jerosolymis Ecclesiis superfuerit, nec incendunt, nec in foveam mittunt: » sed in pyxidem mundam recondunt, et sequenti die communicant » ex eâ populum, quia quotidiè communicant ibi : eò quòd conveniunt » illùc ex diversis provinciis Christiani, qui propter fidem et maximum » amorem Filii Dei communicare ibi desiderant. » Hæc longè probabilior est ratio, quàm eorum qui passim id actitant sine delectu contra veterem Ecclesiæ morem. Quo tempore id fieri cœperit in Ecclesia Jerosolymitana non est exploratum. Sanè antiquissimum esse asservandæ illis in partibus Eucharistiæ morem colligimus ex Cyrillo Alexandrino, qui in Epistola ad Calosyrium arguit eos, « qui mysticam benedictionem nihil » ad sanctificationem juvare dicebant, si quid ex eâ fieret reliqui in alium » diem. Quos insanire *ait Cyrillus*. Neque enim alterari Christum, neque » sanctum ejus corpus immutari : sed benedictionis vim ac facultatem, » et vivificantem gratiam, perpetuam in ipso existere. »

I. Cur populus antequàm communicet, facit confessionem peccatorum, dicendo, *Confiteor Deo*, etc ?

R. Mos ille est recentioris ævi, ex ritu antiquissimo communionis infirmorum introductus ad communionem quæ fit intra Missarum solemnia : ob eam fortè rationem, quòd cum Sacerdos initio Missæ facit confessionem ad altare cum Ministris, canit populus antiphonam quæ introïtus appellatur; cùm Sacerdos dicit, *Domine non sum dignus*, canit chorus *Agnus Dei*. Cùm ergo his cantibus occupatus populus nondùm fecerit confessionem, nondùm dixerit *Domine non sum dignus;* visum est expedire ut preces illæ à populo ante communionem recitarentur. Ritus autem ille, sicut et plures alii, ex solemni Missa ad Missas privatas translatus est : proindè servandus est ex more hodierno.

Antiquum ritum tenent etiamnùm Carthusiani. Apud eos, ex prisco more initio Missæ, fit altà voce confessio alternatim à Celebrante et à Monachis in choro stantibus, nec repetitur ante communionem. Postquàm autem Celebrans communicavit, si qui communicare velint, dat illis communionem, non dictis priùs, *Misereatur*, *Indulgentiam*, *Ecce Agnus Dei*, *Domine non sum dignus*. Idem observari vidi Parisiis Cluniacenses. Suum quisque ritum sequatur.

I. Cur Episcopi dant manum osculandam Communicantibus, antequàm dent eis corpus Christi ?

R. Habes hic vestigium antiquissimi ritûs. Antiquitùs Episcopi et Presbyteri sacro Christi corpore reficiebant neminem, nisi dato priùs pacis osculo. Erat is ritus Orientalis non secùs ac Occidentalis Ecclesiæ ; observatur ille multis in Ecclesiis etiamnùm ab Episcopis in communione Canonicorum. Jam brevitatis causà vulgò dant manum osculandam, quod idem est ferè ac si darent pacis osculum. (G)

Comment. in Ord. Rom. num. 9. *Vide suprà hujusce Partis Sect.* 1. *Cap.* 4. §. 9. *litt.* (O)

(G) INNOCENT. III. *De Mysteriis Missæ lib.* 6. *cap.* 9. Particulam unam cum osculo tradit Diacono.... Diaconus et qui superioris sunt ordinis, cùm percipiunt Eucharistiam, osculum suscipiunt ab Episcopo.

Domn. JOAN. MABILLON M. B. *Comment. in Ord. Rom. art.* 8. *n.* 11. *hæc Innocentii* III. *verba interpretans :* Non dubito, inquit, quin Pontifex Eucharistiam tradendo Diacono, eumque ita, ut dicit Innocentius, osculando, dixerit verba superiora, *Pax tecum*, respondente Archidiacono, *Et cum spiritu tuo.*

Sanè olim fideles, susceptâ Eucharistiâ, Episcopum seu Sacerdotem, à quo eam acceperant, osculari solebant, cùm in Oriente, tùm in Occidente. Hieronymus in Epistola 62. adversùs Joannem Hierosolymitanum : « Quisquamne tibi invitus communicat ? Quisquamne extentâ manu vertit » faciem, et inter sacras epulas Judæ osculum porrigit ? » Paulus Emeritensis Diaconus de vitis Patrum cap. 7. de Fideli Episcopo loquens, *Vade*, inquit, *communica, et da nobis osculum.* Denique in quodam tractatu Fratrum Prædicatorum apud Stevartium edito : « Participationem sanctæ » communionis non similiter Græci, ut nos, perficiunt : sed dicunt, » quòd qui Missam celebrat Sacerdos, osculatur volentem communicare. » *Subdit post præmissa Innocentius tertius :* Diaconus, et qui superiores » sunt ordinis, cùm percipiunt Eucharistiam, osculum suscipiunt ab » Episcopo, Acolythus, et qui sunt inferiorum ordinum non suscipiunt.

N° XXXI. *De Postcommunione, et fine Missæ.*

I. Peractâ communione quid agit Sacerdos ?

R. Calicem infuso vino purificat, dicens : *Quod ore sumpsimus, Domine, purâ mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.*

Haustoque vino, abluit digitos vino et aquâ super calicem, aitque intereà : *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et sanguis quem potavi adhæreat visceribus meis ; et præsta ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta : qui vivis et regnas in secula seculorum. Amen.*

Sumptâque ablutione dat calicem abstergendum Subdiacono : ipse autem reversus ad cornu Epistolæ legit antiphonam quæ Communio dicitur (*Vide num. sup.*), quia canitur à Choro dùm fit communio populi. Hanc autem antiphonam non legebat olim Sacerdos in Missis solemnibus, quia ut jam diximus (*Num.* III. *hujusce* §.), Sacerdos nihil recitabat horum quæ canebantur à choro.

Dictâ Communione, Sacerdos ad medium altaris redit, eoque osculato, ad populum conversus dicit, *Dominus vobiscum.* Postquàm autem responsum est pro more, *Et cum spiritu tuo*, Sacerdos invitat populum ad orandum, dicens, *Oremus ;* deindè canit *Postcommunionem.* Sed olim inter admonitionem, *Oremus*, et Postcommunionem interponebatur brevis pausa ; omnesque interim orabant aliquantulùm secretò, ut jam diximus (*Num.* V. *hujusce* §.), ubi egimus de Collecta ante Epistolam. Dictâ Postcommunione, populus respondet, *Amen* : quâ responsione intelligitur hanc orationem à Sacerdote tam suo quàm populi nomine recitari. Ad quam proindè populus attentum debet se præbere, ut corde et ore respondeat. Est autem Postcommunio, ut diximus (*Num. super.*), gratiarum actio de percepta communione. (A)

I. Quid est ea oratio quam per Quadragesimam in Missa feriali, absolutis Postcommunionibus, dicit Sacerdos Diacono præcinente, *Humiliate capita vestra Deo ?*

R. Hæc dicitur, *Oratio super populum ;* ideoque Diaconus monet humilianda esse capita Deo : cui monitioni ut obtemperetur, debet unusquisque flexis genibus, et inclinato in signum humilitatis capite, cum summa mentis attentione jungere se oranti Sacerdoti, et absolutâ oratione respondere, *Amen*, quod quidem corde et ore dicendum est.

Quæ sit origo et ratio hujus orationis non constat ; certum

« Subdiaconus verò ; quia character hujusmodi quondam inter non sacros, » nunc autem inter sacros ordines reputatur ; in perceptione corporis non » suscipit osculum à Pontifice, sed in perceptione sanguinis suscipit » osculum à Diacono. »

(A) S. Cyrillus Hieros. *Catech. mystag.* 5. *in fine.* Postremò, exspectatâ oratione, Deo gratias age, qui te tantis mysteriis dignum reddidit.

est eam dici ex antiquissimo ritu ; nam in Sacramentario Gelasiano, quod publici juris fecit vir eruditione et sanctitate non minùs commendabilis quàm Cardinalitiâ purpurâ, Joannes Tomasius, quodque antiquius est Sacramentario Gregoriano, ad singulas Missas legitur præter Postcommunionem oratio super populum, idque non Quadragesimæ solùm tempore, sed per totum annum.

Quidam putant eam orationem dictam fuisse in gratiam eorum qui non communicabant sacramentaliter. (B)

(B) AMALARIUS *lib. de div. officiis lib.* 3. *cap.* 37. Est ultima benedictio, de quâ nunc agimus, quam potissimùm frequentamus tempore Quadragesimali : hoc est, post illam ultimam continuatam, in quâ spiritalis refectio commendatur : restat hæc ulterior, de quâ nunc, ut diximus, agitur, in quâ milites Christi commendantur pugnæ contra antiquum hostem. Si omni tempore necesse est paratum esse bellicosum adversùs insidias sive impetus inimicorum ; quantò magis in procinctu ? Quadragesimali tempore scit adversarius noster à sancta Ecclesia singulare certamen commissum esse contra se, ac ideò instat fortiùs ad rapiendum atque prosternendum, si fortè aliquem invenerit negligentem. Sacerdos noster, ut prudens agonotheta et pugnator, quantùm in majore periculo videt milites fore, tantùm munit eos ampliùs suâ benedictione. Arma nostra contra diabolum, sunt humilitas et cæteræ virtutes. Vult Sacerdos noster, ut nostris armis vestiti simus : propterea jubet per Ministrum, ut humiliemus capita nostra Deo ; et ita tandem infundit super milites protectionem benedictionis suæ. Benedictio Sacerdotis morem antiquum tenet, ut in novissimo porrigatur. Jacob Patriarcha in novissimo vitæ suæ benedixit filiis suis. Scriptum est in Genes. *Benedixit singulis benedictionibus propriis.* (*Genes.* XLIX. 28.) Similiter scriptum est de Moyse in libro Deuteronomii : *Hæc benedictio, quâ benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israël ante mortem suam.* (*Deuter.* XXXIII. 1.) Denique et ipse Dominus Salvator.... ante ascensionem suam in cœlum, benedixit Discipulis suis. (*Luc.* XXIV. 51.) Et ut cætera prætermittam sanctorum Patrum exempla, causa compendii breviter dico : Quando familiarem affatum habemus cum servis Dei, more religionis nostræ, antequàm separemur ab illis, in ultimo benedictionem petimus.

MICROLOGUS *cap.* 51. *de Eccles. observationib.* Orationem super populum in Quadragesima ideò frequentamus : quia cùm majorem conflictum in jejuniis et orationibus contra spiritales nequitias sumimus, necessariò nos instantiùs Deo commendare debemus. Nam oratio post communionem, pro solis communicantibus solet orare. Populus autem etsi quotidiè in Quadragesima conveniat, non tamen quotidiè, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita orationi ut communioni careret, adjecta est oratio super populum. In quâ non de communicatione, sed pro populi protectione specialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi à populo antiquitùs persolvebatur, vel potiùs ideò quia omnes, juxta attestationem sancti Ambrosii, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus et oratio post communionem pro benedictione sufficere potest. Sciendum est autem juxta antiquos Patres, quòd soli communicantes divinis mysteriis interesse consueverunt ; undè et ante oblationem juxta Canones jubebantur exire catechumeni et pœnitentes, videlicet qui nondùm se paraverunt ad communicandum. Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in quâ Sacerdos non pro sola sua oblatione et communicatione, sed et aliorum rogat, et maximè in oratione post communionem, pro solis communicantibus orare videtur. Nec propriè communio dici potest, nisi plures de eodem sacrificio participent. Apud Græcos etiam, ut legitur, excommunicandus est, qui usque ad tertiam Dominicam non communicaverit. Beatissimi quoque Patres nostri Ambrosius et Augustinus, ad quotidianam nos hortantur communionem. Sed quia hoc modò nec ab omnibus Presbyteris in Quadragesima, nedùm à laïcis observatur, congruè adjecta est oratio super populum ; ut vel eo tempore populus ultimâ

benedictione non careret, dùm tamen communicare non soleret. Hinc quoque et illa consuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inolevisse videtur, ut et in aliis temporibus, etiam Presbyteri post finem Missæ benedicant, ne populum ita benedictione ut communione privatum discedere permittant.

JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 1. (Orationc) *Corpus tuum Domine quod sumpsi, etc.* carent veteres libri, nec eam reperii nisi in Missâ editâ ab Illyrico. Lotionis manuum post communionem mentio fit in Ordine Romano, sed non ablutionis, quæ nunc sumitur à Sacerdote : tantummodò monet, ut Diaconus cautè procuret, ne quid in calice aut patenâ sanguinis vel corporis Christi remaneat. Ritus Missæ à Joanne Episcopo Abrincatensi descriptus apud Menardum, post communionem Sacerdotis et aliorum, ait, « Particulam quæ in calice remanet Sacerdos sumat, et post Diacono calicem ad mundandum et sumendum quod remansit porrigat, qui in sinistrum cornu altaris calicem cum patenâ deferat, ubi partem sibi accipiat, et partem Subdiacono tribuat. Post mundato utroque utrique participent. Acolythus verò alterum calicem Sacerdoti ad mundandos digitos deferat. » Sed quid fieret de ablutione non dicit : puto autem projectam in sacrarium ; nam in antiquis Ecclesiis, præsertim Monachorum, singula altaria à parte Epistolæ parvam habent piscinam in hunc usum paratam. In libro Usuum Ordinis Cisterciensis cap. 53. hic modus ablutionis præscribitur : « Si quid residuum fuerit de sanguine, bibat illud Diaconus cum calice, postquàm fistulam reddidit Subdiacono. Quam fistulam antequàm reddat, in quantum potuerit, ab utraque parte sugendo à sanguine Domini evacuet ; Subdiaconus verò tenens fistulam contra faciem suam transverso, eat ad Sacerdotem per retrò altare ministrare vinum in calice. Qui recepto calice respergat digitos suos in ipso, quem ponens super altare, eat ad piscinam abluere in ipsâ digitos aquâ. Quibus tersis redeat ad altare sumere vinum quod dimisit in calice. Quo sumpto iterùm aspergat calicem vino. Quo hausto ponat illum non reclinatum super altare juxta patenam.... » Nihil autem antiquius occurrit, nisi quòd semper summâ diligentiâ Ministri altaris curarunt, ne quæ reliquiæ Sacramenti... peractâ synaxi remanerent, iis particulis exceptis quæ pro communicandis infirmis conservabantur.

N. 2. Diaconus verò ex præscripto Ordinis Romani videns omnes communicasse, faciebat signum crucis in fronte, ut prior scholæ Cantorum ex eo intelligeret, quando deberet post antiphonam, quæ Communio vocatur, gloriam S. Trinitati psallere et versum repetere. Olim enim post ipsam communionem Psalmus, et Diacono innuente versiculus *Gloria Patri* cantari solebant, cum antiphonæ repetitione. Tùm surgens Pontifex è sede suâ, et veniens ad altare, dabat orationem ad complendum.... Porrò istæ orationes pro communicantibus institutæ sunt, quando omnes vel plerique qui aderant Sacrificio communicabant : nam et ipsum communionis vocabulum improprie hic usurparetur, nisi plures de eodem Sacrificio participarent.

N. 4. Sequitur recentiori ritu benedictio, quam olim ante communionem Episcopus largiri solebat... Illi enim potissimùm convenit populum benedicere, qui peculiari quadam ratione Christum summum Sacerdotem et Episcopum animarum nostrarum repræsentat... Ritu veteri Cisterciensi, qui paucis ab hinc annis mutatus est, nulla exstat in fine Missæ benedictio, sed Sacerdos dictâ oratione *Placeat tibi sancta Trinitas, etc.* osculatur altare dicens : *Meritis et precibus istorum et omnium Sanctorum suorum misereatur nostri omnipotens Dominus. Amen.* Sicque signans se et inclinans recedit. Eodem ritu utuntur Carthusiani.... quia qui populum non habent, non obligantur ad hujusmodi benedictionem dandam ; Carthusiani autem non habent populum... Mozarabes præter benedictionem, quæ datur ante communionem, aliam dant in fine Missæ, his verbis : *In unitate sancti Spiritùs benedicat nos Pater et Filius.* Græci sæpè benedicunt, aliquando cum dicerio et tricerio, cereo scilicet duplici vel triplici ; aliquando solâ manu signum crucis efformantes. In fine autem Liturgiæ Sacerdos depositis sacris vestibus rursùm benedicit populum, dicens : *Custodiat Dominus Deus omnes vos suâ gratiâ et humanitate per-*

Alii hanc recitatam fuisse existimant pro pœnitentibus.

Neutra ratio arridet. Non secunda, quia tunc pœnitentes aberant à cœtu, dimissi, ut diximus (*hocce Cap.* §. 21.), ante initium Missæ fidelium : admonitione autem Diaconi jubentis ut ad hanc orationem humilientur capita Deo, patet hanc orationem dictam fuisse pro iis qui præsentes aderant.

Nec prima ratio placet, quia ex multis ejusmodi orationibus *super populum*, constat eas dici in gratiam eorum qui divini sacramenti participatione refecti sunt : id ut liquidò demonstretur unam ex iis profero, quæ recitatur feriâ quartâ cinerum in capite jejunii. Hæc autem sic habet :

Inclinantes se, Domine, majestati tuæ propitiatus intende; ut qui divino munere sunt refecti, cœlestibus semper nutriantur auxiliis. Per Dominum, etc.

Placet magis subjecta hæc tertia ratio : nimirùm orationem hanc veram fuisse postcommunionem. Id patet ex eà quam mox protulimus : et certè quemadmodùm non una sed plures collectæ dicebantur ante lectionem Epistolæ, et super oblata, ita multæ dicebantur orationes in gratiarum actionem acceptæ communionis : ad ultimam autem earum jubebatur populus humiliare capita sua Deo, ut jam jam dimittendus orationis fervorem et instantiam augeret.

I. Absolutâ postcommunione quid agit Sacerdos?

R. Absolutâ postcommunione Missa finita est. Proindè Sacerdos redit ad medium altaris; quo osculato salutat populum solitâ adhibitâ formulâ, *Dominus vobiscum ;* quæ quidem salutatio toties repetita mirificè indicat perpetuum concentum populi et Sacerdotis in singulis precibus, monetque Sacerdoti populum in omnibus jungi oportere. Salutatum à Sacerdote populum Diaconus, (et in Missis privatis Sacerdos ipse) dimittit his verbis, *Ite Missa est*, quorum hic sensus est, *Vobis abire licet, nam fit missa, idest, dimissio.* Respondet populus, *Deo gratias.*

Diebus ferialibus, vel jejunio aut pœnitentiæ consecratis non dimittitur populus his verbis, *Ite Missa est :* Sed Diaconus (seu Sacerdos) ait, *Benedicamus Domino.* Respondet

petuò, nunc et semper, et in secula seculorum. Amen : et populus respondet, *Benedicentem et sanctificantem nos, Domine, conserva in annos multos :* et in pace cum Deo discedunt.... Maronitarum benedictio in fine Missæ hæc est : *Benedictio Domini nostri Jesus Christi veniat de cœlo, et requiescat super me et super vos, et ignoscat debitis vestris, et dimittat defectus vestros, et requiescere faciat animas defunctorum vestrorum, et scribat nomina vestra in libro regni cœlestis, ac nos et vos eripiat Deus à damnatione et confusione in die judicii justi et recti. Pater, et Fili, et Spiritus sancte, tibi gloria in secula seculorum. Amen....* In Missis pro defunctis omittitur benedictio, quia pertinet ad solemnitatem, quâ carent officia defunctorum. In quodam tamen Missali MS. hanc assignatam legi, *Deus qui est vita vivorum, et resurrectio mortuorum, benedicat vos in secula seculorum.* Carmelitæ post benedictionem ante medium altaris genuflexi dicunt antiphonam *Salve Regina* cum versu et oratione ; tempore autem Paschali dicunt stantes, *Regina cœli.*

Deo gratias. In Missis autem pro defunctis, dicit Diaconus (vel Sacerdos,) *Requiescant in pace;* et respondetur, *Amen.*

I. Cur peracto sacrificio non semper dimittur populus?

R. Quia non dimittebatur olim populus peracto sacrificio, si nondùm abeundum esset, propter alia quædam officia, ritus aliquos, quibus ipsum interesse oporteret: et hæc ratio est cur non dicatur in Missis pro defunctis, *Ite Missa est.*

Adde quòd solemnis erat illa populi dimissio, undè Missæ nomen: proindè non fiebat diebus minùs solemnibus, adeoque prætermittebatur, ut nunc fit, diebus ferialibus, aut jejunio et pœnitentiæ vel luctui destinatis. (*Vide hujusce Cap.* §. 8.)

I. Cur dimisso solemniter populo, datur benedictio, et legitur initium Evangelii secundùm Joannem? Ordo certè præposterus: deberet benedictio et Evangelii lectio præmitti dimissioni populi?

R. Benedictio illa, et Evangelii lectio sunt recentioris instituti. Dicto, *Ite Missa est*, fas olim erat unicuique discedere. Sacerdos autem conversus ad altare, et ad eum profundè inclinatus recitabat, ut nunc fit, privatam gratiarum actionem in hunc modum:

Placeat tibi, Sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ, et præsta, ut sacrificium quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli tibi sit acceptabile, mihique et omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quo dicto discedebat ab altari Sacerdos.

Qui ritus observatur hodieque multis in Ecclesiis Galliarum ad Missam Pontificalem, cæterasque majores, et apud Carthusianos ad Missas omnes seu solemnes seu privatas.

Episcopi benedicebant solemniter populum post fractionem hostiæ ante *Agnus Dei*, ut suprà observavimus (*hujusce* §. *num.* XXVII.), nec benedicebant iterùm in fine Missæ: qui ritus observatur etiam nunc multis in Ecclesiis quotiescunque solemniter Episcopi celebrant.

Presbyteri jus non habebant dandæ populo solemniter benedictionis: hoc erat reservatum Episcopis; et hæc quidem est ratio cur nunc Presbyteri ex recentiori ritu non canendo, sed submissâ voce dant benedictionem in Missa etiam solemni. Dixi, ex recentiori ritu, neque enim Presbyteri ullatenùs benedicebant populum olim in fine Missæ. Carthusiani Presbyteri ex veteri ritu abstinent hactenùs à dandâ populo benedictione, sive Missam celebrent solemnem, sive privatam.

Ad lectionem Evangelii quod attinet, ea est perquàm recentis instituti. Primus omnium S. Pius V. summus Pontifex in nova Romani Missalis editione præcepit ab omnibus legi hoc Evangelium post Missam. Anteà legebatur ad libitum Sacerdotis: alii legebant hoc ad altare, alii recitabant

illud dùm redirent ab altari ad sacrarium, alii legebant illud in sacrario antequàm sacras deponerent vestes, alii non legebant omninò, ut fit etiamnùm à Carthusianis.

Legendi hujus Evangelii post Missam venit ritus fortè primitùs ex pia devotione fidelium, qui ut impetrarent à Deo misericordiam et gratiam verbi divini virtute, rogabant legi sibi Evangelium stolâ Sacerdotis sibi super caput appositâ, ut fit in ritu baptismi super caput recèns baptizatorum: qui quidem ritus nihil habet quod reprehendi jure possit, modò nihil habeat adjunctum superstitionis. (C) Quod cùm Sacerdotes facilè concederent populis, hinc sensim invaluit ritus recitandi post Missam Evangelii; qui ritus tandem lege firmatus est. (D)

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm dat Sacerdos benedictionem finitâ Missâ?

R. Debet humiliare se sub potenti manu Dei, et petere ut benedictio sibi larga concedatur per ministerium Sacerdotis.

I. Quid agere debet populus circumstans, dùm legitur Initium Sancti Evangelii secundùm Joannem?

R. Standum dùm legitur: sacra verba aure avidâ reverenter excipienda: Verbum æternum in sinu Patris adorandum: gratiæ illi maximæ agendæ, quòd pro nobis caro fieri voluerit: petendum suppliciter, ut ne simus de numero eorum, de quibus dicitur in hoc Evangelio, *Verbum.... in propria venit, et sui eum non receperunt* (*Joan.* I. 11.); sed quoniam *quotquot receperunt eum, dedit illis potestatem filios Dei fieri* (*Ibid.* 12.), rogandum ut quam nobis incarnatione, morte,

(C) CONCIL. SALEGUNSTAD. *ann.* 1021. *can.* 10. Quidam etiam laïcorum, et maximè matronæ, habent in consuetudine, ut per singulos dies audiunt Evangelium. *In principio erat Verbum*, et Missas peculiares, hoc est, de Sanctâ Trinitate, aut de sancto Michaële: et ideò sancitum est in eodem Concilio, ut hoc ulteriùs non fiat, nisi suo tempore, et nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia sanctæ Trinitatis, non pro aliquâ divinatione.

(D) JOAN. BONA S. R. E. Card. *Rer. Liturg. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 5. Denique Sacerdos, postquàm à Deo benedictionem populo precatus est, legit Initium Evangelii secundùm Joannem, in quo fidei orthodoxæ quædam veluti anacephaleosis continetur.... Hoc in novissimâ Missalis recognitione Pius V. legi præcepit, cùm anteà sine certâ lege ex solâ consuetudine à quibusdam dici, ab aliis omitti, pro cujusque arbitrio soleret, ut Paris Crassus testatur in Cæremoniali summi Pontificis cap. 65. Quâ de causâ in quibusdam Missalibus, tam editis quàm manuscriptis, tam Romanis quàm aliarum Ecclesiarum, nihil de eo decernitur, sed dictâ oratione, *Placeat tibi sancta Trinitas*, osculatur, inquiunt, altare et recedat dicens canticum trium puerorum. Ita Missale Romanum à Paulo III. recognitum et Lugduni editum *ann.* 1550.

MISSALE PARIS. *Joan.* DU BELLAY S. R. E. *Card.* Faciens benedictionem de patenâ dicat: *Benedicat vos omnipotens Deus Pater et Filius et Spiritus sanctus.* Prostratus ante altare dicat: *Placeat tibi sancta Trinitas, etc.* Exuens se casulâ dicat: *Dominus vobiscum, et cum spiritu tuo. Initium sancti Evangelii secundùm Joannem. In principio, etc.*

Eadem leguntur in MISSALI PARIS. *Petri* DE GONDY *anni* 1585. *quo usa est Ecclesia Parisiensis usque ad annum.* 1606.

resurrectione, ascensione meruit adoptionem divinam, illam ad finem usque vitæ, gratiâ suâ nobis opitulante, custodiamus.

I. Quid agendum finitâ Missâ?

R. Colligendum se aliquantulùm ante egressum ex Ecclesia, ad meditanda sacrosancta Missæ mysteria; agendæ ex intimo corde Deo gratiæ, et petendum ab eo enixè, ut oblatum pro nobis Sacrificium sit ipsi acceptabile, nobisque ad salutem prosit.

FINIS TOMI UNDECIMI.

INDEX

TOMI UNDECIMI.

TERTIÆ PARTIS SECTIO ALTERA.

CAPUT VII. *De sacrosancto Missæ Sacrificio.* Pag. 1

§. 1. De sacrificio tam interiori quàm exteriori in genere. 1

§. 2. An teneamur offerre Deo sacrificium interius. 9

§. 3. An teneamur offerre Deo sacrificia exteriora. Quæ fuerint hæc sacrificia ante et post legem Moysi. 11

§. 4. Explicantur specialiùs sacrificiorum Judaïcorum ritus. 14

§. 5. Cujus rei typus essent sacrificia ante Moysen oblata, maximè verò sacrificium Melchisedech. 27

§. 6. Explicantur res expressæ et adumbratæ per sacrificia Judaïca. 32

§. 7. Probatur esse in Ecclesiâ sacrificium exterius et sensibile. 49

§. 8. De nominibus Liturgiæ et Missæ quibus hoc sacrificium designatur. 72

§. 9. Quid sit Missæ sacrificium. 77

§. 10. Cur et quem ad finem offeratur Missæ sacrificium. 82

§. 11. Cur Missæ sacrificium offeratur, et cur fiat in eo memoria Sanctorum. 86

§. 12. Pro quibus Missæ sacrificium offeratur. 90

§. 13. Explicantur specialiùs multa pertinentia ad Missam pro defunctis. 96

§. 14. De Missis majoribus, de iis quæ privatæ dicuntur; item de iis in quibus solus Sacerdos communicat. 101

§. 15. De locis in quibus celebrari Missam oporteat : et de privatis et domesticis Oratoriis. 114

§. 16. De altari in quo Missa celebratur : itemque de sacris linteis, vasis et ornamentis altarium. 120

§. 17. De sacris vestibus Episcoporum, Presbyterorum et Ministrorum in sacrosancti Sacrificii celebratione. 138

§. 18. Quibus diebus et horis celebrari Missæ sacrificium oporteat. 154

§. 19. Quomodò interiùs affectus esse oporteat, et quâ sanctitate et morum integritate, præditos, qui Missæ sacrificium offerunt. 163

§. 20. Qualiter affectos esse oporteat eos qui Missæ celebrationi intersunt. Quæ sit optima Missam audiendi ratio. 165

§. 21. De Ordine Missæ in genere. 178

§. 22. Explicantur ad litteram Missæ preces et ritus. Quid facto opus sit, ut in illis mens Ecclesiæ teneatur. 173

I. Missa catechumenorum, Psalmus *Judica*. 173

II. Confessio. Subjectæ preces usque ad Introïtum. 175

III. Introitus. Cur quædam in cornu Epistolæ, quædam in cornu Evangelii, quædam in medio altari recitentur. 179

IV. *Kyrie Eleison. Gloria in excelsis.* 184

V. *Dominus vobiscum.* Collecta. 186

VI. De Epistolâ, Graduali, *Alleluia*, Prosâ, Tractu. 191

VII. De Evangelii lectione. 195

VIII. De Pronao. 197

IX. De Missâ fidelium: ac primò de recitatione Symboli. 200

X. De populi Oblationibus, et Eulogiis. 204

XI. De oblatione panis et vini seorsùm facta per Sacerdotem. 209

XII. De Lotione manuum, et de oratione, *Suscipe sancta Trinitas.* 215

XIII. De monitione, *Orate fratres*; et de secretis orationibus. 219

XIV. De Præfatione, et Hymno Angelico, *Sanctus.* 224

XV. De Canone Missæ; ac 1° de oratione, *Te igitur.* 226

XVI. De commemoratione vivorum. 229

XVII. De oratione quâ recitantur nomina Sanctorum ante consecrationem quæ in Missali libro inscribitur, *Infra actionem*, incipitque his verbis, *Communicantes.* 232

XVIII. De oratione, *Hanc igitur oblationem.* 239

XIX. De oratione, *Quam oblationem.* 242

XX. De Consecratione. 244

XXI. Series Canonis. *Undè et memores.* 249

XXII. *Supra quæ.* 251

XXIII. *Supplices te rogamus.* 254

XXIV. *Memento* pro mortuis. 256

XXV. *Nobis quoque peccatoribus.* 258

XXVI. *Pater noster. Libera nos.* 263

XXVII. De fractione hostiæ, et utriusque speciei commixtione. 270

XXVIII. *Agnus Dei*, Pacis osculum. 284

XXIX. De Communione Sacerdotis. 287

XXX. De Communione populi. 289

XXXI. De Postcommunione, et fine Missæ. 298

FINIS INDICIS TOMI UNDECIMI.

1073